

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-185840221-11/fragment/page=0001

B. L. 615. 1. Ex.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-185840221-11/fragment/page=0002



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM A° 1652.

Bernardus Schotanus

[P. 1.]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-185840221-11/fragment/page=0004

BERNARDI SCHOTANI

EXAMEN JURIDICUM,

Quo Fundamenta Jurisprudentiæ secundum seriem Digestorum, subjectis suis locis titulis Codicis, explicantur.

Accedunt Annotationes Practicæ ab Auctore quondam dictatæ, textuum explicationes variæ, ac infinitarum legum citationes novæ.

Opus, non minus Theoriæ quam Praxeos studiosis perutile ac necessarium.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM.

M. DC. LXII.


LEHNS
BÜCHEREI
IN
ERXLEBEN

Typographus
JURIS STUDIOSIS

Salutem & officium.

HAbes hîc, Benevole Lector, B. SCOTANI EXAMEN JURIDICUM, novo charactere editum, & ab innumeris mendis, quibus aliæ editiones scatent, accuratiore curâ repurgatum, plurimisq; in locis necessariis textuum allegationibus adauctum, ac Annotationibus practicis, ab Auctore nostro (quod ad commendationem sufficere censemus) quondam dictatis illustratum. Annotationes illas, ne sis insçius, hisce ( ] circulis

inclusimus: partim ne genuinum textus tenorem turbaremus, partim ut primo intuitu constaret, quid huic editioni accesserit. Leges de novo additas, quas itidem Clariss. nostro Auctori acceptas ferre debemus, suis locis inseruimus, ac generaliter hoc opus, magnam partem reverà novum, accuratissimè, quantum fieri potuit, typis excudi curavimus: Si quid autem præter opinionem, non insolito humanitatis more, erratum sit, æqui bonique consulas, hujus editionis augmenta sedulo animo attendas, perlegas, examines, quo facto dignum judicium de hisce ut & de cæteris esto. Plura non addo, nisi ut te salvere & valere jubeam.

Tuus

Officiosiss.

JOANNES JANSSONIUS.

EPIGRAMMA
IN
EXAMEN JURIDICUM
Amplissimi, Consultissimique Viri,
D. BERNHARDI SCHOTANI,
Juris Professoris primarii, Rectoris Magnifici, Collegæ conjunctissimi.

UT primum *multâ premitur caligine* verum,
Æthereumque tegit nox inimica jubar;
Sic priscum *multâ premitur loligine* justum,
Et creperi fervent jurgia densa fori.
Itur in anfractus, vix Jus se Jure tuetur,
Innumerisque gemunt pulpita mœsta apinis,
Exercet rabulam rabula, & quas occupat artes,
Sentit, & agnoscit se nocuisse sibi.
Ducitur in varias Iuris Prudentia formas,
Atque hornam Themidem vix capit ipsa Themis.
Lassatur vastâ pubes generosa papyro,
Et rectum in dubio tramite quærit iter.
Non tulit hoc nostri jam gloria prima Lycéi,
Et doluit tricis rostra forumque premi;
Ingenuosque animos, & priscum ardentia rectum
Pectora vult dubiæ dememinisse plagæ,
Et planam calcare viam, quâ purpurat Æquum,
Atque Themis faciles pandit amica sinus.
Quod calamo, SCHOTANE, *doces confinia recti,*
Ingenii laus est hæc quotacunque tui:
At quod inoffenso vitæ morumque tenore
Exemplum recti te simul esse jubes:
Hoc, SCHOTANE, *tuum decus est, hæc gloria: Verè*
Jus *priscum* exemplo *qui* docet, *ille docet.*

FRIDERICUS SPANHEMIUS.

II.

In idem Examen.

VAsta liber congesta brevis dispunctaque justo
Ordine, turbatis vendicat à salebris.
Hæc videas serveseque tibi, doctissimus ordo
Si placet, eximius vel sine labe nitor.
E tenebris lux alma micat; lucente SCHOTANO
Nil poterit posthac juris habere Σκότος.

THEOD. GRASWINKEL.
I. C.

III.

In idem Examen.

PEjor ut exhausto meliori vena metallo
Intravit ævum, mox decus, probitas, pudor
Excedunt adytis; terræ subeuntur Erinni;
Stipante furiam fraude, furto, cædibus,
Virtus pro vili, furor est pro lege potentum;
Calcatur insons, jus truci viget manu.
Dia vices sed enim nostras miserata Themistis
Ruentem Erinnyos orbitam sufflaminat.
Enthea pereuntes sacro pectuscula thyrso,
Vincla ære figi præcipit minacia.
Nuxine quo rapti Draco, rugosique Solones
Scripsere jura; hi sepia, ille sanguine.
Hinc Tucca, & Labeo, dehinc Pauli & cura Modesti
Sacris dedere legibus fœtam penum.
Ast dum quisque suo cudit moderamina ductu,
Dum scita plures & responsa congerunt;
Vastum surgit opus, prægrandi mole laborans;
Legesque perdit expetita copia.
Quin perplexa animi dum sensa ambage loquuntur;
Struxere labyrinthos inextricabiles.
Sapius hinc ipso offendunt in limine mystæ;
Tricisque & operis vastitate territi.
Jura, salutarunt quæ vix à limine, linquunt;
Sponsæque in ipsis nuptiis renunciant.

Esse

Ecce Atlas juris, SCHOTANUS, quem sua pridè
Sublime cœlo tollit eruditio,
Cæca aperit, dubia exponit, nodosa resolvit:
Chartisque cuncta digerit catus tribus,
Quæ Digesta tenent, duodeno & Codice Princeps
Edicta scribit, plura per volumina.
Spes patria, Themidi sacra pubes arripe fila
Feliciterque evade labyrinthi dolos,
Semina qui sulcis non mandat vere juventæ,
Autumnus illi vacuus ibit fructibus.

Amoris debitique honoris arrhabonem
L. M. oppignorabam
J. LIRÆUS.

IV.

In idem Examen.

QUem facili methodo, quem clara in luce juvabit
Perplexi cæcum carpere juris iter;
Hoc Ariadnæo vitabit devia filo,
Hac faciat tenebras noctis abire face.
Magnum est tam multis viva jus pandere voce,
Quot SCHOTANE tuam cernimus ire domum.
Latius at patet hoc cunctis opus edere scripto,
Unde suæ possint discere jura domi.

A. MOL. J. U. L.

V.

In idem Examen,

Dicatum Celsiss. PRINCIPI

GULIELMO,

Nassovio-Auriaco, &c.

Assurgit cum Marte Themis, bellique furorum
In medio, Batavos non cupit esse rudes.
Quin, dum sæva foris pugnat Bellona, tubasque
Inter & arma suâ vi, sine lege, furit,
Consultrix Astræa domi pacatius Aulam
Instruit, & Patriæ parturit una Patrem.
Magne Heros, cui virtutes in bella paternæ
Luxuriant, atque hoc sub Duce Ductor ovas,
Et bellare minor discis majoribus ausis;
Crede: parum pugnæ, quod tibi restet, erit.
Subjecit sibi cuncta Parens; quæ pauca supersunt
Oppida, Batavici nominis horror habet.
Tot tu pace reges populos, quot vicerit armis
Dux Pater; atque isthoc omine jura lege.
Nassoviæ laus quanta Domûs! Cum Belgica dicet
Omnis, & Hollandus, qui scies ista, nepos;
Constamus geminis una de gente columnis;
Quarum Mars unam struxerat, Ars aliam.

C. BOYUS.
JCtus.

PRIMA

PRIMA PANDECTARUM PARS.

Lib. 1. D. Tit. 1. & Lib. 1. Inst. Tit. 1.

De Justitia et jure.

Quis est finis studii Juridici?

IUSTITIA, ejusque administratio, *arg. Nov. 30. c. 9. §. 1. Nov. 69. in præfat.* Idcirco enim jura addiscimus & docemus, ut advocando, judicando, docendo, æquum ab iniquo, licitum ab illicito, separantes, veram philosophiam, non simulatam, affectantes, Iustitiam sedulo colamus, *L. 1. §. 1. D. h.*

De Justitia

Quomodo definitur Justitia?

Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, *pr. Inst. L. Justitia. 10. pr. D. h.*

Quomodo dici potest Justitia voluntas, &c.?

Voluntas, per metonymiam subjecti pro adjuncto, accipitur pro habitu voluntatis. Potest & definitio sic explicari: Iustitia est virtus, quæ constanter & perpetuo vult jus suum cuique tribui.

Quomodo Justitia est constans & perpetua, cum Prætor, licet iniquè quid decernat, jus tamen dicere, & justitiam administrare dicatur, L. pen. D. h.?

Quod injustè fit, non virtuti, sed vitio hominis, vel ex malitia vel ex imperitia jus dicentis, imputandum est.

De qua Justitia est intelligenda superior definitio?

Non de universali, quia ea, (cum exigat obedientiam erga omnes leges, divinas & humanas, omnesque sub se complectatur virtutes, de quibus in jure non agitur directo & propriè) finis juris nostri esse non potest. Non de divina, quia ea etiam occupata est circa hominum cogitationes, & alia, quæ per leges nostras non diriguntur. Sed de particulari, quæ consistit tantum in regulis justi, æqui, & boni; ac humanâ, quæ circa politicas, civiles, ac externas hominum actiones versatur. Amplissimis quidem verbis justitia ab authore Deo, à concurrentibus virtutibus, earumque effectu, in legibus commendatur, sed nusquam alia, quam particularis & humana designatur, cum de Juris vero fine quæritur.

Particularis quomodo distinguitur?

Est vel commutativa, quæ jubens æqualitatem in commerciis servari, nullamque dignitatis aut meriti personarum rationem habens, res rebus exæquat: vel distributiva, quâ honorum & pœnarum secundum cujusque dignitatem & merita fit distributio. Illa juxta proportionem Arithmeticam; Hæc, Geometricam, ut alii aiunt, exercetur.

Annon ergo videtur quod respectus personarum, à Deo prohibitus, nostro jure toleretur?

Nequaquam. Est enim προσωποληψία, quando sine justa ratione aliter jus redditur in hac quàm in alia persona; sc. ex favore vel odio personæ tantum, vel ex alio principio, quod ab æquitate & justitia non comprobatur: In justitia autem distributiva jus diversimodè dicitur ex causâ, quam æquum & bonum suader, pro hujus vel illius personæ qualitate.

Quid in ambiguis faciendum?

Nihil tribuendum est gratiæ aut amicitiæ. Verum partes sunt Judicis, verba ambigua explicare in contractibus seu conventionibus, contra [a] eum, qui ea protulit, *L. veteribus 39. D. pact. l. 21. l. 33. D. de contrah. emt.* in legibus, statutis, testamentis, & libellis judicialibus secundum eum, qui locutus est, *L. 1. l. fin. C. de legib. l. 50. in fin. D. de legat. 1. l. 66. D. de Judic.*

Iudic. Sin autem in facto dubitatio sit, judicabit judex pro [*b*] reo, *l.* 4. *C. de edend.* Si in jure, cum æquitas pugnat cum expressa legis sanctione, relationem faciet ad Principem, *d. l.* 1 *in fin. C de legib.* Si leges & rationes juris æquè prægnantes utrinque militent, nec aliud circumstantiæ, ob possessionem, causæ favorem aut odium, ob qualitatem justam personarum, suadeant, rem controversam pro ratâ dividet inter litigantes, *arg. l. adeo.* 7. *§. cum quis ex aliena.* 7. *vers. est tamen ff. de acq. rer. dom.* vel ad transactionem partes inducet.

[*a*] *Autumnus* sua censura ad *l.* 33. *ff. de contrah. empt.* hoc jus censet esse abrogandum ex eo, quod ambo contrahentes potestatem habeant legem apertius dicere; re autem benè perspectâ censuram meretur, cum sit distinguendum inter eum à quo est initium negotii, & præmeditatè agit, & eum qui incidit tantum in negotium, *arg. l.* 1. *ff. de edendo*, & *l.* 19. *ff. de reg. Juris.* [*b*] Reus dicitur hic qui in facto allegato est reus, *l.* 8. *C. de Judic.*]

DE JURE.

Quid est Jus?

Appellatio juris est polysema. Denotat aliquando ipsum æquum & bonum, principia, ipsâsque rationes, quibus leges constant & valent, *l. pen. D. h. t.* aliquando jus constitutum, *l.* 6. *&* 7. *D. h. t.* aliquando sententiam, *d. l. pen.* vel locum, in quo jus redditur, *d. l. pen.* aliquando cognationem, sive necessitudinem, *l. fin. D. h.* aliquando potestatem dominicam vel patriam, *l.* 1. *D. de his, q. sui v. al. jur.* aliquando remedium, *pr. Inst. de act.* aliquando systema præceptorum de bono & æquo.

Cum pro systemate præceptorum accipitur, quomodo definitur?

Ars æqui & boni, *l.* 1. *ff. h.* vel divinarum ac humanarum rerum notitia, justi ac injusti scientia, *§.* 1. *Inst. l.* 10. *§.* 2. *ff. h.*

Quomodo explicatur hæc definitio?

Quod sit ars, quæ in omnibus rebus humanis ac

divinis, quid justum, quid injustum, quid æquum aut bonum sit, demonstrat.

Quomodo jus, quod proponitur in scholis, dividitur?

Est vel Divinum, quod Deum habet authorem: vel Canonicum, quod à Pontificibus est profectum: vel civile, quod Imperator Justinianus collegit vel constituit.

DE IVRE DIVINO.

Quotuplex est jus Divinum?

Est vel ceremoniale, vel morale, vel forense. Hoc jus comprehensum est præcipuè libris quinque Moysis.

Quod est ceremoniale?

Quod agit de ceremoniis. Hæ sunt actiones externæ, solemnes, quæ ordinis vel decoris ergo, aut ob cultum divinum, aut ob significationem typicam, à populo Judaico adhibendæ erant.

Quod est morale?

Quod desumitur ex immotis æquitatis veræ principiis, præcipiens honesta, prohibens turpia. Jus hoc congruit cum æterna justitia & sapientiâ, obligarque hominem ad obedientiam tam internam quàm externam, propositâ & promissione præmii, si id observet, & comminatione pœnæ, si violet.

Quod est forense?

Quod pertinet ad gubernationem populi Iudaici politicam, continetque præcepta de defensione disciplinæ in civilibus & criminalibus; ut in contractibus, dominiorum distinctionibus, hereditatum divisione, judiciis, officiis magistratuum, pœnisque. Latum est in hunc finem, ut ceu nervus politiæ ac executio Decalogi, publicam tranquillitatem pareret.

Quod jus comprehenditur præceptis Decalogi?

Tantum morale Priori autem tabulæ ancillatur ceremoniale; utramque defendit jus Forense.

Ligatne nos omne jus divinum?

Omne morale; cum non tantum instituto Dei, sed & naturali ac æquissimâ ratione sit fundatum. Ceremoniale per adventum Christi est sublatum. Forense,

quod

quod refertur ad ceremonias, & ex iis causam habet, quodque tantùm populo Iudaico applicatur, cessat: quod verò in lege morali fundatur, & applicari potest aliis populis, obligat quidem nos, sed pro exigentia rerum potest reformari, non tolli absolutè.

DE IVRE CANONICO.

Quibus libris constat jus Canonicum?

Libris Decreti, quod desumptum est ex Patrum, Pontificum, Conciliorum, Synodorum, aliisque scriptis; & libris Decretalium, sive constitutionum & epistolarum pontificalium.

Quomodo distinguitur Decretum?

Ejus tres sunt partes. Prima exhibet distinctionibus centum & unâ juris principia, jura personarum ecclesiasticarum, & similia. Secundâ multæ nobiles quæstiones ac decisiones, causis triginta sex (quarum trigesimæ tertiæ, quæstione tertiâ, inseritur tractatus de pœnitentia, distinctionibus septem) traduntur. Tertia, quinque distinctionibus, jura consecrationis, &c. proponit. Hisce omnibus in calce adjiciuntur canones pœnitentiales & apostolici.

Quis author est Decreti?

Compilatum est tempore Eugenii Papæ anno Christi 1151. operâ Gratiani, Monachi Sancti Fœlicis Bononiensis; at postea approbatum à Gregorio XIII. anno Salutis 1580. & repurgatum, ac denuo editum anno 1582.

Quomodo allegantur Jura Decreti?

Ex prima parte, per numerum Distinctionum, & numerum vel initialia verba capitulorum. Ex secundâ, per numerum vel prima verba capitulorum, per numerum causarum & quæstionum. & ex tractatu de Pœnitentia, per distinctionum & capitum numerum. Ex tertia, per numerum distinctionum & capitulorum de consecratione. ex canonibus pœnitentialibus & apostolicis, per verba initialia aut numerum versiculorum.

Qui sunt, & quomodo distinguuntur libri Decretalium?

Sunt primò, quinque collecti & concinnati per

Raymundum, Cappellanum & Pœnitentiarium Gregorii IX. ex variis constitutionibus & epistolis Pontificum præcedentium, ipsiusque Gregorii; à quo confirmati anno Christi 1230. Secundò, quinque Bonifacii octavi (qui Pontifex creatus est anno 1294) descripti operâ Gulielmi Archiepisc. Ebrudun. & aliorum; qui Sextus mandatu Pontificis appellantur. Tertiò, quinque Clementis Quinti, qui designatus est Papa anno 1305. Hosce, cum morte præventus Clemens non posset, edidit Ioannes XXII. anno sui pontificatus secundo, ac constitutiones, iis contentas, ab authore nominavit Clementinas. Quartò, extravagantium libri, qui primò Ioannis XXII. viginti; deinde, ejusdem nec non aliorum Pontificum Constitutiones varias quinque libris, quorum quartus non extat, comprehendunt.

Quomodo allegantur hi libri?

Omnes, per titulos & numerum vel prima verba capitulorum: hac distinctione adhibita, ut, si simpliciter allegentur tituli & capita, vel præmittatur titulis hæc nota ⁂ sive particula extrà, libros Gregorii noni denotemus. Si addatur in Sexto vel in 6 libros Bonif. 8. Si vero nomine capituli, dicatur Clementin. vel post adjiciatur in Clementinis, Clementinarum libros: si loco capituli inveniatur extravag. vel posteà addatur in extravagant. libros extravagantium designemus.

Quis ordo servatur in libris Decretalium?

Tractatur 1. De principiis juris, gradibus, ordinibus, jurisdictione, & officiis magistratuum Ecclesiasticorum, nec non de initiis & præparatoriis judiciorum, ut pactis, transactionibus, postulationibus, restitutionibus in integrum, & receptis arbitris. 2. De ordine ac progressu judiciorum. 3. De vita & rebus presbyterorum, uti & de contractibus, testamentis, decimis, jure patronatus, &c. 4. De eâdem materiâ, ac præcipuè matrimonialibus, & eorum consequentiis. 5. De Criminalibus.

Habet-

Habetne aliquem usum Jus Canonicum inter Reformatos?

Habet, [a] non quidem ad plenè quid probandum, nisi sit receptum; sed ad instruendum, & rectius quid explicandum. Continet quippe multa eximia moralia principia, ad veram æquitatem, ac honestatem ducentia: præscribit in judicialibus aliisque nonnullis, optimum ordinem, & Jus Civile interpretatur subinde.

[a] Ita asserit *Grotius lib.* 1. *Manuduct. cap.* 2. *vers.* Soo wanneer, & quidem ita receptum est in deductionibus duarum quartarum, *c. Rainoldus extra de Testam.* sic & in præscriptionibus, *c. ult.* x. *de præscript.*]

DE JVRE CIVILI, ET DE LIBRIS JURIS CIVILIS.

Quibus libris comprehensum est Jus Civile?

Libri Juris [a] Civilis sunt vel Doctrinæ, vel Constitutionum. Doctrinæ sunt, vel inchoatæ, quibus prima Juris elementa traduntur, uti Institutiones, vel plenariæ, uti Digesta, sive Pandectæ. Constitutionum, vel veterum & aliquarum Justiniani, uti Codex; vel solius Justiniani, & quidem novissimarum, uti Novellæ.

[a] Jus Civile in multis locis, & maximè in Frisia rigidissimè observatur, *Sande l.* 2. *tit.* 2. *defin.* 2. *& 7. lib.* 4. *tit.* 1. *d. fin.* 1. *in fine.* ita quidem ut Jus Civile ibi vigeat, nisi diversum sit moribus constitutum, *arg. l.* 9. *C. de testam.* In Hollandia autem & Zelandia jurant quidem Senatores in leges Romanas, juxta *Merulam l.* 4. *prax. civil. c.* 2. sic tamen ut non adeo præcisè eas observare teneantur, *Merula* lib. 4. cap. 4. *Grotius lib.* 1. *Manuduct. part.* 2. *vers.* Soo wanneer; Ut & de aliis Provinciis testantur *Christinæus* vol. 1. decis. 343. *Zypæus ad tit. de Legibus vers. post consuetudinem.*]

Tit. 17. Lib. 1. Cod. de Jure veteri enucleando, & de authoritate Jurisprudentium, quiin Digestis referuntur.

Quo ordine, & ex quibus libris compositi sunt libri Juris Civilis?

Fuerunt initiò tres Codices: Hermogenianus, Gregorianus, & Theodosianus, qui Imperatorum Constitutiones complectebantur. Ex hisce unus Codex confectus, dictusque Justinianeus: uti patet ex Constitutionibus, *de novo Codice faciendo, & de Justinianeo Codice confirmando.* Post ex præstantissimis veterum Juris Consultorum scriptis Digesta sunt collecta. Hisce absolutis, priusquam essent promulgata, *§. 3. Proœm. Inst.* compositæ sunt Institutiones ex JConsultorum commentariis, confirmatæ singulariter XI. Calend. Decembr. & post, una cum Pandectis solemniter 17. Calend. Ianuar. anno 533. *Proœm. Inst. § fin. Const. Tanta. & Const. Dedit. C. §. fin. 1.* Ita tamen, ut & Pandectarum & Institutionum libri robur suum demùm obtinerent ex tertio Calend. Ianuar. ejusdem anni. *d. Const. Tanta. §. pen.* Placuit autem in specie, ut omnium ICtorum, ex quorum voluminibus leges Pandectarum sunt desumptæ, æqualis esset authoritas in Digestis. Quibus peractis, cum Imperator observaret, Codice suo Iustinianeo multa antiquata contineri, nonnulla quoque deficere, præcepit, ut ei abolito surrogaretur novus, quem repetitæ prælectionis nominatum, quinquaginta decisionibus novis in controversis causis, multisque aliis constitutionibus locupletavit. Hunc Codicem confirmavit 17. Cal. Decembr. 534. *Const. de Emend. Cod.* Post hæc omnia promulgavit Novellas 168. quibus ex prioribus legibus nonnullas abrogavit, limitavit, reformavit, & emergentibus novis negotiis jus novum constituit.

Quid proderit hæc intelligere?

Ut, si lex cum lege conferatur, constet, utra prior vel posterior, & utra tollat alteram. Ita Codex Pandectis,

dectis, & Institutionibus, Novellæ omnibus Iuris libris derogant. Institutiones verò, cùm prima eaque concisa tantùm exhibeant rudimenta, accipiunt in nonnullis interpretationem ex Pandectis, cum aliquid vel latius explicandum; uti fit *in § antepen. Inst. de nupt. § fin. Inst. de public. judic.* vel limitandum, uti fit *§ 30. Inst. de rer. div. junct. l. 37. & 38. D. de Rei vind. item § 25. Inst. eod. junct. l. 7 § 7. in fin. D. de acq. rer. domin.* Sæpe eædem decidunt pugnantes JConsultorum opiniones in Digesta relatas; uti patet ex *§. 34. Inst. eod. junct. l. in rem 23. §. 3. D. de rei vindic. & l. 9. §. 2. D. de acq. rer. dom.* & corrigunt Digesta, *§. 2. Inst. de adopt.* scilicet, ex vi posterioris compositionis, vel ob constitutiones novas, quæ non Pandectis, sed Institutionibus sunt insertæ variis locis, secundum mandatum imperatoris, *Const. Dedit. §. sed cum oportebat.* 11. *Ad magn. Senat.*

Imò & videtur Codex per Institutiones corrigi?

Id non de repetitæ prælectionis, quo utimur, sed Iustinianeo est accipiendum. Absurdum enim esset, ut corrigeretur Codex, qui pòst est compositus.

Quid sibi volunt authenticæ in Codice?

Sunt desumtæ ex Novellis, & suis locis subjectæ legibus Codicis, privatâ JConsulti Irnerii operâ; quocirca nihil probant, nisi respondeant iis locis, ex quibus desumtæ sunt.

Quid statuendum de Leonis Constitutionibus?

Nihil [a] probant contra leges Iustiniani, sed tantum comprobant. Non enim Leo plenum habuit imperium; nec ex Novellæ unquam receptæ fuerunt absolutè.

[a] Ita *Ghotofredus* ad inscriptionem harum constitutionum; receptæ autem sunt aliquæ magis ex æquitate, quàm propter auctoritatem suam.]

Quid statuendum de libris Feudorum?

Hi [a] privato studio potissimum Gerardi Nigri Capagisti & Oberti de Orto, qui nominantur *C. un. Si de feud. vasall. interpell. fuer.* sunt compilati, & pro jure valent, ubi sunt recepti. Et ubi sunt recepti, derogant juri communi, ita tamen, ut strenuus Iurisperi-

tus casu, qui non est comprehensus feudali consuetudine, uti possit lege scripta sine calumnia, *c. un. de feud. cognit.*

[a] In Hollandia cæterisque ferè provinciis, item in Germania superiori auctoritatem habent, *Neostadius de Feudi Holland. succeff. c. 3. n. 12. Christinæus vol. 6. decis. 1. n. 1. Rhosenthal. de Feudis lib. 1. cap. 1. Schraderus de Feudis part. 1. Q. 1.* ita tamen ut ad hosce libros recurratur tunc demum, cum nulla est constitutio vel consuetudo in patria, & feudales hæ consuetudines strictè explicentur, & ubi silent recurritur ad Ius Civile, *cap. unic. de feudi cognit. Hartmannus Pistor lib. 2. Q. 12. n. 12.*

DE METHODO STVDII JVRIDICI CIVILIS.

Quæ Methodo in studio juridico civili est procedendum?

Cum levi ac simplici viâ sit incipiendum, ut ad difficiliora transitus facilior fiat, ante omnia exactè Institutiones evolvere oportet, easque non antè deponere, quam redditæ sint familiares, cum rationibus ex fideli interpretatione: interim *Titulos D. de verbor. signif. ac regulis juris* memoriæ imprimi convenit. Deinde Pandectarum & Codicis studio incumbendum: initiò adhibitis paratitlis: horisque succisivis commentaria Gœddæi ad *Tit. de Verb. significe.* Bronchorstii, vel alterius boni authoris notæ ad *Tit. de Reg. Jur.* legantur. Interea verò Institutiones recolantur. Post ipsæ leges (repetitis ad singulas materias & titulos paratitlis præceptisque Institutionum) diligenter *& in D. & in C.* hoc ordine, quem hic disposui, evolvantur. In quo labore hæc notanda. 1. Investigetur ratio æquitatis remota, & proxima. 2. In librum chartaceum titulis suis distinctum, si quæ occurrant fugitiva, aut singularia, aut in paratitlis omissa, referantur. 3. Loca pugnantia cum conciliatione adscribantur, vel, si conciliatio haberi facilè nequeat, consulatur alius. 4. Omnia axiomata & verborum significationes ordine alphabethico annotentur singulari libro. Hæc cum absoluta sunt, disputationes,

antè

antè ad Institutiones, & post ad libros Pandectarum instituendæ sunt; quas fieri præstat privatim in collegiis. Hisce ritè peractis, strenuè authores rari evolvendi, eorumque sententiæ cum præcipuis legibus ac rationibus in locos communes sunt redigendæ.

Quis ordo est in libris Juris?

In Institutionibus præmittuntur quædam generalia; deinde secundum tria juris objecta, personas, res, & actiones, omnia explicantur. In Pandectis Juris compilatores secuti sunt formam edicti perpetui, *l. 2. D. de statu hom.* In Codice idem fere est ordo, qui est in Pandectis, præterquàm, quod libro primo, de fide, ecclesiis, & iis, quæ eo spectant, & libro 10. 11. & 12. fusius publicum jus tractetur. In Novellis ratio temporis, quo quæque constitutio est promulgata, habetur.

Quid est edictum perpetuum?

Fuit quondam tanta Prætoribus authoritas, ut publice albo proponerent sua jura sive edicta. Postea vero Hadriano, ut nimia Prætorum potestas refrenaretur, placuit, varia ea edicta in unum corpus colligi per Salvium Iulianum, ut ita ex eo uniforme jus docerent. Id Corpus juris à Iuliano compositum, accepit nomen Edicti Perpetui, *l. 2. §. 18. C. de jur. vet. enucl. lib. 10. C. de Condict. indeb.*

DE PRÆCEPTIS JURIS.

Quæ sunt Juris præcepta?

Præcepta, cum accipiuntur pro universalibus principiis & juris fundamentis, ad quæ omnia singularia examinantur, sunt, Honeste vivere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere, *l. 10. §. fin. D. §. 3. Inst. de Iust. & Iur.* Cum vero ad singula negotia, causasque, de quibus jus est reddendum, referuntur, dici possunt tot esse, quot leges, *l. 7. D. de legib.*

Quomodo distinguuntur hæc generalia principia?

Primum ad officium cujusque respectu sui: alterum ad officium cujusque erga proximum vel concivem: tertium ad officium Iudicis, qui inter partes jus distribuit, refertur.

Annon pugnat cum Primo concubinatus, qui jure permissus est. l. t. D. de concubin. & usui lupanariorum. l. 27. §. 1. D. de pet. hered.?

Ius Civile nusquam concubinat. dicit rem esse honestam absolute, sed tantum tolerat reprobando. Lupanaria quoque non sunt licita, *Nov.* 14. sed de facto aliquando exercentur, eodem modo, quo homicidia in viri probi ædibus nonnunquam committuntur. Quis propterea dixerit esse permissa?

Annon pugnant cum Secundo Circumventiones, quæ permittuntur l. 16. §. 4. D. de minor. Usuræ, Usucapiones?

Non dolosæ circumventiones, sed, quæ fraude carent, *l.* 22. §. 3. *D. locat.* quæque fundamenta sunt mercaturæ, quæ solidissimus humanæ societatis tuendæ ac conservandæ est nervus, conceduntur. Usuræ immodicæ, quæ gravant proximum, damnantur. Usucapiones jure publico ad excitandam diligentiam, & puniendam socordiam, utque rerum dominia sint certa, & litium finis haberi possit, atque ex tacito dominorum consensu sunt introductæ, *l.* 1. *D. de usurp. & usucap. l.* 28. *D. de verbor. signif.*

Annon pugnat cum Tertio, quod non omnibus maleficiis pœnæ constitutæ, lib. 14. §. 14. *D. de religios. l.* 29. *C. ad l. Jul. de adult.?*

Non possunt omnia legibus comprehendi, *l.* 10. *& seqq. D. de leg* Nec sequitur: non est pœna certa constituta, ergò non debet pœna infligi. Ac præterea, tam levia sunt nonnulla, ut vix mereantur publicam pœnam. Denique, cum in *d. l.* 29. dicatur, quod ancilla, in facti specie ibi proposita, non committat adulterium; non potest ex eo concludi, quod impunè possit verecundiæ limites transgredi. Aliud enim est non ordinaria, aliud, nulla omnino affici delinquentem pœnâ.

Tit. 2. De Orig. Juris & omnium Magistratuum, & successione prudentium.

Quæ est Origo Juris Romani?

Si spectes principia rationis justæ, est ex æquitate, ac

ac usu sive necessitate reip. sic postulante. si historiam, descripta est ejus origo, *l. 2. pr. §. 1. & seqq. usque ad §. 13. D. h. t. junct. l. 1. D. de Constit. princip. & §. 9. Instit. de jure natur. gent. & civil.* Fuerunt initio Leges Curiatæ, à Romulo & aliis Regibus latæ, quas Papirius in unum congessit, unde Jus Papirianum. Post ex lege Terentilia à Decemviris profectæ leges 12. tabb. & ad eas accessit varia Iurisperitorum interpretatio; datæque sunt solemnes actionum formulæ. Ob secessionem plebis à patribus, nata Plebiscita. Nimis aucto populo, SConsulta facta sunt. Ut quisque scire posset, quod Jus Prætores dicturi essent, edicta proposita. Præterea, omni imperio translato in Principes, à Principibus Constitutiones promulgatæ. & eorum authoritate certi JConsulti de jure consulentibus respondérunt.

Quæ est Origo Magistratuum Romanorum?

Initio Reges & Tribuni Celerum. Regibus exactis, Consules, Censores, & extra ordinem Dictatores. Hisce jungebantur Magistri Equitum. Tunc Tribuni plebis, ædiles. Deinde Quæstores pecuniæ ac parricidii, & extra ordinem Decemviri. Post, Tribuni militum: Ædiles Curules: Prætores varii: Decemviri in litibus judicandis: Quatuorviri: Triumviri monetales, capitales: Quinqueviri: Præfecti urbi, annonæ, aliisque reip. partibus. Fuerunt præcipui Duo Consules, Decem Tribuni plebis, Octodecim Prætores, Sex Ædiles, *d. l. 2. §. 13. & seqq.*

Quæ est successio Prudentium?

Tiberius Coruncanus primus publice jura professus est. Publius Mucius, Brutus, Manlius, fundamenta actionum prima jecerunt. Ab his Publius Rutilius, Rufus, aliique. Post hos Quintus Mucius Jus Civile constituit, ac in 18. libros redegit. Hunc secuti plures, de quibus, *d. l. 2. §. 42. & seqq. h. t.*

Quomodo Jus distinguitur?

Variè. I. Cum quædam publicè, quædam privatim sint utilia, jus aliud est publicum, aliud privatum, *l. 1. §. 2. ff. de Iust. & Iur.*

Quod

Quod est Jus publicum?

Quod immediatè, primariò, ac per se pertinet ad publicum reip. statum. Id consistit in Sacris, sacerdotibus, & magistratibus, *d. l.* 1. *§.* 2. De hoc tractatur magna parte lib. 49. & lib. 50. D. maxima parte lib. 1. ac libris tribus Posterioribus Cod.

Quod est privatum?

Quod directò & per se spectat ad res, negotia, facta, utilitatem privatorum, *d. l.* 1. *§.* 2.

Imò videtur omne jus esse publicum: cum ob authoritatem, quia à Populo vel Principe omnes leges: tum ob usum, quia omnibus competunt juris remedia: tum ob finem, quia leges pertinent ad status publici tranquillitatem.

Definitio juris publici, ante proposita, non refertur ad authoritatem, usum, aut finem; sed ad ea, circa quæ tractanda ars juris publici est occupata, hoc est, statum publicum.

Imò videtur omne Jus esse privatum: quia, cum reipub. benè est, etiam privatis benè est, ac in jure privato explicantur sacra, officium Judicis, testamenta; quæ omnia sunt juris publici, d. l. 1. *§.* 2. *l.* 3. *D. qui test. fac. poss.*

Verum id est ratione finis, non objecti, quod tantum hic consideramus. Deinde, de sacris, ut sacris simpliciter & in se, non agitur, sed intuitu commerciorum, acquisitionum: quatenus sc. sint in commercio, aut acquiri possint, vel non. Ita quoque de officio Judicis, non quà id in se & abstracto spectatur; sed quà Iudex id impertit inter partes in privatorum causis. Denique, testamenta sunt juris privati: quia de hereditatibus, & ad commodum privatorum fiunt: & juris publici dicuntur certo tantùm modo, qui ad essentiam rei præcipue non pertinet.

De quo jure in hisce fundamentis tractabitur?

De jure privato potissimum; de publico obiter & incidenter.

De Jure Naturali, Gent. & Civil. Lib. 1. Tit. 2. Inst.

Quomodo secundò dividitur Jus?

Collectum est ex naturalibus, gentium, aut civilibus

bus præceptis. Hinc Ius naturale, vel gentium, vel civile, *d. l. 1. §. 2. in fin.*

Estne & jus publicum ex iisdem præceptis?

Etsi quidem principia naturalia non adeo manifestè sese ostendant in publico, tamen aliqua esse, nemo inficiari potest.

Quod est Jus naturale?

Quod ex principiis, quæ natura omnia animalia docuit, est constitutum. Ius hoc tribuitur brutis materialiter, non formaliter. Principia, ex quibus formatum est, brutis conveniunt, non leges ipsæ: quia leges tantum ab hominibus, & secundum justam rationem, quæ in bruta non cadit, possunt condi. Itaque, quod homo jure naturali facit, ad id bruta inclinatione & impetu naturæ feruntur.

Quæ sunt exempla juris naturalis?

Matrimonium, liberorum procreatio, educatio, sui corporis defensio adversus externam vim, *pr. Inst. h. l. 1. §. 3. l. 3. D. de Just. & Jure.*

Imo videtur matrimonium esse juris civilis?

Non infrequens, ut pro vario considerandi modo, una atque eadem res, & naturali, & gentium, & civili juri tribuatur. Ita matrimonium, quà spectatur inclinatio & appetitus ad coitum, adscribitur juri naturali; quà consensus, quem justa ratio suadet in contrahendo, juri gentium; quà solemnitas ac forma, juri civili.

Quod est Jus Gentium?

Quod naturalis ratio inter homines communiter constituit, *d. l. 1. §. Inst. h.t.* distinguiturque à naturali. 1. Quod constituatur ex sola ratione: Naturale ex inclinatione & impetu naturæ 2. Quod solis hominibus competat: Naturale autem secundum sua principia etiam brutis sit commune.

Imo etiam Jus Gentium sæpe appellatur Naturale?

Frequenter in jure species nomen generis, & genus nomen speciei habet: (uti videre est in Iurisdictione, transactione, pacto, cognatione, adoptione) vel vocabula confunduntur certis locis, quæ aliis apertè distinguuntur, *§. 5. Inst. quib. mod. test. infirm.* Ita

Ius

Ius gentium dicitur naturale, cum agitur, vel de jure formato, vel de iis, quæ tantum conveniunt hominibus, vel cum civile Ius gentium juri opponitur.

Unde æstimatur jus gentium?

Ex æquis rationis principiis, eoque jure, quod plurimæ gentes receperunt. Unius autem vel alterius gentis institutum non immutat juris gentium appellationem.

Quomodo distinguitur jus gentium?

Aliud est primævum, aliud secundarium. Ad primævum, quod ex simplici ac incorrupta ratione profluit, pertinent obligationes ferè omnes, dominiorum distinctiones, religio, pietas in Deum ac patriam, *l. 2, 5. ff. de Iustit. ac Iure.* Ad secundarium, quod est ex conflictu rationum, quarum una est alterâ superior, (quia est magis naturalis, magis æqua, aut publica) spectant bella, servitutes, manumissiones, *l. 4, 5. D. eod.*

Quod est Jus Civile?

Quod quisque populus ex peculiari ratione sibi constituit, vel quia invenit, vel quia invento novam formam addidit. Id nec in totum à jure naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei inservit; sed ei vel quid adjicit, vel quid detrahit, *l. jus Civile. 6. ff. de just. & jur §. 1 Inst. h.*

Annon & aliter Jus Civile accipitur?

Nonnunquam pro omni jure, quo quisque populus utitur: Ita, cum Canonico opponitur. Aliquando pro eo, quo Populus Romanus fuit usus, *§. 2 3. Inst. h. t.* Aliquando, pro eo Iure Romano, quod non est Prætorum, *l. Ius autem Civile 7. pr. junct. §. 1. de Iust. & Iur.* vel, quod non est naturale, aut gentium. Aliquando pro interpretatione Iurisperitorum ad leges 12. tabb. *l. 2. §. 5. & 6. D. de Orig. Iur.* Aliquando aliter.

Quomodo jus, quo populus Romanus usus est, dividitur?

Est vel scriptum, vel non scriptum, *§. 3. Inst. h.*

Pertinetne Scriptura ad legis essentiam?

Nullo modo; sed est tantum causa legis efficiens instrumentalis, qua utimur, ut melius promulgetur, & in

& in cognitionem hominum perveniat, fideliusque memoria retineatur lex, ac ejus sententia manifestius haberi & explicari possit.

Quæ sunt species juris scripti?

Enumerantur sex, *d. §. 3. Inst. h.* Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Prætorum edicta, responsa Prudentum.

Quo referri debent leges 12. tabb. ædilitium edictum, interpretatio prudentum ad leges 12. tabb. authoritas rerum judicatarum?

Leges 12. tabb. ad legem: sunt enim instar legis ad populum & ex ejus consensu latæ. Ædilitium edictum pars est juris honorarii sive prætorii, *§. 7. Inst. h. t.* Interpretatio prudentum, quæ sine scripto fiebat ad leges 12. tabb. nunquam authoritatem publicam habuit, & à responsis prudentum separata est: quippe Responsa tempore & authoritate Principum, & à certis Iurisconsultis, quibus hoc Ius concesserant specialiter Principes, dabantur. Interpretatio vero ad L L. 12. tabb. in libera republ. privata authoritate ab iis, qui fiduciam aliquam studiorum habebant, fiebat. Denique, Res Iudicatæ tantum sunt fundamenta consuetudinis, & per se legis virtutem non habent.

Tit. 3. De Legib. Tit. 14 Lib. 1. Cod.

Quid est Lex?

Lex generaliter accipitur, pro jure, vel omni, sive scripto, sive non scripto, vel eo tantum, quod expressa sanctione placuit, & opponitur consuetudini. *l. 32. §. 1. ff. h.* Hoc modo, est supremæ potestatis decretum, ad publicum Reip. statum, vel Civium mores, eorumque res ac negotia, ex bono & æquo factum, *l. 1. 2. ff. h. t.* At in specie, est Ius, quod Populus universus Romanus, Consule rogante, constituit, *§. 4. Inst. de jur. natur. gent. & civil.*

Quæ sunt substantialia legis?

1. Potestas & voluntas condentis. 2. Promulgatio. 3. Legis æquitas, honestas, possibilitas, manifestus sensus.

Venea

Penes quos est potestas legis in genere ferendæ?

Penes eos, qui majestatem habent, & suprema authoritate reipub. præsident, sive fuerint populus, sive optimates, sive Princeps. Primariò, independenter ac naturaliter est penes populum universum: secundariò, dependenter sive ex concessione aut necessitate, penes unum, Principem, vel Optimates.

Valetne Lex, quæ destituitur ratione?

Lex, quæ in se plane iniqua est, nullius est momenti *l.* 39. *ff. h. t.* æqua enim ratio est anima legis. Quæ vero certæ alicui rationi minori aut inferiori adversatur, at ex majori & superiori æquitate est desumta, omnino valet. Ita Ius singulare quidem est contra rationem juris communis constitutum; sed, cum æquissimam jus habet causam, lex est, *l.* 16. *ff. h. t.*

Atqui non licet in rationem juris inquirere, l. 20. *& seq. ff. h.*

In hisce, quæ constituta sunt ordinis causa, tantum placita jus constituentium sequi oportet: quoniam nihil iniquitatis habent, & neminem nisi negligentiores lædunt. Ita in solemnitatibus testamentorum, & similibus, non disputandum est de ratione solemnitatis, sed exacte sunt observandæ. huc pertinent *l.* 20. *&* 21. *ff. h. t.* In illis vero, quæ sunt ordinata ex bono & æquo, debet de ratione legis constare; &, si ea dari non possit, tanquam imperfecta & iniqua lex, est rejicienda, *l.* 8. *C. de Iudic. l.* 7. *C. de precib. imp. offer.*

Quæ sunt proprietates legum?

1. Desumuntur ex iis, & applicantur iis, quæ frequenter accidunt, *l.* 3. 4. 5. *D. h.* 2. Vetant, puniunt, permittunt, jubent, *l.* 7. *D. h.* 3. Constituuntur jura generaliter, non in singulas personas, *l.* 8. *D. h. t.* 4. Referunt se ad futura, non ad præterita negotia, *l.* 7. *C. h.* 5. Obligant omnes ad observantiam, *l.* 9. 10. *C. h.*

Atqui etiam jura de raro contingentibus dicuntur, §. 22. *Inst. de rer. divis. l* 3. *D. si pars hered.*

Prætereunt Legumlatores rariores casus, non, quod iis debita non tribuant jura, sed ex iis rationes legum non

non deducant aut interpretationem faciant, *d. l.* 3. 4. 5. *D. h.*

Atqui etiam jura sunt singularia, quæ singularibus personis accommodantur, l. 14. 15. 16. *D. h. t.*

Iura singularia *in dd. ll.* non sunt, quæ certæ alicui personæ accommodantur; sed, quæ ob singularem eamque justam causam certis ordinibus civium tribuuntur, & ab omnibus generaliter debent servari. Quæ vero sunt dispositæ de singulari aliqua persona, ut ad eam tantum pertineant, non sunt proprie leges.

Annon aliquando ad præterita leges se referunt?

Regulariter, uti dictum est, ad futura: sive novum Ius condatur, sive veteri quid novi addatur, vel detrahatur; sive verba sint manifesta, sive ambigua. Verum aliquando etiam ad præterita. 1. Si ita expresse sancitum, *d. l.* 7. *C. h. uti. l.* 22. *§. pen. C. de SS. Eccles. l.* 27. *C. de usur.* 2. Si tantum interpretatio veteris juris fiat. 3. Si quid de ordine judicii, aut actionis, vel quid aliud ad substantiam rei non pertinens, addatur. 4. Si justa ratio vel favor rei suadeat, eademque sit causa præteritorum, quæ futurorum.

De Interpretatione Legis.

Quomodo est Lex interpretanda?

1. Non est judicandum de lege, nisi ea fuerit in totum perspecta, *l.* 24. *D. h. t.* 2. Exacte observanda est ejus sententia, *l.* 17. 18. *ff. h. t.* vel ex verbis, quæ, si non aliter sit dispositum, in propria significatione accipientur; vel ex ratione subjecta, vel ex antecedentibus & consequentibus. 3. Semper cavendum, ne absurditas, iniquitas, vel contrarietas resultet. 4. In jure generali sive communi extendi possunt verba ex sententia, ex ratione, ex exemplo, aut similitudine: non ita facile in singulari, sc. de persona in personam, de negotio in negotium, *l.* 10. 11. 12. 14. 15. 16 *ff. l.* 2. *C. h.* 5. Si contrariæ videantur esse leges, conciliatio investiganda, *l.* 26. 28. *ff. h.* vel si ea non possit inveniri, aut, si æquitas è diametro pugnet cum lege, quæ nullam explicationem admittit, refe-

rendum

rendum est ad Principem, *l. 1. fin. C. h.* Aliàs, si lex admittat ampliationem aut limitationem, ex æquitate mollienda durities, vel verba restringenda sunt, *l. 4. in fin. ff. de eo quod cert. loc.*

Quid statuendum de antinomiis?

Pessimè merentur de studio & studiosis Iuris, qui eas temere admittunt. Præstat subtili animo diversitatis rationes discutere, qua fieri possit. Est enim sæpe novum inventum, vel occulte positum, quod dissonantiæ querelam dissolvit, *l. 2. §. 15. C. de Vet. Iur. enucl.* Multum diversitati temporum, multum justæ interpretationi dandum est. Sæpe distinguitur. 1. Inter Ius [a] Canonicum & Civile. 2. Inter Feudale & Commune. 3. Inter singulare & commune jus. 4 Inter diversas materias. 5. Inter rationes; alia enim superior, alia inferior, alia privata, alia publica. 6. Inter substantialia rerum, naturalia & accidentalia. 7. Inter diversos considerandi modos. 8 Inter verba & mentem. 9. Inter mentem legis, ejusque extensionem & interpretationem. 10. Inter dictum simpliciter & secundum quid, sive sit antecedens sive consequens, sive quid aliud, quod præsupponitur. 11. Inter factum & jus. 12. Inter æquitatem, sive utilitatem rerum gerendarum, & strictum vel directum jus. 13. Inter juris regulam & consuetudinem. 14 Inter fieri per se & per accidens. 15. Inter fieri primario, necessario, & per consequentiam. 16. Inter jus corrigens & correctum. 17. Inter Ius, quod directò probat, & indirectò, sive per argumentum. 18. Inter dictum dispositive & interrogative. 19. Inter dictum narrative aut enunciative, & decisive. 20. Inter rationem & ipsam legem. 21. Inter dictum consilii causa, & dispositive. 22. Inter dictum absolute & comparate. 23. Inter in rem & in personam: sive inter reale & personale. 24. Inter abstractum & concretum. 25. Inter permitti simpliciter, & ex necessitate. 26. Inter fictionem, similitudinem juris, & veritatem, vel etiam inter rem præsentem & spem. 27. Inter hominis opinionem & veritatem. 28. Inter hominis & legis provisionem. 29 Inter legis provisionem

visionem absolutam, & eam quæ est in subsidium. 30. Inter causam & effectum. 31. Inter totum & tantum. 32. Inter materiam & certum corpus, &c.

[a] In plurimis Ius Canonicum differt à Civili, ut in materia usurarum, jurisjurandi, computationis graduum, nuptiarum, præscriptionum, & in ordine judiciorum; Cum autem quæritur quid sequi debeat, pro Iure Civili est respondendum, nisi probetur in praxi per consuetudinem ea, quæ depromuntur ex Iure Canonico recepta esse.]

DE STATVTIS.

Quid sunt statuta?

Accipiuntur, vel pro uniuscujusque populi, etiam ejus qui majestatem habet, legibus, vel pro municipali jure.

Potestne unumquodque municipium sibi condere legem?

Nequaquam suo jure, sed tunc demum, cum Superior concessit, vel confirmavit, vel non interest Superioris, & nihil fit contra legem publicam, *arg. l. 1. D. de usur. l. 3. §. 5. D. de sepulchr. violat.* Potest & fieri statutum à municipibus in iis, quæ pertinent ad administrationem bonorum municipii, *l. t. D. de decret. ab ordin. fac.*

Quomodo statuta sunt interpretanda?

Ut ipsæ [a] leges: si contra jus commune quid iis disponatur, non facile fiet extensio de casu in casum, sed in casu omisso sequi oportet jus commune.

[a] Statutum aliquando consentit Iuri Communi, hoc casu interpretationem habet ex Iure Civili, *Gudelin. de Iure Noviss. l. 4. c. 13. vers. conveniunt.* Si autem discrepet à Iure communi, tunc suam habet interpretationem si verba patiantur, vel ratio dictet ex sese, vel ex consuetudinibus vicinorum locorum, uti notavit *Goris lib. 4. adversar. de different. Iuris cap. 1. n. 2. Christin. vol. 2. decis. 16. n. 2.*]

Qui obligantur ex statutis quæ valent?

Omnes subditi, quinimo & ipsi statuentes, *l. 9. ff. de Iust. & Iur.* Advenæ vero, vel extranei, non aliter, quam si vel ratione rerum in iis, quæ ad res pertinent

tinent, vel ratione contractus aut delicti, vel alia, forum ibi sortiantur, *arg. l. 1. §. fin. ff. de vent. insp. l. 6. ff. de Evict. l. 50. §. 3. ff. de legat. 1. Nov. 69. Auth. qua in Provincia. C. ubi de crimin. ag. op.*

Possuntne collegia approbata condere statuta?

Non ad quarumlibet causarum decisionem, sed in iis, quæ sunt suæ professionis, & artis, & quoad ea, quæ ad collegiatos spectant tantum, *l. final. C. de Iurisdict. l. 2. §. fin. C. d. const. pecun.*

DE PLEBESCITIS.

Quæ jura fuerunt apud Romanos Plebescita?

Jura à plebe, sine Senatoribus & Patriciis lata. Hæc ex se non habuerunt autoritatem juris, sed tantum qua recepta fuerunt, primum lege Horatia, post Hortensia.

De Senatus-Consultis, Tit. 16. Lib. 1. Cod.

Quid sunt Senatus-Consulta?

Iura à Senatu [a] constituta. non tantum in libera republica, in certis & singularibus causis, *l. 9. ff. de legib.* ex necessitate: quia populus ita erat auctus, ut non facile convenire posset, *l. 2. §. 9. ff. de Orig. Iur. §. 5. Inst. de Iure natur. gen. & civil.* sed & occupata, cum Principes vel bellis impliciti essent, vel causam ad Senatum remitterent, vel in Senatu legis sanciendæ causa orationes haberent, vel ipsimet ita constituerent, *l. 19. ff. de rit. nupt. l. 8. C. de legib. l. un. C. h.*

[a] Hodie supremæ Curiæ, quæ justitiam administrant, legem ferre non possunt, licet in pretio sint non vili res ab iis judicatæ, *Coren observat. 30. n. 2. 3. 4. Zypæus de notit. I. Belg. tit. de legibus v. igitur, Christin. vol. 1. decis. 1. n. 2. & vol. 2. decis. 51. n. 5.*]

Tit. 4. De Constitutionibus Principum. Tit. 14. Lib. 1. Cod.

Quæ sunt Principum Constitutiones?

Leges latæ à Principibus, in quos omne imperium summum fuit collatum. Principes enim cum, *animo condendi legem,* quid edicunt, consulentibus respondent, rescribunt ad preces, decernunt, interloquuntur,

tur, Ius constituunt, *l.* 1. *ff. h. s.* 6. *Inst. de Iur. natur. gent. & civil.*

A quo tempore ligant Constitutiones?

A duobus mensibus post [a] promulgationem, *Novell.* 66. *cap.* 1. nisi aliud spacium fuerit comprehensum: uti trium mensium, *Nov.* 58. *in præf. vers. sciant.* vel probari possit, quod in constitutionem delinquens ante lapsum duorum mensium eam non ignoraverit.

[a] De hac re videri potest *Coren observ.* 1. ubi de necessitate promulgationis & de modo ac effectu fusè disserit.]

Quomodo distinguuntur Constitutiones?

Sunt aliæ generales, quæ omnes tenent: aliæ speciales sive personales, quæ ad certas personas referuntur, *l.* 1. *in fin. ff. h. t. d. s.* 6. Personales non egrediuntur personas, *d. l.* 1. *in fin. d. s.* 6. *l.* 2. *C. h.* at in iis, quas spectant, latissime sunt interpretandæ, *l.* 3. *ff. h. t.* modo nemini inferatur injuria aut damnum, *l.* 2. *s.* 10. *&* 16. *ff. ne quid in loc. publ.*

Estne Princeps solutus legibus?

Majestas, quam dirigit Princeps, est lege [a] positiva superior. Quoad majestatem igitur solutus est, *l.* 31. *ff. de legib.* sed non quoad ea, quæ ad personam ejus privatam pertinent, *l.* 4. *C. de legib. l.* 23. *ff. de legat.* 3. Deinde, si tyrannus esse velit, quis eum coërcebit? at verecundia Principis non admittit, ut, quod turpe est, committat, *d. l.* 4. *d. l.* 23. *s. fin. Inst. quib. mod. test. infirm.*

[a] Vide *Merulam lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 5. *n.* 5.]

Estne Princeps solutus solemnitatibus?

Sive ipse suo nomine, sive alius cum vel coram eo quid agat, non opus est ulla solemnitate, *l. sancimus*, 34. *s.* 1. *& auth. seq. C. de donat. Nov.* 52. *cap.* 2. *l. omnium* 19. *C. de Testam.* Secus, si privatus in commodum Principis negotium gerat: tunc enim, quod non est solemniter factum, nullum habet effectum, uti de testamentis rescriptum est, *l. ex imperfecto.* 3. *C. de Test. s. fin. Inst. q. mod. test. infirm.*

De Mandatis Principum, Tit. 15. Lib. 1. Cod

Quæ sunt mandata Principum?

In genere quælibet jussa: at in specie ea, quæ pro re nata in singularibus causis ad magistratus diriguntur: vel etiam sunt officii instructiones, quibus forma reip. administrandæ, vel quid expediendum, præscribitur. Mandata in specie accepta hoc habent peculiare, quod iis non credatur, nisi per literas probentur, *l. 1. C. h.* quod constitutum est ob potentiorum libidinem & concussionem refrænandam, fraudisque suspicionem tollendam.

Estne ulla exceptio?

Et, si de judice, adsessore, vel collega Iudici dando, de actorum editione, de lite celeriter terminanda, allegetur mandatum, *l. 2. C. h.*

Quid juris in legatis?

Hi non ipsa mandata, sed literas fiduciæ, quas credentias appellant, exhibere tenentur.

De Precibus Imper. offerendis, Tit. 19. Cod. Lib. 1.

Quæ sunt preces Imp. offerendæ?

Libelli, quibus supplicantes desideria sua Imperatori proponunt.

De quibus licet supplicare?

De omnibus, nisi tertii jus lædant, fisco damnosa, vel juri expresse sint contraria, ac petenti non proficiant, *l. 3. l. 7. C. h. t.* vel jure ordinario obtineri possint, *arg. Nov. 17. c. 3.* vel adversentur utilitati publicæ, *d. l. 3. C. h.*

Estne opus, ut quis ipsa instrumenta, in quibus se supplicans fundat, addat?

Non, nisi ratio justa aliud exigat. Debet verò summa ac vis eorum exacte exprimi, *l. fin. C. h.*

Licetne contra sententiam Supremi Senatus supplicare?

Non quidem appellare, *l. 1. §. 1. ff. à quib. non est appell.* sed supplicare per modum revisionis, vel propositionis erroris, aut ex alia causa quem posse, non dubi-

dubitandum; tantum autem semel in eodem negotio. *l. 5. C. h. t.* Debet autem revisio contra supremi Senatus sententiam peti intra 10 dies, in hunc effectum, ut impediatur executio, nisi præstetur cautio [a] de restituendo: aliàs post decennium, intra biennium, potest offerri supplicatio Principi ad revisionem, ac fiet executio sine satisdatione, *Nov. 119. c. 5. & auth. Quæ supplicatio C. h. t.*

[a] Cautio hæc de restituendo apud Ultrajectinos non fit vel per pignora vel jurato, sed tantum per fidejussores, ut notavit *Radelandius decis. Ultraject. 64. & seq.* videtur etiam quid simile esse in Hollandia, ut colligere est ex *art. 279. & seq. Instruct. Curiæ Holland.*]

Quando libellus Principi datus litiscontestat. faciat. Tit. 20. Lib. 1. Cod.

Operaturne libellus Principi oblatus litiscontestationem?

Actiones, quæ morte intereunt, dantur adversus hæredes: uti & temporales, prætoriæ annales, perpetuæ fiunt, si imperatori libellus sit oblatus, & is ad eum rescripserit, *l. 1. 2. C. h. l. 33. C. de donat.*

Ut lite pendente vel post &c. Tit. 21. Lib. 1. Cod.

Licetne lite pendente supplicare?

Permissum est ante litem [a] contestatam, sed non post, *l. 1. C. h. t.* ne per rescriptum Principis litigator circumscribatur. Ita nec post appellationem, quia lis secundæ instantiæ etiamnum pendet: multoque minus, si sententia transierit in rem judicatam, sive non appellaverit condemnatus, sive aliter acquieverit. In omnem litis æstimationem condemnabitur & infamis fiet, qui appellatione neglecta contra sententiam supplicaverit, *l. 2. in fin. C. h.* scil. sine justa causa.

[a] Hic titulus, sive hoc jus, ut & pœna supplicationis incongruæ hodie cessat, licet enim omni tempore supplicare, vel ut in integrum fiat restitutio, vel

ob similem causam, *Christin.* vol. 2. decis. 73. n. 5. 9. *Zypæus de notit. I. B. ad tit. de in integ. restit.* quæ tamen ita sunt accipienda, ut cum supplicatio fit lite pendente, vel post rem judicatam, mentio fiat litispendentiæ vel sententiæ, *Christin.* d. loco, *Mynsingerus lib. 4. observat. 26.*]

Estne exceptio ab hoc jure?

Licet supplicare pendente lite, ut 1. acta exhibeantur. 2 Lis terminetur. 3. Alius Judex adjungatur, *l. 2. C. h. Nov. 113. c. 1.*

Si contra jus vel utilit. publ. &c. Tit. 22. Lib. 1. Cod.

Qui rescriptum ad preces impetravit, quid aget?

Debet Judici offerre; Iudex autem, imo etiam omnis is, cui non tantum cognitio, sed executio est demandata, *l. 4. C. h. t.* permittet precum argui falsitatem [a] sub pœna *l. 3. C. h. t.* nec aliter parietur executioni mandari rescriptum, quam causa cognita. In causæ cognitionem veniunt hæc: 1. An pugnet rescriptum cum utilitate publica. 2. An per [b] mendacium, vel veritate suppressa, fuerit postulatum & impetratum 3. An rescriptum jus tertii lædat. 4. An repugnet juri. Si itaque quid pugnet cum publica utilitate, id rejicietur, *l fin. C. h. t.* Si mendacii convincatur supplicans, non tantum carebit impetratis, sed & vel pœna [c] falsi, vel alia extraordinaria punietur, *l. 5, C. h. l. 29. ff. ad. l. Corn de falsf.* Si autem juri, quod tertio quæsitum est, vel legibus contrarietur, non admittendum, *l. 7. C. de prec. Imp.*

[a] Ita *Christinæus Decis. 74. n. 1. & seq. Gail lib 1. observat. 14 Mynsing. lib. 5. observ. 97.* [b] In rescripto autem continente plures gratias subreptio in una non vitiat in aliis, *Gail. lib. 1. obs. 66. n. 11.* [c] Hæ pœnæ hodie magis sunt arbitrariæ.]

De diversis Rescriptis, & Pragmat. sanction. Tit. 23. C. Lib. 1.

Quomodo distinguuntur Rescripta Principis?

Varie. 1. Sunt Annotationes & subscriptiones ad libel-

libellos supplicantium breves, vel Epistolæ prolixiores, vel pragmaticæ sanctiones, quibus tractatu & consilio adhibito ad proposita respondet Princeps, maxime, cum provincia, civitas, aut quælibet universitas supplicavit. *l. fin. §. 1. C. h. t.* 2. Sunt generalia, vel personalia. 3. Sunt Temporalia, vel perpetua. 4. Iustitiæ, vel gratiæ.

Quæ sunt Justitiæ?

Quibus de jure causæ secundum jus commune respondetur, vel Iudex datur ad cognitionem aut decisionem Litis.

Quæ sunt gratiæ?

Quibus alicui quid ex gratia indulgetur, vel remittitur. Ideoque non facile in causam horum inquiritur, si administratio vel dignitas concedatur. Etenim Sacrilegium principalibus obviare beneficiis, *l. 5. C. h. t.*

Rescripta Iustitiæ suntne perpetua?

Sic [a] videtur, *l. 2. C. h. t.* nisi tempus certum iis fuerit comprehensum, *d. l. 2.* At Iure Canonico, *c. 9. 23. x. h. t.* statutum, quod, si diversi diversa rescripta impetraverint, & prior impetrans non fuerit usus suo rescripto intra annum, dolo vel negligentia, posterior suo uti possit, ne malitiis indulgeatur.

[a] Rescripta justitiæ hodie post annum debent renovari, secundum J. Canonici dictamen, *Zypæus ad. h. tit. in fine.* Si autem quis impetravit literas apprehensionis, is etiam iis potest uti post annum, quandoquidem apprehendendi occasio semper non est parata, *Zypæus ibid. Christin*, vol. 2. decis. 78. *Guido Papa decis.* 135. *n.* 2.]

Debetne aliqua clausula inseri rescriptis?

Jure Civili est addenda: si preces veritate nitantur, *l. fin. C. h.* verum, ea clausula Jure Canonico, *c. 2. extr. h.* & consuetudine [a] subintelligitur.

[a] Ita *Christin. vol 2. decis. 76. n. 1. Gail. lib. 1. observat.* 14. ubi dat etiam limitationem.]

Quæ exceptiones possint per rescriptum obtineri?

Tantum [a] dilatoriæ, non peremtoriæ, *l. 4. C. de precib. Imp. off.* sic conceduntur quinquennales aut

minores induciæ debitoribus ære alieno oneratis. [a]Moratoriæ seu dilatoriæ exceptiones, belgicè brieven van respijt, hodie in Hollandia conceduntur à suprema Curia, *art.* 23. *Instruct. Curiæ.* sed literæ quas appellant brieven van inductie concedi possunt etiam à Provinciali Curia.]

Quare magis dilatoriæ, quam peremtoriæ?

Quia in modico tempore non est magnum præjudicium, *l. si Debitori* 21. *ff. de Iudic.*

Quomodo sunt concedendæ induciæ?

Non aliter, quam datis [a] fidejussoribus, *d. l.* 4. *C. de precib.* ne in totum creditoribus suum adimatur. [a] Idem constituit Carolus V. edicto suo promulgato 19 Maji 1544. *art.* 32, *&* 35. & in Belgio etiam obtinet, *Grotius lib.* 3. *sect.* 51.]

Competuntne induciæ quoque fidejussoribus?

Non videtur, quia hoc beneficium est personale. Et personales exceptiones non dantur fidejussoribus, *§. fin. Inst. de replic. l.* 7. *pr. & §.* 1. *ff. de Except.* quod verum est, sive fidejussores renunciaverint beneficio discussionis, sive non.

Quomodo debet fieri insinuatio rescriptorum?

Authentica ipsa, sive originalia, non exempla, sunt insinuanda, *l. sancimus* 3. *C. h.* ne fraus committatur, vel de ea commissa sit suspicio, *arg. l.* 2. *in fin. ff. de Fid. Instr.*

Quid, si rescriptum ad unius personam in causa communi supplicantium sit directum?

Omnibus [a] proderit, *l.* 1. *C. h.* Nam rescriptum generaliter referendum est ad ea, quæ libello sunt proposita, ut, quod in una persona æquum est, simul æquum videatur in altera.

[a] Hoc & moribus obtinet.]

Oportetne præcise obedire rescriptis?

Si non satis æqua videantur, Princeps instruendus, & interim executio differenda, *Novell.* 17. *c. deinde* 4. Et, si Princeps perseveret in proposito, & contra legem Dei, aut jus naturæ certissimum sint impetrata, non est iis parendum, *l. rescripta* 7. *C. de precib. l.* 15. *in fin. ff. de Constit. Inst. l. fin. C. si contra jus vel util.* Plus enim

enim Deo, & honestatis divinis præceptis dandum, quam homini male agenti. Sin autem sint contra jus civile positivum, vel ambitiose quid sit mandatum, tandem, cum Princeps rationes non audit, iis est obtemperandum: quia publice interest, ne facile principis, penes quem est summum rerum arbitrium, authoritas convellatur, *arg. l. 65. §. 2. ff. ad SC. Trebell.* Præstat, cum corrigi non potest, æquo animo minus probabilem sententiam ferri, *l. 27. §. 2. ff. de recept. arb.*

De Statuis & Imaginibus. Lib. I. Cod. Tit. 24.

Possuntne & statuæ in honorem alicujus erigi sine rescripto?

Nequaquam, *l. 1. C. h.* Et, si Judici vel alii magistratui à Principe is honor sit impetratus, is, ad cujus honorem erigenda est, impensas subministrabit, *l. 4. C. h.* nihilque ex ærario publico, vel ex privatorum collectis ad hoc desumetur. Licet enim virtutum præmia tribui bene merentibus conveniat, aliorum tamen honores aliis damnorum occasiones fieri non oportet, *d. l. 4.*

De his, qui ad Statuas confugiunt. Lib. I. Cod. Tit. 25.

Quid beneficii consequuntur, qui ad Principum statuas confugiunt?

Si certas habeant causas (uti metus, injuriæ) jure ac legibus [a] defendentur. Si artibus suis invidiam inimicis creare destinent (ne inde, unde jura nasci debent, injuriæ fit occasio) ultrix in eos sententia proferatur, *l. un. C. h.*

[a] Hoc jus hodie in desuetudinem abiit, *Christin. dec. 80.*

DE EDICTIS PRÆTORVM.

Quæ sunt Edicta Prætorum?

Iura, quæ Prætores adjuvandi, supplendi, vel corrigendi juris civilis causa introduxerunt, *l. 7. §1. ff. de Iust. ac Iur.* Sæpe enim Ius Civile Prætores id conservantes vel confirmantes faciliori quadam via ad exitum

deduxerunt. Sæpe quod in lege nimis erat generale, bono & æquo restringentes in melius reduxerunt, &, quod nimis angustis cancellis inclusum, dilatarunt, & suppleverunt ex similibus, *§. 2. Inst. de hered. qual. & diff. l. necessarii. §7. ff. de acq. vel omitt. hered. l. posthumus 12. ff. de Injust. rupt. §. 6. Inst. quib. mod. test. infirm. l. 10. & seqq. ff. de legib. l. 2. §. 13. ff. de Orig. Iur.*

Potuerunt ergo Prætores legem scriptam mutare?

Non in totum mutandi legem, qua expressa decisio continebatur, *l. 12. §. ff. h. t. l. 3. ff. unde legit.* sed emendandi justa interpretatione, quoties lex id desiderabat, potestas iis fuit concessa, *d. l. 7. §. 1. ff. de Iust. & jur. §. 3. versic. media Inst. de leg. agn. success.*

DE RESPONSIS PRVDENTVM.

Quæ sunt responsa Prudentum?

Sententiæ & opiniones eorum, quibus specialiter permissum erat à Principibus de jure respondere, Tanta autem erat efficacia responsorum, ut judici non liceret ab iis recedere, *§. responsa 8. Inst. de Iur. nat. gent. & civi.*

Estne hodie tanta Consultorum authoritas?

Nullo [a] modo. Nec Iudex tenetur ea sequi. *arg. nemo. 13. C. de sent. & interloc.* Sed, si quis pro se duorum vel trium eminentium Doctorum consilia habeat, non facile in impensas condemnabitur. Nec adeo peccat, qui credit iis, quos Superiorum authoritas peritos rerum enunciat, *arg l. septimo 12. D. de stat. homin.*

[a] Vide *Zypæum ad tit. de legibus vers. leges, constitut. &c.*]

Quid de glossa & opinionibus communibus statuendum?

Ex hisce probabilis quidem, sed nulla certa probatio est. Non enim æstimandum ex multitudine authorum, quid melius aut æquius est. *§. 6. Const. Deo auctore de concept. Digest.* Nec ex aliorum sententia aut exemplis judicare, *d. l. 13. C. de sentent. ac interlocut.* sed Iudices oportet veritatem, & legum & justitiæ sequi vestigia, *d. l. 13.*

[a] Videa-

[a] Videatur de hac re, *Gail lib. 1. obs. 153. n. 6, 7. & Carpsovius lib. 3. p. 7. resp. 67. n. 9. & lib. 6. tit. 7. resp. 70. n. 7.*]

Atqui à pluribus perfectius potest haberi veritas, l. fin. C. de fideicomm. Et I Consulti veteres, ipsique Imperator, communem sententiam secuti, l. 4. ff. de his q. not. inf. l. 12. §. 27. D. de inst. & instr. l. 17. de Iur. patran. Convenitque, jus esse certum & juvari interpretatione Prudentum, l. 2. §. 5. 13. ff. de Orig. Iur.

Facta melius probantur per plures, *d. l. fin. C. de fideicomm.* non Iura. Sæpe deterioris sententia, multas & majores, pondere rationis superare potest, *d. §. 6. Const. de concept. Dig.* Assolentque Doctores se invicem sequi, non recte pensitatis omnium rerum momentis, sed ut grus gruem. Deinde Imperator ac I Consulti aliorum sententiam sunt secuti, non eam recipientes pro jure certo, sed approbantes, vel potius allegantes, ad ostendendum consensum. Ita in responsis allegamus aliorum authoritates, non quia ex iis jus metimur, sed magis confirmamus. Deinque, etsi utile sit, jus esse certum in omnibus, & jura juvari per interpretationem: non tamen quis hinc deducet, glossam & communes sententias pro jure recipi oportere.

Quæ sit longa consuetudo. Tit. Cod. 53. Lib. 8.

Quod est jus non scriptum?

Est, quod sine expressa sanctione comprobatum est tacito consensu, longoque usu; diciturque consuetudo, *l. de quibus 32. §. 1. ff. de legib.* Distinguitur à lege scripta quod lex expresso suffragio, consuetudo tacito introducatur, *d. l. 32. §. 1.*

Quid proprie facit consuetudinem?

Solus tacitus utentium consensus, *d. l. 32. §. 1.* quem non ex certo actuum vel annorum numero definiri oportet.

Atqui sæpe fit mentio frequentiæ actuum, l. 1. C. h. & longi temporis.

Id fit propterea, quia vix potest introduci ac probari

aliter, quam ex frequentibus actibus, ac longi temporis lapsu. Interim tot actus, tot anni desiderantur, quot Judici pro re nata sufficere videntur. Debent autem actus esse uniformes: observatio enim fluctuans non inducit consuetudinem. Si autem contra inveteratos mores uno ac altero casu contrarium sit observatum, non redditur fluctuans consuetudo. quod enim semel vel bis fit, prætereunt Legumlatores, *l.* 3. *& seqq. ff. de legib.*

Requiriturne & consensus vel scientia Principis?

Nequaquam. Sufficit, modo non contradicat. Dum enim legem non condens patitur populum certis moribus uti, & ipse idem velle existimandus est, *arg. l.* 18. *ff. mand. l.* 1. *C. de patr. potest. c.* 1. *de Const. in* 6.

Quid de Iudicio contradictorio statuendum?

Sequi quidem oportet, quod in eodem controversiæ genere frequenter & uniformiter est judicatum, *l.* 1. *C. h.* & primo quidem explorandum est, an contradictorio aliquando judicio consuetudo sit confirmata, *l. cum de* 34. *ff. de legib.* Verum, præcise non requiritur [*a*] contradictorium judicium. Non enim valet consequentia: sequimur & exploramus judicia contradictoria, ergo sine contradictorio judicio non inducitur consuetudo.

[*a*] Ita decisum est à Curia Ultrajectina, ut notat *Radeland. decis.* 13. *n.* 4.]

Qualis debet esse consuetudo?

1. Consentanea justæ rationi, *l.* 39. *ff. de leg. l.* 2. *C. h. t.* 2. Generalis: cum pro lege, cujus requisitum est, ut generaliter constituatur, *l.* 8. *D. l.* 9. *C. de legib.* valere debeat.

Quid, si discrepantes sint variis locis consuetudines?

Sequi oportet, si de eo casu nulla sit lex, consuetudinem ejus (*a*) loci, ubi contractus est celebratus, *arg. l.* 34. *D. de Reg. Iur.* Sin autem de eo sit lex, consuetudo loci specialis, nisi magistratui ejus loci sit potestas condendi legem, non attenditur, *l.* 1. *D. de usur.*

(*a*) Ita ex. gr. si quis testamentum condat eo loco, quo pauciores requiruntur solennitates, quam in eo quo sunt bona sita, valebit hoc testamentum ubique,

que, *Gail lib. 2. obs. 123. n. 3.* cujus rei fundamentum est in *l. 6. ff. de evict.*]

Debetne quis à pœna excusari propter pravam peccandi consuetudinem?

Nequaquam, si sint delicta gravia, pugnentque cum naturæ legibus, *c. flagitia caus. 32. q. 7.* Imo ob delictorum frequentiam exasperari pœnam convenit, *l. 16. in f. l. 28. §. 10. D. de pœn. l. 1. D. de abig.* Verum, in illicitis mero jure positivo, aut levioribus, consuetudo sæpe facit licitum, quod aliàs illicitum *arg. c. objiciuntur caus. 32. q. 4.*

Debetne probari consuetudo ab eo, qui eam allegat?

Omnino, cum facti sit. Probatio autem ejus fit per testes & instrumenta; melius per testes plures, quam duos aut tres, & exactius, si illa, ex quibus consuetudo oritur, distincte asserant testes.

Quis est effectus consuetudinis?

1. In negotio, de quo lex (*a*) nulla est, inducit jus, *l. 32. §. 1. & seqq. ff. de legib.* 2. Legem obscuriorem interpretatur, *l. si de interpretatione 37. ff. eod.* 3. Legi (*b*) derogat; imo & eam tollit, *§. pen. Inst. de Jur. nat. gent. & civil. d. l. 32. §. 1.*

(*a*) Quid ergo si non sit lex vel certa consuetudo? Resp. Solet recurri ad vicinorum mores, *cap. 16. extra de consuetud. Grotius lib. 2. manud. Sect. 45. Christin. vol. 2. decis. 28. n. 13. Goris adversar. tract. 4. de differ. §. 1. n. 2.* (*b*) Si autem lex simul observetur, consuetudo nihil valet, licet sit 50. & plurium annorum; ita judicatum Mechliniæ tradit *Christin. vol. 1. decis. 291. n. 3.*]

Quomodo consuetudo tollit legem?

Non aliter, quam si lex in desuetudinem abierit, contrariaque consuetudo observetur, *d. §. pen. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Nam, licet magna sit authoritas consuetudinis ususque longævi, non tamen est tanta, ut legem, sc. quæ est in viridi observantia, vel rationem, possit vincere, *l. 2. C. h. t.*

Cur dictum: cum in desuetudinem lex abiit, & contraria consuetudo observatur?

Quia sola desuetudine lex non abrogatur: Tempus enim per se non mutat rerum substantiam, *l. viam 2. ff. de via publ.* Verum, contraria opus est consuetudine, ut tacitus consensus populi ex frequentia actuum colligatur. *d. l. 32. §. 1. ff. de Ll.*

Quomodo consuetudo mutatur?

Vel lege lata, vel contraria consuetudine, *l. fin. ff. de constit. princ.*

De Statu Hominum, Tit. 5. Lib. 1. D. De Jure Personarum, Tit. 3. Lib. 1. Inst.

Quæ sunt Juris objecta?

Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, *l. 1. ff. h. t.*

Quod jus pertinet ad personas?

Quod agit de sexu, de statu, de ætate, aliaque conditione personarum.

Quomodo distinguuntur ratione sexus?

Sunt vel mares, vel fœminæ. Hermaphroditos ejus sexus æstimamus, qui in iis prævalet, *l. quæritur 10. ff. h. t.*

Quorsum opus est hac distinctione, cum naturæ accusatores sint, qui distinguunt inter maris & fœminæ jura, l. maximum 4 C. de lib. præt.?

In successionibus, aliisque, in quibus eadem est ratio maris ac fœminæ, de quibus *d. l. 4.* agit, nulla differentia est statuenda. Cæterum, cum in publicis, tum in privatis, ob diversam inter eos rationem, diversum est jus. Ita masculus familiam conservat, tanquam princeps, *l. familiæ 196. pr. & §. 1. ff. de Verbor. signif.* Fœmina est paternæ familiæ finis. *l. 195. §. fin. ff. eod.* Masculus ad officia civilia admittitur, & in majori est dignitate, *l. 1. ff. de senator.* Fœminæ arcentur à publicis, *l. 2. ff. de Reg. Iur.* atque à marito suum habent decus & nomen, *d. l. 1. §. 1. l. 8. ff. de senat.* Masculi nomine ordinario comprehenditur fœmina, *l. 6. pr. & §§. seqq. ff. de testam. tut.* non fœminæ masculus, *l. si ita stt. 45. §. 1. ff. de legat. 2.* Non facile

subve-

subvenitur masculis. Fœminis [a] autem ob imbecillitatem sexus, multis de causis: in juris ignorantia, *l.* 9. *ff. de jur. & fact. ignor.* in fidejussionibus, *l.* 1. *& t. t. ff. & C. ad SC. Vellejan.* in pœnis, *l. sacrilegii* 6. *pr. ff. ad l. Jul. pecul. l.* 38. *s.* 2. 7. *ff. ad l. Jul. de adult.* Masculus tenetur filias dotare, *l.* 19. *ff. de rit. nupt. l.* 3. *C. de dot. promiss.* Non ita fœmina, *d. l.* 3.

[a] Hac de re eleganter scribit *Gœddeus ad l.* 1. *ff. de verb. signif.*]

Quomodo homines ratione status distinguuntur?

Sunt alii liberi, alii servi, *pr. Inst. h.* Adscriptitii, licet habeant nonnulla liberorum privilegia; Statu liberi, licet spem libertatis obtinendæ certam habeant, revera sunt servi.

Quid est Libertas?

Naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur, *l. libertas* 4. *ff. h. t.*

Quid est servitus?

Constitutio [a] Iuris gentium, qua quis dominio alieno subjicitur contra naturam, *d. l.* 4. *s.* 1.

[a] Servitus, ut notum est, hodie exolevit moribus nostris, adeo ut si hic allatus sit aliquis, qui emptus est, cum servus esset apud alium populum, dicendus sit liber, *Christin. vol.* 4. *decis.* 80. *n.* 2. *& seq. Gudelin. de J. Noviss. lib.* 1. *c.* 4. *Zypæus ad tit. de serv. Grotius lib.* 1. *sect.* 4.]

Quomodo fiunt servi?

Aut Jure gentium. 1. Per captivitatem, cum capiuntur in bello, *s.* 17. *Inst. de jur. divis.* 2. Per nativitatem, cum ex ancillis nascuntur. Aut jure civili, cum majores viginti annis se ad pretium participandum venire patiuntur, *s.* 4. *Inst. h. t.* vel, cum manumissi in servitutem rediguntur, ob ingratitudinem.

Estne distinctio inter servos?

Nulla, quoad statum, *s. fin. Inst. h. t.* multiplex quoad officium.

De Ingenuis, Tit. 4. Inst. Lib. 1. & Tit. 14. C. Lib. 7.

Quomodo distinguuntur homines liberi?

Sunt vel ingenui, vel libertini, *s. fin. Inst. de jur.*

personar. Ingenui sunt, qui ex matre, quocunque graviditatis tempore libera, sive pater fuerit servus sive liber, sunt nati. *pr. Inst. h.*

Quomodo distinguuntur ingenui?

Sunt vel veri, qui nati sunt liberi, vel quasi, qui jura ingenuitatis, veluti jus aureorum annulorum, restitutionem natalium, ex beneficio Principis sunt consecuti.

Quid, si ingenuus, cum putaretur esse servus, sit manumissus?

Cum manumissio non obsit conditioni veræ sive veritati, reputandus est ingenuus, *§. fin. Inst. h. t.*

Quomodo ratione ætatis distinguuntur?

Sunt vel majores, vel minores, *t. t. ff. de minoribus.*

Quomodo minores distinguuntur?

Sunt vel puberes, vel impuberes. Impuberes ordinario, masculi, minores 14. fœminæ, minores 12. annis, *pr. Inst quib. mod. tut. finit.*

Quomodo impuberes?

Sunt vel infantes, vel pubertati aut infantiæ proximi, *§. sed quod diximus* 10. *Inst. de inutil. stipul.*

Qui sunt infantes?

Minores 7. annis, *l.* 18. *C. de Iur. delib.* Hi nihil agere vel intelligere posse jure dicuntur, *l.* 5. *ff. de Reg. Iur. l.* 1. *§.* 2. *ff. de adminst. tut. l. in sponsalibus* 14. *ff. de sponsal.*

Qui sunt infantiæ ac pubertati proximi?

Nihil de hac re, nisi certis casibus, jure definitum; quapropter (cum de facto quæritur) id judicis arbitrio relinquendum, *arg. l.* 1. *fin. ff. de Iur. delib.* cum alii tardiores, alii judicio sunt promtiores.

Quomodo distinguuntur puberes?

Sunt alii plene, alii simpliciter puberes. Plena pubertas in masculis terminatur annis 18. *§.* 4. *Inst. l.* 40. *§.* 1. *ff. de adopt.* 14, in fœminis *l.* 14. *§.* 1. *ff. de alim & cibar.*

Quomodo distinguuntur majores?

Sunt vel senes, vel nondum senes. Senectutis initium non semper est certum: ergo id Iudex moderabitur, nisi lex, uti *§.* 13. *Inst. de Excus. tut.* ubi 70. &

l. 3.

l. 3. C. qui ætate vel profess. ubi 55 annorum mentio, id specialiter determinaverit.

Annon & aliter distinguuntur personæ?

Variè: prout vel corpus, vel animus & mores, vel fortuna, vel fama, vel alia spectantur.

Quomodo ob ea, quæ corpus spectant?

Sunt ægri, vel non ægri. Ægri vel toto corpore, vel in parte; vel laborantes morbo sontico, vel non sontico.

Quid hæc ad I Consultum?

Vt intelligatur, quomodo ob corporis valetudinem nonnulli obligare sibi alios, & aliis obligari, quomodo testamentum facere, aliis præesse possint, vel aliorum regimini subesse debeant.

Quomodo ob ea, quæ animum ac mores spectant?

Sunt vel mentis compotes, vel ea capti. Eorum, qui mentis sunt compotes, nonnulli iis moribus sunt prædíti, ut furiosis assimilentur. Tales sunt prodigi, *l. 40. D. de Reg. Iur.*

Quando quis dicitur furiosus, quando prodigus?

Furiosus est, qui talis est mente ac re ipsa, *l. 1. D. de Curat. fur.* Prodigus, qui prodigus declaratus est à Iudice. Furiosus si quæ gessit, nullius sunt momenti, etsi nulla declaratio Iudicis accesserit. A prodigo gesta, sunt rata, antequam interdictio facta est.

Atqui lege interdicitur Prodigo bonis, l. 1. D. de Curat. fur. l. 18. ff. q. test. fac. poss.

Lex præscribit & vult prodigo interdicendum esse bonis: verum magistratum per declaratoriam sententiam in specie ac re ipsa interdicit.

Quomodo ob ea, quæ ad fortunam spectant, personæ distinguuntur?

Sunt 1. vel pauperes, vel divites. Pauperes, cum lex deficit, non dicemus eos, quibus non sunt in bonis 50 vel 100 auri, sed eos pro re nata Iudex arbitrabitur: pariter & divites. 2. Sunt vel plebeji, vel nobiliores.

Quomodo ob ea, quæ ad famam pertinent?

Sunt vel infames, vel non. Infames, notati infamia juris vel facti.

Ali-

Aliterne distinguuntur homines?

Sunt vel miserabiles, qui commiseratione egent; de quibus *t. t. C. quand. Imp.* vel non miserabiles.

Quomodo relate distinguuntur homines?

1. Ratione potestatis. 2. Consanguinitatis. 3. Affinitatis, aliisque modis.

Quomodo secundum potestatem?

Aut publicam. ita, aut sunt magistratus, aut subditi, *l. potestatis 115. D. de Verb. Signif.* Aut privatam ita proprie quidam sui sunt juris, quidam alieni. Improprie quidam in tutela aut cura, quidam neutro jure tenetur, *pr. Inst. de Tutel.* Improprie pari modo fœminæ in potestate maritorum sunt.

De his, qui sunt sui vel alien. Jur. Lib. 1. Dig. Tit. 6. & Lib. 1. Inst. Tit. 8.

Qui sunt alieni Juris proprie?

Qui sunt in dominica vel patria potestate: Illi servi, hi filiifam, *pr. Inst. h. t.*

DE DOMINICA POTESTATE.

Quis est effectus Dominicæ potestatis?

1. Quicquid acquirunt servi, dominis cedit. 2. Domini habent pleniſſimam in servos coërcitionem. Constitutum autem est ex humanitatis ratione, & ne ob nimiam crudelitatem dominis vel reip. damnum inferatur, ut, si nimis sæviant Domini, cogantur servos bonis conditionibus (ut scilicet precium recipiant Domini, & servi non transferantur in Dominos pejores) vendere: &, si occiderint, plectantur ordinaria pœna homicidii, ut patet, *ex L. un. C. de Emend. servi. l. 1. §. 2. ff. ad l. Corn. de sicar.*

Quid de servis, quorum ministerio utimur hodie?

Non sunt in potestate, &, si male agant, dimittendi potius, quam severe coërcendi.

De Patria Potestate Lib. 1. Inst. T. 8. Lib. 8. Cod. 47.

Quæ est patria potestas?

Est potestas [a] parentum in liberos.

[a] In

[a] In hac provincia & nonnullis vicinis patria potestas exolevit, *Grotius lib. 1. manud. sect. 6. vers. De groote, Gudelin. de J. N. lib. 1. cap. 13. in fine, Zypæus de Notit. I. tut. ad ad S. C. Macedon.* id autem est accipiendum de singularibus effectibus, qui ei tributi fuerunt à jure Civili, non de reverentia; ea enim est ex Jure Gentium & ratione naturali, *l. 1. §. fin. l. 2. ff. de Iust. & I.* Apud Frisios plurimi effectus ejusdem potestatis etiamnum durant, cum nec statuto nec consuetudine sunt sublati.]

Quomodo distinguuntur liberi in genere?

Sunt vel legitimi & naturales simul, vel naturales tantum, vel spurii, vel ex damnato coitu nati, vel legitimi tantum.

Quoto mense nascuntur patribus in potest.?

A nuptiis contractis septimo, *l. 12. de stat. hom.* quinimo & 182. die, *l. 3. §. 12. ff. de suis & legit.* post obitum partis, decimo, *l. 29. ff. de lib. & posth.* vel ad principium undecimi, *arg. Nov. 39. c. 2.* In hac autem re Medicis credendum est, *d. l. 12.*

Quid. si fœmina statim ab obitu mariti ad secunda vota transierit, & nono mense sit enixa filium?

In dubio erit habendus pro nato ex secundo marito, *arg. l. 6. D. de h. q. s. vel al. jur. d. l. 29. ff. de lib. & posth.*

Suntne & inter liberos monstra recensenda?

Prodigiosa portenta, quæ ratione humana carent, non possunt liberi (a) appellari. Verum in quibus est defectus vel excessus membrorum; ast, quæ ratione utuntur, pro liberis habendi sunt, *l. 14. D. de stat. hom. l. 38. D. de Verbor. Signif. add. l. 10. §. 2. ff. de ædil. Edict.*

(a) Sed solent ut plurimum suffocari; Vide de hac re *Gœddeum ad. l. 38. ff. de verb. signif.*]

Qui sunt legitimi ac naturales simul?

Qui non tantum legitimi nati sunt; sed & quos lex plene agnoscit per legitimationem jure factam.

Suntne omnes liberi in potestate?

Nequaquam. Constituitur enim potestas vel nuptiis justis, vel legitimatione, vel adoptione.

Annon

Annon & testamento?

Nullo modo; quia morte, qua patria potestas finitur, demum confirmatur testamentum. Potest quidem quis alteri hereditatem vel legatum relinquere sub conditione, ut nomen testatoris gerat, *l. facta* 63. *§. fi vero* 10. *D. ad Trebell.* sed non, ut sit vel fiat filiusfamilias.

Quomodo justæ nuptiæ constituunt patriam potestatem?

Ex legitimo matrimonio nati sunt in potestate, nisi ipse pater sit in potestate patria alterius: hoc casu liberi, nisi emancipati fuerint, sunt in potestate ejus, in cujus & pater. *§. fin. Inst. h.* Nam, qui est in potestate, non potest alium habere in potestate, *l.* 21. *D. ad l. Iul. de adult.*

Cur dicitur, ex legitimo matrimonio?

Quia, qui nascuntur ex illegitimo, sequuntur conditionem [a] matris, *l.* 24. *ff. de stat. homin.* non, quod liberi sint in potestate matris, *§.* 3. *Inst. de qual. & diff. hered.* vel materni avi; sed liberorum conditio sit eadem, quæ est matris, extra causam potestatis.

[a] Comitum ac Baronum liberi hodie nati ex fœmina humili, magis videntur sequi patris quam matris conditionem, sed paulo habentur inferiori conditione, unde etiam barra per transversum solet duci insignibus, *Chassan. ad consuet. Burgund. rub.* 8. *§.* 3. *n.* 21. *Grotius lib.* 1. *manud. sect.* 14.

De Naturalibus Liberis. Lib. 5. Cod. Tit. 2. & Legitimatione.

Qui sunt naturales tantum?

Qui ex fœmina, cum qua non est interdictum matrimonium, quamque solus pater cognovit, extra stuprum nati sunt, veluti ex concubina.

Quomodo legitimatio constituit patriam potestatem?

Cum liberi naturales tantum, per actum legi conformem fiunt etiam legitimi, *§. fin. Inst. de Nupt.*

Cur

Cur dicitur, naturales tantum?

Quia incestuosi [a] & adulterini non possunt legitimari. *Nov. 74. c. fin. Nov. 89. c. fin.* nec spurii; quia à patre incerto sunt nati.

[a] Ex damnato coitu nati per incestum secundum jus Civile non sunt alendi à parentibus, sc. in familia, ut memoria istius turpitudinis aboleatur, *auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* sed secundum Juris Canonici dictamen omnino alendi sunt, *cap. 5. x. de eo qui alit &c. Christin. vol. 1. decis. 107. & vol. 3. decis. 129. n. 17, 18. Gail lib. 2. obs. 115.*]

Quid, si quis nisciverit, fœminam, quam cognovit, esse alterius uxorem, vel sibi sanguine junctam?

Ob bonam fidem ac favorem status legitimi liberorum, quibus nihil imputari potest, legitimatio procedet, *arg. c. ex tenore SC. qui fil. sint legit. arg. l. 3. De off. Præt.*

Sufficitne tempore nativitatis filii matrimonium posse contrahi, vel spectandum est tantum tempus conceptionis?

Inspiciendum est tempus conceptionis, vel nativitatis, utrum liberis sit utilius, *l. naper. 11. C. h. t.*

Quibus modis sit legitimatio?

Hodie per subsequens [a] matrimonium, & per Principis rescriptum. Modus per oblationem [b] Curiæ sublatus est.

[a] Licet hodie multis in locis patriæ potestatis jura cessent, & per legitimationem non constituatur patria potestas, tamen in usu sunt legitimationes, sc. in eum finem ut liberi legitimi sint, & desinant esse naturales tantum. [b] Vide *Gudelin. lib. 1. c. 16. sub finem. Zypæum ad tit. de natur. liber.*

Quomodo per subsequens matrimonium?

Jure Civili dotalia desiderantur [a] instrumenta, *§. fin. Inst. de nupt. l. 10. 11. C. h. Nov. 89. c. 8.*]

[a] Hodie cum secundum concilium Tridentinum proclamationes de nuptiis publicæ, & copulatio

latio per judicem vel pastorem necessaria sit, non requiruntur dotalia instrumenta; cum enim Jure Romano nuptiæ solo consensu fierent, *l.* 30. *ff. de reg. I.* fuit constitutum ad effectum legitimationis, ut ea non fieret sine iis instrumentis.

Quid, si liberi dissentiant, & nolint legitimari?

Non fient legitimi, *Nov.* 89. *c.* 11. Potest enim quivis favori pro se introducto renunciare, vel eum contemnere, *l. pen. C. de pact.*

Filio mortuo fiuntne nepotes, nati ex filio naturali, per matrimonium avi & aviæ subsequens, legitimi avo?

Ita videtur, *arg. l. si filium. ff. de gradib.* Uti enim succedunt nepotes post mortem patris sui avo, jure repræsentationis, ita quoque jus status legitimi, quod favorabile est, post obitum patris ab avo per ejus nuptias consequi debent.

Quomodo per rescriptum Principis?

1. Ad supplicationem ipsius patris, *Nov.* 74. *Nov.* 89. *c.* 9. siquidem non habeat legitimos, *Dd. NN.* 2. Ad preces filiorum post obitum sui patris; qui exhibent Principi paternum testamentum, quo sunt instituti heredes, *d. Nov.* 89. *c.* 10.

Fiuntne & legitimi per nominationem liberorum?

Nequaquam; sed si pater in Testamento, aliove publico vel privato, tribus munito testibus, instrumento, aut apud acta nominaverit filios, probantur in dubio legitime esse nati, *Nov.* 117. *c.* 2. aliàs, si certo constet esse naturales, sola adsertio non faciet eos legitimos, *l.* 5. *C. de Testam. conf. l.* 16. *ff. de probat. c.* 3. *x. qui fil. sint legit.*

Qui sunt spurii?

Vulgo quæsiti, ex incerto patre nati.

Qui sunt ex damnato coitu nati?

Qui ex incestu, vel adulterio, similique tali conjunctione, per leges damnata, sunt procreati.

Qui sunt tantum legitimi?

Qui per adoptionem sunt acquisiti.

Tit. 7. De Adoptionibus, Tit. 11. Lib. 1. Inst. & Tit. 48. Lib. 8. Cod.

Quid est adoptio?

Actus [a] legitimus, quo in locum filii vel alterius descendentis ex beneficio legis quis eligitur.

[a] Adoptio apud multos populos tum in Belgio tum etiam in Galliis exolevit: de Galliis testatur *Autumnus in collat. ll. C. h. tit.* Idem & *Imbert. in Enchiridio.* Sic etiam de Belgio tradunt *Gudelin.* lib. 1. c. 13. *Christin. vol. 4. decis. 185. n. 4.* Vide *Mansuer. de manumiss. vers. item si.* In Frisia autem hoc jus non ita est abolitum. Quæri solet an in iis Provinciis, in quibus jura adoptionis non vigent, obtineri ea jura possent, si quis voluerit expresse iis uti? Id affirmat *Baro ad tit. Instit h.* Negant alii; sed videtur hæc esse verior sententia, quod si in testamento tale quid sit dispositum, hoc omnino sit servandum, quia voluntas testatoris pro lege est, sed non idem valebit cum negotium inter viros geritur.]

Quotuplex est?

Est vel arrogatio; quæ est adoptio ejus, qui sui est juris; & fit tantum ex rescripto Principis: vel adoptio in specie eorum, qui sunt in patris naturalis potestate; eaque fit coram magistratu, *§. 1. Inst. h. t.*

Quid desideratur in arrogatione?

In omni arrogatione vertitur causæ cognitio, utrum minor 60 annis vel major sit, qui arrogat, *l. 15. in fin. D. h.* Nec permittendum est ei arrogare, qui tutelam vel curam administravit, si minor 25 annis sit arrogandus; ne ideo arroget, ut rationes non reddat, *l. 17. pr. h.* nisi in casu, *l. 32. §. 1. D. h.*

Quid juris in arrogatione impuberis?

Cognoscendum est, 1. an expediat pupillo. 2. an honesta sit causa arrogandi. Est autem honesta causa, si quis naturali cognatione vel sanctissima affectione ductus sit ad arrogandum, *d. l. 17. §. 1.* Deinde cavebit arrogator, se bona arrogati, si impubes is decedat, redditurum iis, qui heredes ab intestato sunt, *§. 3. Inst. h.* Nec aliter emancipabit arrogatum, nisi causa

causa cognita filius dignus emancipatione fuerit, & tunc ei reddet omnia sua bona. Quinimo, si decedens filium exheredaverit, vel vivus sine justa causa emancipaverit, tenetur præter bona, quæ ad ipsum filius transtulit, & quorum commodum postea ei acquisivit, quartam partem filio bonorum suorum relinquere, *§.* 3. *Inst. h. t.*

Qua quarta hic intelligitur?

Totius patrimonii, non legitima tantum, quod constitutum est in pœnam temerariæ emancipationis aut exheredationis.

Atqui eo modo liberi naturales minus consequi possent, quam adoptivi; quod absurdum.

Non facile permittitur ei, qui liberos habet, adoptare, *l.* 17. *§. pen. D. h.* ac deinde hæc quarta, ob injuriam, quam passus est arrogatus, præstatur filio.

Possuntne omnes adoptare?

Possunt, modo specialiter non impediantur. Impediuntur, 1. qui generare non possunt, sc. ex vitio incurabili: quibus autem vitium est temporale & curabile, possunt, *l.* 2. *§.* 1. *l.* 40. *inf. D. §.* 9. *Inst. h. t.* 2. Qui minores sunt adoptandis. Debet autem adoptans præcedere adoptandum 18 annis, h. e. plena pubertate. 3. Fœminæ; verum iis permissum ex speciali indulgentia Principis, in solatium liberorum amissorum, adoptare, non in filios fam. sed in filios & heredes tantum, *§.* 10. *Inst. h. l. §. C. h. t.*

Potestne civis alterius municipii extraneum adoptare?

Potest. Verum propterea non mutat patriam, sed & in loco originis, & in eo, ubi est adoptans, munera & honores suscipit, *l.* 7. *C. h.*

Potestne adoptare, qui uxorem non habet?

Potest, *l.* 30. *ff. h. t.* modo uxor ei esse possit: quia naturam imitatur adoptio, non actu, sed potentia.

Quos possumus adoptare?

Et qui sui, & qui alieni sunt juris. Et in locum filii, & in locum nepotis. In locum nepotis, sive ex certo filio, sive simpliciter: sive quis filium habeat, sive non, modo habere possit, *§.* 5. 6. *Inst. h. t.*

Debeme

Debetne filius, si adoptatur quis in nepotem, consentire?

Aut adoptatur nepos ex certo filio. hoc casu filius, ex quo adoptatur consentire debet, ne ei invito heres suus agnascatur, §. 7. *Inst. l. 6. ff. h.* &, si non consentiat, procedit quidem adoptio, ut sit adoptatus adoptanti nepos, sed non ut fit filio, ex quo adoptatus est, suus heres: itaque adoptatus post obitum adoptantis fiet sui juris, *l. 11. D. h.* Aut adoptatur simpliciter sine mentione certi filii. hoc casu non desideratur consensus filii, *arg. l. 7. D. h. t.* aut agnatorum, *l. 7. D. h. t.* nec post obitum adoptantis nepos erit in potestate ullius ex filiis adoptantis.

Debentne adoptandi consentire?

Omnino, *l. 5. 24. D. h. t.* Unde statuendum est, septennio minorem non posse arrogari; at majorem septennio impuberem posse ex authoritate tutoris, puberem minorem 25 annis, ex consensu Curatoris, *l. 5. D. de Reg. Iur. l. 8. D. h. t.* Ast, in adoptione in specie sufficit, modo adoptandus non contradicat, *d. l. 5. D. h.*

Quis est effectus adoptionis?

In arrogatione Arrogator non tantum arrogatum, sed & ejus liberos, quos arrogatus habet in potestate, subjicit potestati suæ, §. *illud. Inst. h. t.* In adoptione in specie adoptatum tantum. Hic nec omni casu transit in adoptantis potestatem, sed tunc demum, si ab aliquo ab ascendentibus fiat adoptio; secus, si ab extraneo, hoc est, eo, qui non erat ex superioribus, §. 2. *Inst. l. 10. C. h. t.*

Nullus ergo effectus adoptionis in specie factæ ab extraneo?

Adoptatus consequitur jus succedendi ab intestato, *d. §. 2. & l. 10.* quod per emancipationem rursus amittit.

De Effectu Patriæ potestatis.

Qui sunt effectus patriæ potestatis?

Varii, quorum nonnullos referam. 1. Potest pater dare filiofamilias, non tantum instituto, sed & exhe-

exheredato, tutorem, *l.* 4 *D. de Testam. tut.* & heredem, *§.* 4. *Inst. de pupill. subst.* 2. Nuptiæ non consistunt, nisi pater consentiat, *pr. Inst. l.* 2. *ff. de rit. nupt.* 3. Filiusfamilias, nec de profectitio, nec de peculio adventitio, sive pater ex eo usumfructum habeat, sive non, potest testari, licet pater consentiat, *l.* 11. *C. l.* 6. *D. qui test. fac. poss.* 4. Quicquid filius acquirit, patris est, *l.* 79. *D. de acq. hered.* Modo non sit castrensis peculii, vel quasi; id enim totum acquiritur filiofamilias, *l.* 2. *C. h. t. l.* 2. *D. ad SC. Maced. §.* 1. *Inst. per. q. person. cuiq. acq.* Vel non sit peculii adventitii: id enim cedit tantum quoad usumfructum patri, nisi sit is ei ademtus, *d. §.* 1. *Nov.* 117. *c.* 1. 5. Pater administrat bona adventitia filiorumfamil. etiam iis invitis, *l.* 1. *C. de bon. mater.* nec oneratur satisdatione, vel rationum redditione, *l.* 8. *C. de bon. q. lib.* 6. Nulla nascitur inter patrem & filium obligatio civilis, *§.* 6. *Inst. de inutil. stip.* sed tantum naturalis. 7. Nulla lis esse potest inter eos, *l. lis* 4. *D. de judic.* nisi certis casibus, quorum aliqui sunt expressi, *d. l.* 4. *l.* 53. *D. eod. l.* 1. *D. ad L. Iul. de annon. l.* 20. *in fin. C. qui accusa.* 8. Filiusfamilias non recte sine consensu patris contra alium consistit judicio, *l. fin. in fin. versic. necessitate. C. de bon. q. lib.* nisi certis casibus, *l.* 8. *D. de procurat. l. inter* 6. *§* 2. *ff. ad L. Iul. de adult.* 9. Pater præteriens liberos in potestate constitutos, nihil agit, *l. inter cætera* 30. *D. de lib. & posth.* 10. Filius bona, quæ patri acquirunrur, non potest alienare, *l.* 3. *pr. C. h. t.* 11. Pater potest modice ad emendationem filium castigare, &, si in contumacia perseveret filius, eum offerre Judici, dicturo sententiam, quam pater voluerit, *l.* 3. *in fin. C. h.* nisi sit atrox ab ipso facinus admissum; tunc legis præscriptum Judex sequetur, *l.* 2. *D. ad. l. Corn. de sicar.* 12. Adulterum filiæ cum filia deprehensum in sua vel generi domo, impune interficit, *l.* 20. *l.* 22. *§.* 2. *D. ad L. Iul. de adult.* Hi vero effectus omnes non uniformiter ubique observantur.

Quib.

Quib. Mod. Jus Patr. Pot. Sol. Lib. 1. Inst. Tit. 12.

Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur?

Variis. Primo, morte naturali, per quam anima à corpore dissolvitur, vel patris vel filii. Filii semper, & absolute: Patris, si filius non sit recasurus in alterius potestatem; quod fit, cum avus est mortuus, qui filium & nepotem ex filio habebat in potestate, *pr. Inst. h. t.*

Quid de servis pœnæ?

Hodie non possunt esse servi pœnæ, *Nov. 22. c. 8.*

Quis est tertius modus?

Olim sola summa Patritiatus in filio dignitas, quæ erat in consiliariis Principum, *§. 4. Inst. h.* sed jure novissimo quævis dignitas, quæ à curia liberat, *Nov. 81. c. 1. §. 1.*

Quæ dignitates liberant à curia?

1. Patritiatus 2. Consulatus. 3. Consularitas. 4 Magisterium militum. 5. Præfectura Prætoriana. 6. Præfectura urbicaria. 7. Patrocinium Fisci. 8. Principatus agentium in rebus Principis. 9. Proximatus sacrorum scriniorum *l. fin C. de decur lib.* 10. *Nov. 81. c. 1. pr.* Adde Episcopatum, *d Nov. 81. c. 3.*

Quis est quartus modus?

Captivitas patris vel filii. Verum, videtur ea magis suspendere potestatem quam finire, quamdiu captus vivit, propter jus postliminii, quo captus, si reversus fuerit, omnia pristina jura recipit vel in ea recidit, adeo ut non videatur abfuisse, *§. 5. Inst. h,*

Quid si captus, apud hostes moriatur?

Per legem Corneliam fingitur mortuus eo tempore, quo primum fuit captus, d. *§. 5.*

Quis est quintus modus?

Si pater incestas & nefarias contraxerit nuptias, *Nov. 12. c. 2.*

De Emancipationibus, Tit. 42. Lib. 8. Cod.

Quis est sextus modus?

Emancipatio. quæ nihil aliud est, quam voluntaria

ria dimissio ex potestate, *§. 6. Inst. q. mod. pat. pot. solv.*

Quomodo fit?

1. Expresse, cum pater adit judicem, & coram eo declarat suam de emancipando filio voluntatem, & filius consentit, *l. fin. C. h.* adeo ut rescripto Principis non sit opus. 2 Tacite, [*a*] cum pater diu passus est filii res ut patrisfamilias geri, sive per eos, qui testamento matris tutores nominati sunt, *l. 1. C. de patr. potest.* sive per ipsum filium. Sic etiam ex moribus, cum filius legitime contrahit (*b*) matrimonium, à potestate liberatur, *arg. Num. 30. v. 16.*

(*a*) Ita & in Saxonia, si major 25 annis separatam habuerit œconomiam, videtur tacitè emancipatus, *Carpsovius part. 2. Constit. August. 10.* idem & in hac Provincia & in Gallia, *Grotius lib. 1. manud. sect. 6. §. de onbesturvene, Christin. vol. 4. decis. 1 6. n. 11. Chassan. ad consuetud. Burgund. rub. §. 3.* sed ex sua œconomia separata non admittunt Frisii emancipationen, *Sande l. 2. tit. 7. definit. 6.* (*b*) Per matrimonium liberari à potestate receptum est & in Gallia & in Belgio, *Autum. collat. ad ll. Cod. de patr. potest. Grotius d. §. de onbesturvene, Gudelin. d. cap. 13. lib. 1. Zypæus ad tit. de SC. Macedon.* Idem obtinet in Frisia speciatim, *Sande d. tit. 7. definit 5.* & in Saxonia, ut notat *Carpsovius part. 2. constit. August. 10. definit. 2.* quoad filias sc. non filios *ibid. definit. 3. Berlichius part. 2. conclus. 11. n. 49.*]

Possunte parentes vel liberi cogi ad emancipandum?

Nequaquam, *d. l. fin. C. h.* nisi justa fuerit causa. ita cogi potest pater, si male filium contra pietatem afficiat, *l. fin. D. siquis à parent.* filiam prostituat, *l. 2. C. de Episcop. aud.* pecuniam acceperit ad emancipandum. *l. 1. §. 3. ff. si quis à par.* agnoverit legatum sibi relictum sub conditione emancipandi, *l. 92. ff. de cond. & dem.* filius arrogatus probet, se esse circumscriptum in arrogatione, *l. 32, 33. ff. de adopt.* Liberi vero possunt cogi, si partem injuria afficiant, aut gravent nimium: at, quando id fiat, Iudex æstimabit.

Finis

Estne abdicatio liberorum permissa?

Nullo modo, *l.* 6. *C. de patr. potest.* Iura enim sanguinis mutari ac tolli privato arbitrio patris nequeunt, *l.* 8. *ff. de reg. Iur.*

Quis est septimus modus?

Adoptio in specie, facta ab aliquo ex ascendentibus, *§.* 8. *Inst. quib. mod. patr. pot. solv.* Verum, hoc modo magis liberi transferuntur in alterius potestatem, quam in totum ab ea liberantur. Interim, quoad patrem naturalem, revera est solutio potestatis, *§.* 2. *Inst. de adopt.* non eorum, quæ ad successionem & reverentiam pertinent.

De Infantibus Expositis. Tit. 52. Lib. 8. Cod.

Quis est octavus modus?

Expositio [a] infantis, *l.* 2. *C. h. t.* sive facta fuerit interficiendi animo, sive non.

[a] Vide *Menoch de arbitrar. jud. casu* 396. *Clarum §. fin. Q.* 38. *n.* 7.]

Quid, si invito vel ignorante patre filius sit expositus?

Pater eum repetens, restituet, non furi, sed ei, qui bona fide ed cavit, alimenta, & sumptus in artificium addiscendum juste factos, *l.* 1. *C. h. l.* 16. *C. de nupt.*

Quæ est pœna patris exponentis?

Expendi debet causa [a] cum circumstantiis. si expositio sit facta citra necessitatem in loco deserto, ad mortis pœnam judex procedet; si ex necessitate, ubi misericordiam partui captavit, non ita solicite vindicari oportet.

[a] Vide ordinationes Criminales Caroli V. *art.* 132. *& Wesenbec. paratit. ad L. Cornel. de sicar.* num. 8.]

De Ingratis Liberis. Tit. 50. Lib. 8. Cod.

Possuntne liberi, liberati à potestate, inviti redigi in potestatem?

Non possunt, *l. fin. ff. de h. q. sunt. s. vel al. jur.* nisi fuerint ingrati; ut, si suos parentes vel atrocitate convitii, vel cujuscunque atrocis injuriæ dolore pulsaverint, *l. un. C. h.*

Quæ est potestas Tutorum & Curatorum?

Tutores tantum authoritatem habent, *t. t. Inst. Cod. & ff. de auth. tutor. l. 25. §. 4. de acq. vel omitt. hered.* Curatoribus, qui rebus impuberum administrandis sunt præpositi, *l. 20. D. d. de rit. nupt.* tantum jus consentiendi est, *d. l. 25. §. 4.* adeo, ut minores sine eorum consensu efficaciter nihil gerant, *l. 3. C. de rest. in int. minor. l. fin. §. minores 2. C. de sent. pass. & restit.*

Quæ est potestas maritorum in uxores?

Jure Civili maritus [a] quidem princeps familiæ, & in domo dominus, *l. 195. §. 1. l. 196. D. de Verb. Signif.* suo honore uxorem decorat, genere nobilitat, & ei forum & domicilium dat, *l. mulieres 13. C. de dignit.* quæ commoda & jura retinet uxor quamdiu est vidua: nupta autem denuo minoris ordinis viro, prioris mariti dignitate privatur ac posterioris mariti conditionem sequitur, *d. l. 13. l. 8. D. de Senator.* Maritus potest occidere domi suæ adulteros, secundum, *l. 24. D. ad. L. Iul de adult.* & in accusatione adulteræ uxoris privilegia habet, *l. 30. C. eod.* doris constante matrimonio est dominus, *l. 30. C. de Iur. dot.* habetque ejus vindicandæ potestatem, *l. 9. C. de Rei vind.*

(a) Maritus est legitimus curator suæ uxoris per universum Belgium, *Grotius lib. 1. sect. 5. Zypæus de tutel. in fine. Sande lib. 2. tit. 4. definit. 3.* Idem & in Britannia & aliis locis observari testatur *Argentr. ad consuetud. Britann. tit. 410. 483.*

Tit. 8. De Rerum Divisione. Tit. 1. Lib. 2. Inst.

Quæ jura sunt occupata circa res, objectum juris alterum?

Quæ directo tractant de dominiis & obligationibus.

Annon obligationes rectius ad personas referuntur?

Nequaquam. Licet enim obligationum substantia non in eo consistat, ut corpus aliquod nostrum vel servitutem aliquam nostram faciamus, sed ut persona personæ adstringatur ad dandum, præstandum vel faciendum quid, *l.* 3. *D. de obl. & act.* & per obligationes dicantur creditores ac debitores: non tamen obligationes ad personas referri possunt: quia jus personarum consistit in statu & conditione hominum; per obligationem persona personæ astringitur, non ut personæ jus sive status spectetur, sed ad quid faciendum vel præstandum, & sic ob rem. Deinde, per obligationem corpus etiam nostrum facimus, vel servitutem nostram, non quidem immediate, ut *d. l.* 3. sed mediate, qua per obligationem constituimus causam, cujus vi eum, qui nobiscum contrahit, cogere possumus, ut, per traditionem, vel quasi, corpus aliquod nostrum vel servitutem nostram faciat. Denique, quia creditores & debitores dicuntur, non ratione qualitatis alicujus personalis, sed rei, convenientius dicemus, ad jus rerum obligationes referri. Prout & obligatio potest vendi, *t. t. D. de hered. vel act. vend.* legari, *§. tam à* 21. *Inst. de legat.*

Quomodo distinguuntur res?

Variæ sunt divisiones. 1. Sunt vel divini, vel humani juris. Divini, quæ in nullius patrimonio sunt aut esse possunt: Uti res sacræ, religiosæ & quodammodo sanctæ. Humani, vel publicæ, vel privatæ, *l.* 1. *pr. D. h.*

Quæ est secunda?

Sunt vel in patrimonio sive dominio, vel extra patrimonium. Nullæ autem res eodem respectu in pa-

trimonio & extra id esse possunt, *vid. l. 1. D. de us. & usuf. leg.*

Quid est dominium?

Jus, quo res cujusque est propria. Hujus effectus est, de re authoritate propria disponere prout lubuerit, modo lex non sit impedimento.

Quomodo distinguitur?

1. Est vel nuda proprietas, vel plena. Nuda proptietas, cum res alicui est propria, sed ejus ususfructus est apud alium, *§. 1. Inst. de usuf.* Plenum dominium, cum dominio rei non abest ususfructus, *§. fin. Inst. eod.* 2. Est vel directum, quod habet dominus verus: quale est penes dominum rei emphyteuticæ: vel utile, quod est penes eum, ad quem emolumentum rei pertinet; quale est penes emphyteutam, *l. 1. D. si ager vectig.* 3. Est aliud naturale, quod competit veris dominis. ita dotis domina est uxor, *l. 30. C. de Iur. dot.* aliud civile, quod per interpretationem jures tribuitur alicui, ita maritus est dominus dotis interim, constante sc. matrimonio, & secundum actiones, quæ pro dote vel contra dotem instituuntur, *d. l. 30. C. de Iur. dot. l. 9. C. de Rei vind.* 4. Est aliud, quod alii debetur vel præstandum est, & ab alio potest avocari, *l. 66. D. de Rei vind.* tale habet venditor in re vendita, *§. 3. Inst. de empt. & vend.* aliud quod nemo suo jure potest avocare; quale habent veri Domini, qui rem alii non debent.

Quæ est tertia divisio rerum?

Sunt vel communes, vel publicæ. vel universitatis, vel nullius, vel singulorum, *§. 1. Inst. l. 2. 3. 4. & seqq. ff h.* Hæc ipsa includitur primæ rerum divisioni.

Atqui nulla mentio publicarum in l. 2. D. h.?

Sub communibus comprehenduntur, *arg. l. 4. §. 1. junct. l. 2. §. 1. l. 3. 4. & seqq. h.*

Quæ sunt communes?

Quarum quidem proprietas nullius est, sed acquiri occupando possunt, usuque omnibus vacat, *§. 1. Inst. h. l. littora. 5. D. de contr. emt.* uti sunt mare, littus, aqua profluens, aër, *d. §. 1.*

Quin.

Quinimo littus est Populi Romani. l. 3. D. ne quid in loc. publ.

Sunt populi Romani imperio, non dominio.

Quid juris cuique concessum circa mare, littus?

Omnibus licet in mari piscari, *l. 13. § fin. D. de injur.* in mare jacere pilas molesque, *l. 2. § 8. l. 3 § 1. D. ne quid in loc. publ.* & quod est supra pilas in mare jactatas ædificatum, continuo est ædificantis. quia, quod nullius est, cedit occupanti, *l. 30. § fin. D. de acq. rer. dom.* pariter & in littore licet ædificium ponere. Præstat autem requirere consensum ejus qui jurisdictioni præest, ne cum incommodo reipublicæ vel alterius quid in littore fiat, *conf. l. 14 l. 50. D. de acq. rer. dom* Quamdiu autem manet ædificium, manet quoque solum ejus, qui ædificavit: at ædificio destructo, cedit locus derelictus occupanti, *l. 14 pr. & § 1. D. eod. l. 6. D. h. t.*

Quæ sunt publicæ?

Quarum usus ad omnes in populo pertinet, & proprietas per usum vel occupationem non transfertur, sed est vel nullius, vel totius populi, vel singulorum; uti flumina, portus, ripæ fluminum, *§. 2. & 4 Inst. h.*

Quis est usus fluminum?

Vt in publicis, non [a] privatis, (de quibus *l. 1. §. 3. D. de flumin.*) navigare & piscari liceat, *§. 3. Inst. h.* Ita & in portu piscatio est permissa omnibus è populo, *d. §. 3.*

[a] Flumina & portus hodie solent referri inter regalia, *cap. unic quæ sint regalia in usib. feud. Arnisæus de jure majestatis lib. 3 cap. 5. n. 2.* hinc est quod principes sibi reservent & locent jus piscandi, *Grotius lib. 2. facit. 1. n. 15. & seqq.* de qua re sunt *Placita Ordinum 10. April. 1550. & 8. Septemb. 1552.*]

Quid, si quis diu piscatus sit in flumine?

Ex hoc solo non potest prohibere alium, *l. 45. D de usurp. & usuc.* Verum, qui in diverticulo diu est piscatus, & possessionem non amisit, recte prohibebit *l. 7. D. de diverf. & temp. præf.*

Liceatne & in flumine ædificare?

Licet, si publicus accedat consensus, & statio vel navigatio non fiat deterior, vel flumen non exaresçat, *l.* 24. *pr. D. de damn. inf. l.* 1. *s.* 12, 19, 21. *D. de flumin.*

Quis est usus riparum?

Potest quilibet ad eas naves adpellere, arboribus in iis naris religare, retia siccare, onus in his reponere, *s. riparum* 4. *Inst. l.* 5. *D. h.*

Quæ sunt res universitatis?

Quæ ad certam universitatem, collegium, corpusve pertinent. Sic, ut quilibet ex ea universitate uti iis possit, nemo autem ex singulis habeat eas in dominio, *l.* 6. *s.* 1. *D. s.* 6. *Inst. h. l.* 7. *s.* 1. *D. quod cujusque univ.*

Quæ sunt nullius?

Propriæ, quæ nullius privati sunt, nec esse possunt, *l.* 82. *D. de Reg. Iur.* Hæ vel sacræ, vel religiosæ, vel sanctæ, *s.* 7. *Inst. l.* 6. *s.* 2. *D. h.*

Quæ sunt sacra?

Quæ Deo rite sunt consecratæ; uti templa, &c. Ecclesiasticæ sunt, quæ cultui divino indirecto serviunt; uti quæ ad Ministros alendos, ad ædificia sacra sarta tecta conservanda, & alios similes usus, destinatæ sunt.

Possuntne res sacræ alienari?

Non possunt, nisi ob famem extremam, *l.* 21. *C. de SS. Eccles.* ob redemtionem captivorum, *d. l.* 21. *& s.* 8. *Inst. h. t.* & nisi sint superflua vasa, & Ecclesia sit debitrix, nec habeat unde solvat, *Nov.* 120. *c.* 10. Ecclesiasticæ vero res [*a*] mobiles, quæ servando servari non possunt, recte alienantur. *Extravag. ambitiosa de reb. Eccles. non alien.* Immobiles non aliter, quam ex legitima causa, & justo ordine

[*a*] Vide *Grot. lib.* 2. *sect.* 24. *Sande tract. de prohibita rerum alienat. cap.* 7.]

Quæ est legitima causa?

Causa est necessitas, *Nov.* 120. *c.* 6. *c. sicut. caus.* 12. *q.* 2. pietas, *l.* 21. *C. de SS. Eccles.* utilitas, *Nov.* 120. *c.* 7. *C. ut super in f. c. ad aures*, 7. *x. de rebus alien. non alien. d. c. sicut.*

Quis

Quis ordo est servandus?

Jure Civili, initium fit à rebus mobilibus, deinde ad prædia proceditur, quæ proscribuntur per viginti dies, & sub hasta venduntur, & plus offerens præfertur, *d. Nov.* 120. *C.* 10. Jure Canonico, in Ecclesia parochiali, ubi non est Capitulum, sufficit Parochum causam deferre ad Episcopum loci, ubi res alienanda est, qui causa cognita vendi tionem decernit. Sin autem ibi sit Capitulum, desideratur consensus majoris partis Cleri & Episcopi, *can. placuit.* 50. *cum* 3. *seqq. caus.* 12. *q.* 2.

Quæ sunt res religiosæ?

Quæ sepulturæ mortuorum sunt dicatæ. Ità quisque locum suum potest facere (*a*) religiosum propria authoritate: non vero per solam destinationem, sed per illationem mortui, factam eo animo, ut ibi perpetuo maneat, *l.* 40. *D. de relig. l.* 7. *§. D. h.* Adeoque cenotaphium non erit religiosum, *l.* 6. *§.* 1. *l.* 42. *D. de relig.* nec locus totus sepulturæ destinatus, sed quatenus corpus humatum est, *l.* 2. *§. sepulchrum.* 5. *D. de relig. l.* 3. *§. D. de sepulch. viol.* quod ita est accipiendum, ut, quæ juncta sunt & adhærent, simul sint religiosa.

[*a*] Hodie sepulchra pleno jure dominii habentur, ut vendi, legari, absolutè possint, *Grot. lib.* 2. *sect.* 1. *Mornac. in l.* 4. *C. de religios.* & quidem receptum est maximè in Galliis neminem facere sibi posse locum religiosum, *Autumnus in l.* 5. *ff. de religios. Mornacius in l* 2. *D. eod.*]

Qui habet jus inferendi?

In locum purum alienum, vel communem, propriumque, cujus ususfructus est penes alium, nisi certo casu, qui est *l.* 2. *§.* 7. *D. de relig.* mortuum inferre non licet: inviris sc. dominis, sociis, usufructuariis: uti nec usufructuario licet, invito proprietario, *§.* 9. *Inst. h.* In commune sepulchrum licet, etiam refragantibus sociis, *§.* 9. *Inst. h.* quia ad hoc sepulchrum habetur, *l.* 5. *pr. D. de relig.*

Possuntne vendi loca religiosa?

Possunt minime, ut profana fiant, atque ideo divi-

sioni non sunt subjecta, *l.* 30. *D. famil. erciſc.* quod enim semel divini juris factum, humani juris denuo fieri non potest.

Quomodo distinguuntur sepulchra?

Alia sunt hereditaria, alia familiaria. Hæc ad omnes ex familia, licet non sint heredes; illa ad heredes omnes, licet non sint ex familia, pertinent, *l.* 5, 6. *D. l.* 4, 8, 13. *C. de relig.* Singuli vero habent jus inferendi in solidum, *l.* 30. *D. Fam erciſc.*

Quæ sunt res sanctæ?

Quæ certa sanctione pœnali sunt munitæ adversus injurias hominum; uti sunt portæ, & muri civitatum. Constituta autem est pœna [a] capitalis in eum, qui hostili animo muros transcenderit, *l. fin. D. h. t. §.* 10. *Inst. h.*

[a] Hodie pro re nata contra violatores murorum, civitatum & portarum pœnæ constituuntur, & ut plurimum duriores tempores belli, ut notat, *Buſius in l. fin. h. tit; Zypæus de Iure Fiſci. Chriſtin. vol.* 4. *deciſ.* 149. *ſub fin.* cæterum qui ad prodendum venit, & nomine hostis muris admoverit scalas, vel eos transcenderit, committit crimen læsæ Majestatis, *arg. l.* 1. *ff. ad. L. Iul. Majeſt. l.* 5. *C. eod.* si sit hostis ultimo supplicio afficitur.]

Quid, si quis hoſtili animo muros municipiorum violaverit?

Etiam pœna capitali est afficiendus. Sunt enim & muri municipiorum sancti, *l.* 8. *§.* 2. *D. h.*

Quæ sunt res singulorum?

Quæ privatorum sunt dominio subjectæ, *§.* 11. *Inſt. h.* Et hæ, vel communes, vel confusæ, vel propriæ. Communes, sunt duorum vel plurium: Et sunt tales vel ex conventione, ut in societate; vel citra conventionem, uti, si duobus vel pluribus eædem res legatæ, aut donatæ sint. Confusæ sunt, quæ sunt nostræ, finibus indistinctis. Propriæ, quæ à singulis separatim sunt acquisitæ.

Annon & aliter res distinguuntur?

Aliæ sunt dividuæ, aliæ individuæ. Dividuæ, vel natura & re simul, sive corpore; uti res, quæ annumerantur,

merantur, & in numero consistunt: vel, quæ divisæ totum non tollunt; veluti si fundus in varias regiones dirimatur: vel ex causa præter naturam, quam lex, ex justa interpretatione, ob commoditatem rerum gerendarum suggerit. Iisdem modis in contrarium etiam individuæ res dicuntur usu, &c. *vid. l. 2. l. 54. 72. l. 85. D. de Verb. Oblig. l. 5. D. de stip. servor. l. 9. §. 1. D. de solution.*

De Rebus Corporalibus & Incorporalibus. Tit. 2. Lib. 2. Inst.

Annon & aliter res distinguuntur?

Sunt vel principales, vel accessoriæ. Sunt vel liberæ, vel servæ. Sunt vel corporales, vel incorporales. Corporales sunt, quæ corpus habent, & tangi possunt; uti fundus, vestis, argentum, aurum, *pr. & §. 1. Inst. h. l. 1. in fin. D. de rer. divis.*

Quomodo distinguuntur corporales?

Sunt vel species, vel quantitates. Species sunt, quæ certa habent corpora & ab aliis distinctam substantiam. Ex sunt rursus mobiles, vel immobiles Mobiles, [a] quæ moveri possunt, vel se moventes. Immobiles, sunt res soli, soloque cohærentes.

[a] De mobilibus hæc notant Practici, quod in successionibus & similibus sequantur causam & jus ejus loci, in quo degit persona, *Gail lib. 2. obs. 124. n. 18. Christin. ad leges Mechlinienses. tit. 16. art. 39. n. 2, 3.* Mobilium autem nomine generaliter accepto comprehenduntur etiam res se moventes, *Coler. d. cis. 260. Berlich. conclus. 30. n. 18.* etiam pecunia, nisi ex more regionis vel ex aliquo adjuncto contrarium probetur, *Berlich. d. conclus. n. 2. & seq.*]

Quid de nummis statuendum?

Si certa eorum corpora spectentur, sunt species; ut numismata aurea ac argentea, quibus pro gemmis utimur, *l. numismatum 28. D. de usufruct.* Si valor eorum attendatur, sunt quantitates.

Quid sunt quantitates?

Quæ numero, pondere, aut mensura constant; uti

pecunia, oleum, vinum, frumentum, & in genere suo functionem recipiunt.

Quæ sunt res incorporales?

Quæ tangi non possunt, & in jure consistunt: uti hereditas, obligatio, servitus, *l. 1. inf. D. §. 2. Inst. h.*

Quomodo hereditas, obligatio, servitus, res sunt incorporales?

Non, qua res hereditariæ, res in obligationem deductæ, & corpora, quibus servitus inhæret, sed qua ipsum jus hereditatis, obligationis, & servitutis in abstracto spectatur.

DE TERTIO IVRIS OBIECTO.

Quod est tertium juris objectum?

Actio. non qua in bonis esse dicitur, *l. 39. D. de Verb. Sign.* sed qua est remedium, ab invito in judicio per judicem re ipsa obtinendo quod debetur, *pr. Inst. de act.*

Quid circa hoc objectum primum considerandum?

Ad quem magistratum sit eundum, ut cognoscatur, cujus jurisdictio sit: deinde reliqua præparatoria recte observentur.

Quomodo illi, qui reip. Romanæ administrationi & juri dicendo fuerunt præfecti, distincti fuerunt?

Alii primario præfecti: alii eorum vicarii, adjutores, ac judices. Qui primario præfecti aut generatim in urbe aut provincia, aut in singulari civitate: vel Civiles, vel militares: vel à populo, aut senatu, vel à principe constituti.

Tit. 9. De [a] Senatoribus.

Qui erant Senatores?

Qui sententiam in senatu consilii publici causa dicebant. Horum dignitas liberis quoque & uxoribus communicatur. *l. 1. 5. 6. 7. 8. 12. D. h.*

[a] Hi tituli de officiis magistratuum magis ad mores Populi Romani, quam ad nostros pertinent, & sic exiguum habent usum, *Baro* & *Autumnus ad h. tit.*

Tit. 10.

Tit. 10. De Consulibus.

Qui fuere Consules?

Qui exactis regibus electi sunt, ut reipubl. consulerent, penes quos summum imperium esset; fueruntque duo. Verum horum potestas imminuta: 1. Legibus Valerii Publicolæ. 2. Tribunitiis intercessionibus. 3. Principum authoritate.

Tit. 11. De Off. Præfect. Prætorio. De Offic. Præfect. Præt. Orient. & Illyric. De Offic. Præf. Præt. Afric. &c. Tit. 26. 27. C. Lib. 1.

Qui fuerunt Præfecti Prætorio?

Qui aulæ Principis ac militibus prætorianis in suis locis, uti Oriente & Illyrico, Africa, &c. præerant, quibus Princeps rerum judiciorumque summam commiserat, quique vice ac voce principis judicabant. Hi variis locis fuere præfecti, videl. orient. Illyr. Afric. &c.

Tit. 12. De Offic. Præfecti Urbi. Tit. 28. Lib. 1. Cod.

Quis fuit Præfectus Vrbi?

Cui summa rerum urbanarum fuit commissa, ad urbis custodiam, supplicia irroganda, & annonæ curam.

De Off. Præfecti Annon. Tit. 44. Lib. 1. Cod.

Fuitne singularis Præfectus annonæ?

Fuit: at is non solus, sed cum Præfecto urbi annonam curabat.

Tit. 13. De Off. Quæstor. Tit. 30. Lib. 1. Cod.

Qui Quæstores?

Præfecti pecuniæ publicæ conquirendæ, conservandæ, & utiliter erogandæ. Fuerunt & Quæstores Cri-

minum, qui in crimina inquirebant, & de iis statuebant. Hi & Quæstores homicidii dicebantur.

Tit. 14. De Offic. Prætor. Tit. 39. Lib. 1. Cod.

Qui Prætores?

Qui juri-dicundo præerant, quasi vivæ voces legis; quique adjuvandi, supplendi, corrigendi Juris Civ. causa constituti, *l. 7. §. 1. D de Iust. & Iur.*

Tit. 15. De Offic. Præf. Vigil. Tit. 43. Lib. 1. Cod.

Qui Præfecti Vigilum?

Nocturnis excubiis & incendiis arcendis præpositi. Poterant hi fures, effractores, capsarios, flagellis & fustibus castigare.

Tit. 16. De Off. Proconsl. & Legat. Tit. 35. Lib. 1. Cod.

Qui Proconsules?

Missi à Senatu in Provincias cum consulari dignitate. Hisce adjungebantur Legati, quibus à Proconsulibus, cum ingressi essent provincias, mandabatur Jurisdictio.

Tit. 17. De Offic. Præf. August. Tit. 37. Lib. 1. Cod.

Quis Præfectus Augustalis?

Præfectus Ægypto, dignitate consulari. Augustalis ab Augusto, qui eum constituebat, dictus.

Tit. 18. De Off. Præsid. De Off. Rectoris Provinc. Tit. 40. Lib. 1. Cod.

Qui fuit Præses seu Rector Provinciæ?

In genere omnis, qui Provinciam regebat; sive Proconsul, sive alius. In specie, qui à Principe ad Provinciam regendam fuit constitutus.

De Offic. Com. Orient. Tit. 36. Lib. 1. Cod.

Quis fuit Comes Orientis?

Cui variæ Provinciæ in Oriente administrandæ erant.

Ut nulli patriæ suæ administratio sine speciali permissu Principis permittatur. Tit. 41. Lib. 1. Cod.

Potuitne cuiquam patriæ suæ administratio committi?

Non facile, nisi Princeps specialiter permitteret, *L. un. C. h.*

Tit. 19. De Offic. Procurator. Cæsar. vel Rationalis.

Qui fuerunt Procuratores vel Rationales Cæsaris?

Quibus cura Fisci demandata fuit, & qui judicabant inter Fiscum & privatos.

De Officio Magist. Officior. Tit. 31. Lib. 1. Cod.

Qui fuerunt magistri officiorum?

Præpositi Ordinibus Palatinorum, Judices aulicorum officiorum: Ad hos disciplina morum in palatio in cubicularios, silentiarios, hoc est, secretarios, aliosque ministros pertinebat. Appellabantur & magistri Curiæ.

De Offic. Comit. Sacrar. Largition. Tit. 32. Lib. 1. Cod.

Qui Comites sacrar. largitionum?

Qui administrarunt Thesauros Principis, *L. un. C. h.*

De Offic. Comit. rer. privatar. Tit. 39. Lib. 1 Cod.

Qui Comites rerum privatarum?

Præfecti Privato Principis patrimonio.

De

De Offic. Comit. sacri Palatii. Tit. 34. Lib. 1. Cod.

Qui fuerunt Comites sacri palatii?

Judices aulici apparatus, curatoresque cellæ ac penus principalis.

De Offic. Comit. sacri patrim. Tit. 35. Lib. 1. Cod.

Qui fuere Comites sacri patrimonii?

Concurrerunt cum Comitibus rerum privatarum & sacri palatii.

Tit. 20. de Offic. Juridici. Tit. 57. Lib. 1. Cod.

Quis fuit Juridicus?

Legatus Alexandriam cum potestate ibi Jus dicendi missus.

De Off. Magistr. Milit. Tit. 29. Lib. 1. Cod.

Fuerunt & militares Magistratus?

Omnino: & majores, veluti Magistri militum, quibus summa militiæ ac quæstionum militarium cura commissa fuit; & minores, veluti Tribuni militum, qui inter milites inferiori gradu jus dicebant: & comites rei militaris, qui ad limites custodiendos mittebantur.

Ne rei militar. Comitib. vel tribun. lavacra præstentur, Tit. 47. Lib. 1. Cod.

Debuerunt ne Provinciales Comitibus vel tribunis lavacra, hoc est, balnea præstare?

Non tantum prohibitum, ne balnea darentur, sed & constitutum, ne fieret adæratio, id est, æstimatio, loco balnei, *l. un. C. h.*

De Defensoribus Civitat. Tit. 55. Lib. 1. Cod.

Erantne & minores Magistratus?

Fuerunt Defensores [a] civitatum, quorum officium

cium fuit patrocinari personis tenuissimis, ne opprimerentur à potentioribus, & tueri civitatis jura.
[4] De jure Defensorum civitatis atque eorum potestate videatur *Grotius de antiquit. Batav. cap. fin.*, *Gudelin. lib. 5. de I. Noviss. cap. 7. in fine. Perezius ad tit. C. de magistrat.*]

De Magistratibus municipalibus. Tit. 56. Lib. 1. Cod.

Qui fuerunt Magistratus municipales?

Qui municipia regebant, & in iis jus dicebant secundum modum suæ jurisdictionis. Hi mancipare carceri poterant delinquentes; sed ad Præsidem, ut punirentur, mittere cogebantur.

De Offic. Vicarii. Tit. 38. Lib. 1. Cod.

Qui fuerunt Vicarii?

Qui pro præfecto Prætorio mittebantur in aliquam diœcesin, varias provincias continentem.

De Offic. ejus, qui vicem alt. Jud. vel Præsid. obtinet. Tit. 50. Lib. 1. Cod.

Qui fuerunt, qui vicem Præsidis obtinuerunt?

Qui, præside defuncto vel remoto, vel ad aliam provinciam vocato, vel aliàs impedito, regebant provinciam, non ex mandato Præsidis, sed authoritate Principis.

Tit. 21. De Officio ejus, cui mandata est Jurisd.

Quam potestatem habebat, cui mandabatur Jurisdictio?

Tantum in eum transibant, quæ erant imperii mixti, non quæ erant meri, *l. 1. D. h. t.* nisi lex specialiter quid conferret, *arg. l. 1. §. 1. D. de tutor. & curat. dat.*

Tit.

Tit. 22. De Assessorib. Domestic. & Cancellar. Tit. 5. Lib. 1. Cod.

Qui fuerunt Assessores, Domestici, Cancellarii?

Assessores, qui consiliis magistratum ac judices juvabant, *l.* 7. *C. h.* in cognitionibus, postulationibus, ac libellis, *l.* 1. *D. h.* Domestici, qui Judicis personam protegebant & custodiebant. Cancellarii à secretis erant Judicibus, qui scribendis & expediendis Judicum epistolis dabant operam.

De Offic. diversor. Judic. Tit. 48. Lib. 1. Cod.

Quæ sunt officia Judicum communia?

Ut nunquam confundant invicem dignitatum gradus, sed inferiores superioribus in suis relationibus ac subscriptionibus reverentiam præstent, non eos fratres appellent, vel pares faciant *Auth. pen. C. h.* ut honoratis viris ingressum & sessionem in secretariis non denegent, *l. fin. C. h.* nec fœminas ob æs alienum in publicum trahant, *l.* 1. *C. h.* ne quidem ob debitum fiscale, *Nov.* 134. *c.* 9.

Quomodo distinguuntur?

Sunt alii Civiles, alii militares.

De Offic. Jud. Civilium. Tit. 45. Lib. 1. Cod

Qui sunt Civiles Judices?

Qui paganis Jus reddunt, etiam curialibus ac viris honoratis.

De Offic. militar. Jud. Tit. 46. Lib. 1. Cod.

Qui sunt militares Judices?

Qui inter milites litigantes inter se, vel inter milites ac cives, jus dicunt.

De Contractibus Judicum, vel eorum, qui circa eos sunt, & inhibendis donationib. M. Tit. 54. Lib. 1. Cod.

Possuntne Judices contractum celebrare cum iis, in quorum causis sunt, vel futuri sunt judices?

Urbani permissu principis commercii ac ædificationis

tionis Jus habuerunt, non autem iis licuit recipere donationes. [a] Sin autem factæ erant, confirmabantur donatorum aut heredum ratihabitione post depositum officium in scriptis celebrata, vel quinquennii silentio. Provinciales nec ex rescripto principis contrahere, ne quidem per interpositam personam, nisi victus causa, nec domum aut navem extruere, multo minus munus recipere potuerunt, *l. un. C. h.*

[a] Donationes, quæ fiunt à litigantibus vel litium causa hodie prohibitæ sunt, aliàs Iudices quales quales licitè contrahunt, nisi quid fiat in formam donationis, *Mornacius & Autumnus h. tit. Argentr. ad consuet. Britan. tit. 45. n. 1. Christin. vol. 2. decis. 86. n. 3.*

Cur aliter in Provincialibus?

Majus in iis periculum, ne abuterentur sua potestate: Inspectorem quippe Principem vel alium summæ authoritatis non habebant.

De Annonis & Capit. Administ. &c. Tit. 53. lib. 1. Cod.

Quid igitur fuit Judicibus ac Assessoribus concessum loco salarii?

Ut à donis sibi temperarent, statutum fuit, ut in præmium laboris solverentur annona & capita. Annona hic est, omne ad victum necessarium: capita sunt, pabula pro equis & mulis. Notitiæ singulis officiis delegabantur, quibus continebatur quantum pro annona & capitatione deberent singuli pendere, *l. un. C. h.*

De Mod. Mulctar. Tit. 54. Lib. 1. Cod.

Quid de mulctis statuendum?

Ut illi tantum [a] mulctent, quibus id datum: Illi mulctentur, qui possunt: In iis rebus mulcta exigatur, in quibus debet: Servetur justus modus, ne in infinitum mulcta excurrat & ne temere ac præcipiti festinatione ad eam procedatur, sed causa cognita.

Ut

admittit, *Buſ. in l. 2. ff. de Iudic. Zypæus h.* Et ſi quis non ſit ſolvendo, mutatur pecuniaria mulcta in pœnam corporalem, *arg. l. ult. ff. de injus vocan.* Vide *edictum Caroli V. promulgat. 19 Maji An 1544. art. 24.*]

Ut omnes Judic. tam Civil. quam Milit. poſt Adminiſt. Depoſ. 50. dies in Civitat. vel cert. loc. perman. Tit. 49. Lib. 2. Cod.

Poſſunne Judices depoſito officio ſtatim diſcedere?

Debent permanere [a] in certis locis vel civitatibus per 50 dies, & omnibus ac ſingulis accuſandi permittere copiam, *l. un. C. h.* & ſi fugiant, poſſunt capi ac detineri, donec omne damnum fuerit refuſum, *auth. ſi vero. C. h. t.*

[a] Hic titulus, cum quilibet magiſtratus & judices poſſunt tempore officii ſui in jus vocari, abolevit, *Gudel. lib. 5. cap. 7. Chriſtin. vol. 2. deciſ. 84. in fine. Autumnus h.*]

PANDECTARUM

LIBER II.

Tit. 1. De Juriſdictione.

Quæ eſt Juriſdictio?

POteſtas (a) de cauſa, ſive civili, ſive criminali, judicandi, & judicata exequendi. Conſiſtit itaque poteſtas in ſtatuendo, & ſtatuto exequendo.

(a) Circa juriſdictionis materiam ſpectandi ſunt cujuſque loci mores, ad quod certum eſt, quod & hodie juriſdictio definienda ſit eo modo quo *h.*, & quod non detur ulla juriſdictio, in qua non eſt poteſtas ſtatuendi, & ſtatutum exequendi, *Gudelin. de J. N. lib. 5. c. 13. in fine, Zypæus ad h. tit.*]

Poteſtas exequendi quomodo proprie appellatur?

Imperium. Sine imperio non eſt proprie juriſdictio, *l. fin. §. 1. D. de eo, cui mand. eſt juriſd.* Ubi enim ſola

sola est cognitio potestasque judicandi, sine imperio & potestate exequendi, ibi nulla vera est jurisdictio, *d. l. fin. §. 1. l. 99. D. de Verb. Signif.* Uti pedaneis judicibus ac arbitris est quidem potestas judicandi, sed non jurisdictio, *l. §. 15. D. de Re jud. l. fin. C. ubi & apud quem cogn. in int. rest.*

Quomodo distinguitur Imperium?

In merum, vel mixtum, *l. 3. D. h.*

Quod est merum?

Potestas gladii, sive potestas animadvertendi in facinorosos, *l. 3. D. h.* itaque occupatur circa causas criminales. Habet autem tres gradus: Primus est, quo vita: Secundus, quo civitas adimitur: Tertius, quo delinquentes levius coërcentur.

Quibus competit?

Quibus Lex, vel Princeps, concessit, *l. 1. D. de offic. ejus, cui mand. jurisd.*

Annon potest mandari?

Nullo modo, *d. l. 1. de off. ejus.* nisi aliquando, in causa absentiæ, *d. l. 1.* Potest quidem cognitio de crimine recte mandari, sed nunquam ipsum merum imperium, *l. 6. D. de offic. proconf.*

Si Princeps concesserit jurisdictionem, videturne & merum imperium concessisse?

Nequaquam, *d. l. 1.* sed tantum Civilem Jurisdictionem, *arg. l. obligatione 6. D. de pignorib. l. fin. ff de supell. legat.*

Quod est mixtum?

Quod occupatur circa causas civiles. Uti, si quis in possessionem mittendus, si tutor sit dandus, &c. *l. 1. D. h.*

Quare dicitur hoc mixtum, illud merum?

Merum, quia est à sola lege: mixti nonnulla sunt à lege, nonnulla à jure magistratus. Deinde merum separatum est à Jurisdictione, & consistit, non in quæstionibus bonorum, sed tantum in irrogatione pœnarum: mixtum cohæret jurisdictioni, *l. 1. §. fin. D. de offic. ejus.* & pertinet non tantum ad coërcendum, sed & ad quæstiones de bonis.

Quid,

Quid, si jurisdictio sit mandata?

Transeunt omnia, quæ sunt mixti imperii. *d. l.* 1. *§.* 1. *l.* 4. *§.* 1. *l. fin. §.* 1. *D. de off. ejus.* modo non sint talia, quæ à lege specialiter deferri solent.

Cur dicitur, modo non sint à lege specialiter delata?

Quia non tantum, quæ sunt meri imperii, sed & quæ sunt mixti, & specialiter à lege descendunt, non possunt mandari, *d. l.* 1. *princ.* uti tutoris datio, quæ à lege est, *l.* 6. *§.* 2. *D. de Tutel.*

Annon pugnant: A lege est tutoris datio, d. l. 6. *§* 2. *D. de Tutel. & est mixti imperii?*

Minime. Nam in tutoris datione spectantur duo. Primum est, potestas dandi. Illa est à lege. nam non competit jure magistratus vel imperii, sed illi tantum magistratui, cui lex eam detulit. Alterum est, exercitium dationis; hoc est mixti imperii, quia versatur circa civilem causam.

Quomodo ergo distinguitur inter, à lege & jure magistratus competere?

A lege competere quid dicitur, cum nulli magistratui competit, nisi ei, cui lex id dedit. Jure magistratus, cum omni magistratui, quà & quia magistratus est, conceditur.

Quomodo Iurisdictio in genere accepta distinguitur?

Varie. 1. Est vel voluntaria, vel contentiosa. *l.* 2. *D. de offic. proconf.* Illa exercetur inter partes consentientes, uti in emancipatione, manumissione, *d. l.* 2. Hæc in invitos & à se invicem dissentientes. Hoc sensu judicia sive actiones in invitos dantur, *l.* 83. *§.* 1. *D. de Verbor. Oblig* 2. Est vel propria sive ordinaria, vel extraordinaria. Illam habet quisque jure suo. Hæc est ex beneficio alieno, vel quia delegata sive mandata, vel quia prorogata.

Quomodo acquiritur ordinaria?

Vel à Principe, aliove, qui eam concedere potest; vel per præscriptionem 10 vel 20 annorum, cum territorio; vel 30 annorum, sine territorio, *arg. l.* 10. *D. si serv. vind. l.* 2. *C. de serv. l. fin. C. de præsc. long. temp. l.* 3. *C. de præscript.* 30 *vel* 40 *ann.*

Qua

Quæ est delegata?

Quam quis habet ex mandato ejus, cui ordinaria est jurisdictio. Et cui mandata est, non potest alteri rursus eandem demandare, *l.* 5. *D. h. t.*

Quæ est provogata?

Quæ competit ex submissione partium voluntaria, *l.* 18. *D. h.*

Quomodo privati litigantes partesque possint tribuere Iurisdictionem?

Non dant ei, qui non habet, *l.* 3. *C. h.* sed jurisdictioni ejus, cui ea est concessa, se subjiciunt, *l. C. h.* dum renunciant privilegio fori, *l. pen. D. de pact. l.* 51. *C. de episc. & cleric.* Ita recipitur Jurisdictio magistratus, etiamsi causa ad eum non pertineat, *l.* 2. *D. de Iudic.*

Annon & aliter distinguitur Iurisdictio?

Est alia Civilis, quæ exercetur in causis civilibus: alia criminalis, quæ locum habet in criminalibus. Illa ad mixtum, hæc ad merum imperium pertinet.

Quibus, & quomodo quis jus dicere potest, qui jurisdictionem habet?

Cui jurisdictio concessa est, simul ei omnia sunt concessa, sine quibus Juridictio exerceri nequit. *l.* 2. *D. h.* Interim nunquam quis sibi, nec uxori, nec liberis, nec iis, quos secum habet, jus dicet, *l.* 10. *D. h.* nunquam supra modum suæ jurisdictionis; nunquam extra territorium, *l. fin. D. h.*

Quid, si plurium actionum, quarum singulæ sunt infra modum, cœcervatio excedat modum Iurisdictionis?

Recte coram eo Judice agetur, *l.* 11. *D. h.* quia singulæ actiones spectandæ sunt.

Quid, si mutuæ sint actiones, & ab uno major, ab altero minor summa petatur?

Coram eodem Judice agetur, ne in potestate calumniosa adversarii sit, an apud eundum Iudicem litigari possit, *d. l.* 11. *§.* 1.

Quid, si una actio communis sit plurium, & singulorum portiones sint infra modum?

Si de tota re disceptetur, agi coram eo nequit: si de partibus singulorum, recte agetur, *d. l.* 11. *§.* 2. *D. h.*

Debet

Debetne summa accipi secundum id quod petitur, aut secundum id quod debetur?

Sequimur id quod petitur, *l. pen. §. 1. D. h.* Initio enim & in præparatoriis spectamus, quæ sit actoris postulatio.

Quibus modis finitur Iurisdictio?

Propia non utendo, vel male utendo, *arg. l. pen. C. de usuf. l. 13. C. de servit.* Mandata, renunciatione mandatarii, revocatione mandatoris, morte mandatarii, imo & mandantis re integra, *l. 6. ff. h. c. pen. x. de offic. deleg. §. recte & seqq. Inst. mand.* Prorogata contraria conventione, *l. 18. D. h.*

DE ALBO CORRVPTO.

Solebant, qui Iurisdictioni sive juri dicundo præerant, album proponere; quid est album?

Tabula dealbata, in qua describebantur edicta, actiones ac reliqua jura, ut quisque intelligeret, quod jus dicendum esset à Prætore isthoc anno.

Quæ pœna corrumpentis album?

Si quis, quod jurisdictionis perpetuæ causa propositum erat, vel dum proponitur, vel proponendum est, dolo malo corruperit, datur in eum quingentorum (a) aureorum judicium populare, *l. 7. pr. & §. 2. D. de Iurisd.*

(a) Hodie qui edicta publica corrumpunt, solent affici arbitraria pœna. *Busius ad l. 7. ff. h.*]

Quid est corrumpere dolo?

Quovis modo mutare, radere, turbare, tollere, scienter, & in contemptum authoritatis publicæ, *d. l. §. 4. & 5.*

Cur doli mentio?

Quia rusticitas, imperitia, casus, jussus prætoris, excusant, *d. l. 7. §. 4.*

Quid, si plures corruperint?

Omnes & singuli tenentur, qui dolo malo fecerunt, sive ipsimet corruperint, sive mandaverint. adeout nec unus solvendo reliquos liberet, *d. l. 7. §. fin l. 8. D. eod.*

Qua

Quæ pœna est hodie, si quis chartam vel tabulam, qua edicta ac similia proponuntur, corrumpat?

Arbitraria, nisi certa fuerit ipsis edictis comprehensa, *Busius in l. 7. ff. h. tit.*

Tit. 2. Quod quisque Juris in alium statuerit, &c.

Quid juris in edicto, quod quisque juris &c.?

Ut, qui Jus novum, cum magistratum vel potestatem habet, statuit, vel impetravit ab eo qui juri dicundo præest, eodem jure utatur. Æquissimum enim est, ut quisque, quod existimavit æquum in alterius persona, id in se valere patiatur, *l. 1. §. 1. D. h.*

Quid, si quis, cum vellet statuere, prohibitus fuerit?

Cessat edictum: quia verba cum effectu sunt accipienda, *l. 1. §. 1.* Idem est si jus dixerit, inter quos Jurisdictionem non habet. quia pro nullo hoc habetur. Quid obest conatus, cum injuria nullum habet effectum, *d. l. 1. §. 1. in fin.*

Quid, si Adsessoris imprudentia jus aliter sit dictum, quam oportuit?

Non magistratui id officiet, sed ipsi Adsessori, *l. 2. D. h.*

Quid, si filiusfamilias jus novum dixerit?

Ipse tenebitur, & non nocebit patri, *l. 3. §. 4. D. h.*

Quid, si Iudex male judicaverit?

Non proprie hoc edictum habet locum, sed litem suam facit, & actione in factum parti læsæ tenetur, *l. fin. D. de var. & extraord. cognit. pr. Inst. de Olig. q. ex quas. maleficia.* licet etiam IConsulti non bene consulentis responsum sit secutus. Interim vero IConsultus, si res ad effectum pervenerit etiam utiliter conveniri potest ex hoc edicto.

Quomodo tenetur qui impetravit?

Non aliter, quam si postulaverit jus novum, *d. l. 3. princ. D. h.* Si autem usus sit, & id non postulaverit, cessat edictum: si etiam postulaverit, sive usus fuerit, sive non, tenetur, *d. l. 3. pr.*

Quid si procurator vel tutor postulaverint?

Si procurator, tenetur ipse, & cessat in Domino edictum,

ctum, qui non mandavit, vel ratum habuit, vel si procurator in rem suam fuerit constitutus. Si tutor vel curator postulaverit, ipse coërcetur, *d. l.* 3. *§.* 1.

Cui dabitur actio ex hoc edicto?

Non tantum læso, sed omni, qui quandoque experitur, *d. l.* 3. *§.* 2. Cum enim plublico jure est abusus, non est iniquum, ut omnibus è populo contra ipsum idem jus dicatur.

Daturne etiam adversus heredes?

Licet pœnales actiones non dentur in heredes, *l. constitutiones* 33. *D. de Oblig. & Act.* tamen hæc actio adversus heredem competet, propter abusum juris.

Tantumne ex hisce actionibus, quas habuit tempore impetrationis, tenetur impetrans?

Non tantum ex hisce, sed & iis, quas postea consequitur, *d. l.* 3. *§.* 6.

Quod solutum est ex hac causa, potestne repeti?

Non: supereſt enim naturalis causa, *d. l.* 3. *§. fin.* &, ubi est naturale debitum, solutum repeti nequit, *l.* 64. *D. de cond. ind.*

Tit. 3. Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

Quid, si quis jus dicenti non obtemperavit?

Dabitur adversus eum actio, non in id quod interest adversarii, sed quanti [*a*] ea res est, hoc est, in pœnam & æstimationem contumaciæ, *l. un. §. fin. D. h.* Vnde, cum mere pœna sit, non datur adversus heredem, *d. §. fin.* nec post annum, *d. §. fin.*

[*a*] Hodie hæc res vel damno litis coërcetur secundum *l.* 53. *ff. de re judic.* vel extra ordinem punitur pro qualitate ejus quod actum est.]

Quis tenetur hoc edicto?

Non solum reus, sed & actor, *d. l. un. §.* 3. qui non obtemperavit, hoc est, extremum in jurisdictione non fecit, uti, si rem mobilem non vindicari sit passus, *d. l. un. §.* 1. si bonorum possessionem, pignoris captionem, non admiserit, vel aliter executioni se opposuerit.

Licetne magistratui suam jurisdictionem pœnali judicio defendere?

Licet, *d. l. un. pr.* Nec ex eo quid admittitur contra *l.* 10. *D. de Juriſd.* quia non suæ personæ vel suis jus dicit, *d. l.* 10. qui Jurisdictionem, quæ demandata est publica authoritate, ejusque jus tuetur, *d. l. un. ff. h.*

Quæ sunt remedia, quibus solent coërceri non obedientes?

Pertinent ad personam, arrestatio, incarceratio, denegatio audientiæ in aliis, mulctatio: ad rem, rei sequestratio, missio in bonorum possessionem, possessionis ablatio, &c.

Tit. 4. De in jus vocando. Tit. 2. Lib. 2. Cod.

Quid est in jus vocare?

Vocare juris experiundi causa ad eum, qui jus dicturus est, *l.* 1. *D. h. t.*

Quomodo fit in jus vocatio?

Olim actor solus poterat in jus vocare, propria authoritate. Hic, si reus eum sequeretur, edebat actionem; si non, invitum obtorto collo trahebat. Hodie jussu Judicis per nuncium publicum fit citatio, qua monetur adversarius, ut ad diem certum veniat ad Judicem. In criminalibus præter citationem solet usurpari arrestatio aut apprehensio jussu ejus, cui talis est jurisdictio; nec non in civilibus, quoties est periculum de fuga, vel reus comparere detrectat, ejusque præsentia necessario desideratur.

Quomodo ergo distinguitur citatio?

Est vel [a] verbalis, vel realis. Verbalis fit denunciatione, vel literis. Eaque est vel privata & ordinaria, quam nuncius insinuat; vel publica qua quis per campanam, tubam, aut edictum, ad Judicem vocatur. Realis est, quæ fit per apprehensionem. Realis citatio proprie dici nequit.

[a] Vide *Merulam lib.* 4. *tit.* 24. *c.* 11.]

Possumusne ab Edictali citatione, quæ sit per literas publice affixas, ordinario incipere?

Non recte: exorbitat enim à jure communi. Locum autem [a] habet, 1. Si citandus efficiat, ne citatio ad se perveniat, *clemen. 1. de Judic.* 2. Si locus non sit tutus, *d. clemen. l. 3.* Si contradictor sit incertus, *c. fin. de Elect. in 6.* ut si creditores incerti & diversis locis habitantes citentur. 4. Si citandus sine certo domicilio vagetur. Nec etiam recte hanc concedit delegatus, sed tantum ordinarius vel delegatus Principis.

[a] Videatur *Gaill lib. 1. obs. 57.*]

Quomodo aliter distinguitur citatio?

Est vel dilatoria sive simplex, vel peremptoria. Dilatoria, per quam pervenitur ad peremptorium Edictum, & quæ citatum non reddit plene contumacem, *Nov. 112. c. 3.* Peremptoria est, qua comminatur, qui Edictum concessit, hoc est, citationem, se, absente parte diversa, cogniturum ac pronunciaturum, *l. 17. D. de Jud.*

Quomodo ergo pervenitur ad peremptorium?

Vel per tres dilatorias, *l. 68. l. 69. l. 71. D. de Judic.* inter quarum singulas requiritur spacium 10 dierum, *d. l. 69. l. 13. §. 2. C. eod.* vel secundum jus novissimum, 30, *Nov. 112. c. 3.* vel per duas aut unam, prout Judici æquum videbitur, *l. 72. D. eod.*

Quod sit post edictum peremptorium?

Absens citabitur, [a] &, sive responderit sive non, agetur causa, & pronunciabitur, non semper secundum præsentem, sed & interdum absens, si bonam habeat causam, vincet, *l. 73. D. eod.*

[a] Plenè *Berlichius part. 1. conclus. 10. n. 9.*]

Quid, si absit die cognitionis qui impetravit, adversarius vero adsit?

Circumducetur edictum; non vero ut lis in totum, sed tantum instantia pereat, & res de novo sit agenda, *d. l. 73. §. 1. 2.*

Potestne, qui ex peremtorio condemnatus est, appellare?

Non, si ex contumacia abfuerit, *d. l. 73. §. fin. l. 23. §. 3. D. appell.* Si autem justas absentiæ causas reddere possit, audiendus est.

Qua

Quæ est citatio ex l. diffamari?

Est [a] adversus eum, qui alterum super statu ingenuitatis, *l. 5. C. de ingen. manum.* super crimine, vel jure possessionis, dominii, obligationis, aut alio quocunque, diffiamavit, & se adversus citandum habere actionem professus est.

[a] Hanc materiam excussit egregie *Blarerus ad l. 5. C. de ingen. manum.* & *Gail lib. 1. obs. 9. & seqq.*]

In quem finem sit hæc citatio?

Quamvis nemo invitus agere compellatur, *t. t. C. ut nem. inv.* tamen, qui diffamavit, potest citari, ut actionem suam intra certum tempus à Judice moderate statuendum instituat, aut perpetuum silentium sibi patiatur imponi, *d. l. 5. C. de ing. manum. l. cum Titia 18. D. de accus.* Diffamans enim tacite ad judicem provocat sua diffamatione, & se ad agendum arctat. Diffamatio autem debet probari, si ea negetur, antequam alter condemnetur ad actionem instituendam, aut ei silentium imponatur.

Quis Iudex concedit citationem?

Generaliter in quavis causa ordinarius, sive ab ordinario delegatus, *c. 1. x. de causa poss.* Desideratur vero in delegato, ut tenorem suæ delegationis citationi inserat, *c. cum in jure x. de offic. deleg.* & in omni Judice, ne extra suum territorium & supra potestatem concedat citationem, *l. fin. D. de Iurisd.* Nec unquam, nisi causa utilitatem publicam concernat, quem jubebit judex citari aliter, quam ad petitionem partis, *l. 68. D. de Iudic. l. fin. C. de accus. arg. l. 4. §. hoc autem. ff. de damn. inf.*

Quis potest petere citationem?

Qui alium jure convenire potest, & legitimam standi in Judicio personam habet, *l. 1. 2. C. qui legit. person. stand.*

Qui possunt citari?

Qui non prohibentur, Prohibentur, [a] aliqui in totum; aliqui, nisi certo modo observato. Inter prohibitos sunt Sacerdotes, dum sacra faciunt; quique propter religionem inde se movere non possunt, *l. 2. ff. h.* qui equo publico in causa publica transvehuntur,

d. l. 2. qui uxores ducunt, aut quæ nubunt, *d. l.* 2. Judices, dum de causa cognoscunt. qui apud Prætorem causam agunt. qui funus ducunt familiare, & justa mortuo faciunt, *d. l.* 2. vel, qui cadaver prosequuntur, *l.* 3 *ff. h.* infantes, furiosi, *l.* 4. *D. h.*

[a] In *l.* 2. *ff. h.* inter prohibitos citari etiam referuntur consules, & reliqui magistratus qui imperium habent; Hodie autem quilibet magistratus potest citari, *Bus. in d. l.* 2. *n.* 13. *& l.* 48. *ff. de judic. Merula lib.* 4. *tit.* 24. *Zypæus h. vers. magistrat. Mornacius & Antumnus ad. d. l.* 2]

Quomodo citatio fiet, si quid movendum adversus infantes, furiosos, impuberes majores infantia, puberes?

Si infantes, furiosi, ac impuberes habeant tutores vel curatores, illi sunt citandi Si iis destituti sint, vocandi sunt proximi ex consanguineis, ut prospiciant illis de curatoribus ad lites Id autem, si ab iis negligatur, Curatores ad litem constituere potest Judex, *l.* 1. *l.* 2. *s.* 3. *D. qui pet. tut.* Puberes vero, si non habeant curatores, citandi sunt, ut legitime compareant, & sibi petant Curatores: alias, si ipsi nolint petere, dabuntur iis Curatores ad lites, etiam invitis, *s. invito. Inst. de Curator.*

Qui prohibentur citari nisi certo modo?

Infinitum parentes (a) utriusque sexus, sive sint naturales tantum, sive naturales & legitimi simul; imo & adoptivi, & quamdiu constat adoptio, citari non possunt, nisi impetrata venia Prætoris, *l.* 4. *s.* 1. 2. *l.* 6, 7, 8. *D. h.*

(a) Etiam Hodie necessaria est impetratio veniæ agendi contra parentes, *Zypæus ad h. tit. Gudelin. lib.* 4. *cap.* 5. *Christin. vol.* 2. *decis.* 154. *n.* 8, 9. Quid ergo si filius non dissimulavit se esse filium cum citationem petit, h. e. allegaverit se habere aliquam causam contra patrem? Non opus est ut specialiter veniam agendi impetret, ut refert *Gudelin. d. loco*]

Qui debent citari?

Quorum principaliter (a) interest, *l.* 47. *D. de re Jud. l.* 39. *D. de Adopt.* Non illi, qui, si præsentes essent,

sent, non possunt actum impedire, *l. 4. §. 3. D. de fid. libert. l. 26. D. de reg. jur.* In præjudicium absentium, non citatorum cum citari deberent, lata sententia, nullius est momenti, *l. 1. & t. t. C. res int. al. act.*

(*a*) In causis civitatum qui citandi sint, & quomodo eorum fiat citatio, tradit *Gail lib. 1. obs. 49. n. 6.*]

Debetne citari, qui præsens est in judicio & ibi convenitur?

Causam audire quidem tenetur, sed non cogitur respondere, ideoque tempus deliberandi ipsi petenti negari non potest, *arg. c. 2. x. de dilation.*

In quibus causis debet fieri citatio?

In omnibus, in quibus causæ cognitio, etiam levissima, est necessaria. Est enim principium ac fundamentum omnis judicii citatio, *§. fin. Inst. de pœn. temer. litig.*

Quam formam habet omnis citatio?

Continere debet, 1. nomen Iudicis, ut cognoscatur, an sit competens, an jusserit. 2. nomen citandi. 3. nomen citantis. 4. causam. 5. locum judicii. 6. diem ac terminum ad comparendum.

Quid, si quis citatus ad unam causam & comparens de alia rogetur?

Non tenetur respondere ad aliam, sed petet tempus deliberandi, *arg. d. c. 2. x. de dilation.*

Quid, si vitiosa sit citatio?

Ea nullius est momenti: Interim, si compareat citatus, omne vitium purgatur, dato citato deliberandi spatio.

Quis insinuat citationem?

Nuncius publicus ex commissione Iudicis; cujus relationi creditur, quoad ipsam insinuationem, non autem quoad ulteriora.

Quomodo illam insinuat?

Si fieri possit, præstat, ut personæ (*a*) ipsi insinuatio fiat: aliàs fiet ad domum, sc. uxori, liberis, &c.

(*a*) Hodie verbalis citatio, si persona non sit domi, solet fieri ad domum, *Zypæus h. tit.* in fine, *Merula lib. 4. tit. 24. c. 9. n. 6, 7.*]

Quid, si vitiose sit facta citationis insinuatio?

Suis sumptibus nuncius vitium restaurabit.

Quid, si impeditus sit à citando citationem exequi?

Affiget citationem januæ, si domum non possit ingredi, nemoque sit, qui eam suscipere velit; vel etiam portæ civitatis, si in civitatem intromitti non potuerit.

Qui sunt denique effectus citationis?

Perpetuat Jurisdictionem, *l. fin. pr. & §. 1. & fin. C. h.* In realibus rem facit litigiosam, *Nov. 112. c. 1.* Interrumpit præscriptionem 30 annorum, *l. 3. l. 7. §. imo 5. C. de præscript. 30 annor.* aliquando etiam præscriptionem longi temporis, *l. 5. in fin. C. de annal. præscript.* Operatur denique præventionem, *c. proposuisti. x. de Iudic.*

Tit. 5. Si quis in Jus vocatus non ierit, &c.

Debetne vocatus in jus necessario venire?

Vocati ab eo, qui jurisdictioni præest, est venire, & non contemnere authoritatem vocantis, *l. 2. D. h. l. 5. D. de Iudic.* &, si putet se vocatum ad incompetens forum, allegabit causam coram judice, ut is cognoscat, an sua sit jurisdictio, *Dd. Ll.* Quod procedit, si dubitari possit, vel, si mediate judici sit subjectus. Cæterum, si nec mediate, nec immediate sit ejus subditus, impune non comparebit, *l. fin. ff. de Jurisd.*

Suntne & aliæ causæ justæ excusandi?

Sunt variæ. ut, si quis contra edictum sit vocatus, *l. 11. ff. de in jus voc.* vel ex rusticitate emanserit, *l. 2. §. 1. D. h.* si non interfit actoris, ut citatus veniat, *d. l. 2. §. 1.*

Quid, si vocatus, cum ire deberet, non ierit?

Accusatur de contumacia, & ex causa à competenti judice mulctatur, *d. l. 2. pr. D. h.* & si dilatoria sit facta citatio, novum edictum sive citatio postulatur.

Quid, si quis vocaverit eum, quem ex edicto non debuerat?

Si quis parentem sine venia vocaverit, mulctatur 50 [a] aureis, *§. fin. Inst. de pœn. tem. litig.* & si non habeat, unde mulctam solvat, tanquam inofficiosus casti-

castigatur, *l. fin. D. de in jus voc.* Si quis alium in jus vocari prohibitum vocaverit, vel nihil agit, vel etiam arbitrariè punitur.

[*a*] Placet nonnullis hanc pœnam hodie esse sublatam, *Zypæus de in jus vocando*, *Autumnus in collat. ll. ad l. fin. de in jus voc.*, *Gudelin. lib.* 3. *c.* 13. *vers. sed observ.* id autem multis in locis non est receptum.]

Habetne hodie pœna 50 aureorum, quæ vocantibus temere parentes infligitur, locum?

Licet hodie non observetur violentus in jus vocandi modus, sed omnis citatio fiat ex consensu Judicis, tamen pœna hæc obtinet. Cum non fuerit ratio pœnæ tantum in modo in jus vocandi, sed in reverentia, & quia intererat, ne daretur actio adversus parentes, quæ famam illorum fugillaret, *l.* 10. *§.* 12. *D. h.*

Soletne hæc pœna aliquando remitti?

Etsi nihil sit in edicto, tamen ex æquitate moderanda est jurisdictio: ut, si liberos pœniteat, si remittant actionem, si parentes non venerint, si non inviti sint vocati, *l.* 11. *D. de in jus voc.*

Tit. 6. in Jus vocati, ut eant vel, &c.

Cogebaturne olim præcise vocatus vocantem sequi?

Lex hæc omnibus vocatis erat imposita, si non satisdarent vel aliter idoneè caverent. Hodie in [*a*] citatione verbali nullus est satisdationis usus, sed in reali, quoties est talis causa, in qua fidejussor admitti potest.

[*a*] Cautionem enim judicio sisti, qui hoc modo convocati sunt in jus verbaliter, exoleviſſe tradit *Merula lib.* 4. *tit.* 41. *cap.* 1. *n.* 1. Loco ejus est cautio de litis expensis, electio domicilii, & constitutio procuratoris, si forensis sit, *Merula d. loco.*]

Tit. 7. Ne quis eum, qui in jus vocatus est, vi eximat.

Qua actio datur contra eum, qui in jus vocatum eximit?

In factum, qua petitur, non quantum damni actor

vere est passus, sed quanti ea res, de qua controversia est ab actore, sive calumniator fuerit sive non, fuerit æstimata, *d. l. 4. §. 1. l. 5. §. 1. D. h.* Non enim jus actoris, sed factum eximentis contra legem & justitiam popularem prætor coërcet.

Quid, si plures eximerent?

Datur hoc judicium in singulos: & nihilominus, qui est exemptus, manet obligatus, *l. 5. §. 3. D. h.*

Quid, si quis debitorem exemerit?

Qui debitorem vi exemit, etsi solverit, non liberat reum: quia suam pœnam, non debitum, solvit, *l. fin. D. h.*

Quando cessat hoc judicium?

1. Si exemtus sit, qui non potuit vocari: uterque enim contra edictum facit, *l. 1. §. 2. l. 2. D. h.* 2. Si servus sit exemtus, quia vocari non potuit, *l. 3. D. h.* 3. Si ad pedaneum fuerit quis vocatus, *d. l. §. 1. 4.* Si nihilominus venerit, qui eximebatur, *l. 5. §. 2* 5. Si adversus hæredem agatur, *d. l. f. §. 5. 6.* Si heres agat, cum nihil ejus interfit, *d. §. fin.* 7. Si post annum ſ. per hac re moveatur quæstio, *d. l. 5. §. fin.*

Estne hujus Tituli aliquis usus?

Omnino. nam non tantum placuit eos, qui custodiæ quem exemerunt, in id obligari, quod principalis reus si condemnatus fuisset, cogeretur solvere, & in civilibus, *l. 3. C. lib. 10. de Exactor. trib.* & in criminalibus: sed & justum est coërceri extra ordinem graviter eos qui citatum [a] vi impediunt, aut, ne ad judicem veniat, efficiunt.

[a] Si quis in criminalibus quem exemerit qui apprehensus erat, durissimè hodie punitur, attamen arbitrariè; ut & commentarienſis arbitrariè plectitur, si non satis fidelis in custodia fuerit, ut notant *DD. ad l. 4. C. de custod. reor. Farinacius criminal. Q. 31. Clarus l. 5. §. fin. Q. 68. n. 4.* Sic & siquis debitorem fisci exemerit, tenebitur fisco & omnibus aliis solvere, *Peckius de J. hist. cap. 33.* atque ita judicatum esse testatur *Christin. vol. 1. decis. 179.*]

Tit. 8. Qui satisdar. cog. C. 2. 57. Inst. 4. 11.

Ante dictum: in jus vocati ut eant, aut satis vel cautum dent. Quid ergo satisdatio vel cautio?

In genere dicimur cavere satisdando, oppignerando, jurando, nude repromittendo.

Quomodo satisdando?

Cavendo per fidejussores. Est itaque satisdatio cautio, quæ fit datis fidejussoribus, *l.* 1 *D. h.*

Qui fidejussores sufficiunt?

Specialiter receptum est, qualemcunque fidejussorem accipi judicio sistendi causa, pro parente, liberis, uxore, nuru, *l.* 2. *§.* 2. *D. h. l.* 2. *in jus voc. ut eant.* At pro aliis dari debet fidejussor locuples pro magnitudine rei, quam actor petit, *l.* 234. *§.* 1. *D. de Verb. Sign.* Locuples autem dicitur non tantum ex bonis, sed & conveniendi facilitate, *l.* 2. *D. h.* Si habeat præscriptionem fori, *l.* 7. *D. h.* vel, si fœmina sit, miles, minor, idoneus non est, *l.* 8. *§.* 1. *D. h.*

Quid, si quis nolit admittere locupletem?

Arbiter sive Iudex (*a*) delegatus ad eum probandum constituetur, à cujus sententia appellari potest, *l.* 9. *&* 10. *D. h.* & si, qui rejectus est, locuples sit notorie, & approbatus ab arbitro per sententiam, potest agi injuriarum, *l.* 5. *§.* 1. *D. h.*

(*a*) Qui fidejussorem dare tenetur, debet hodie constituere eum qui subjectus sit illi territorio, sub quo causa agitatur, *Peckius de J. Sist. c.* 55. *n.* 14. *Christin. ad LL. Mechlin. tit.* 3. *art.* 7. *& tit.* 7. *art.* 42. *n.* 4, 5.]

Quid, si vitiose sit satisdatum?

Pro non cauto habetur, *l.* 6. *D. h.* Sin autem fidejussorem quis sua voluntate probavit, contentus eo esse debet, nisi medio tempore calamitas fidejussori insignis, vel magna inopia acciderit; tunc enim causa cognita de novo est satisdandum, *l.* 10. *ff. h.*

Sufficitne Iudicio sistendi causa oppigneratio loco satisdationis?

Etsi in prætoriis satisdationibus semper fidejussores desiderentur, *l.* 7. *D. de prætor. stipulat.* tamen, si sit

valde dives, licet non possessor immobilium, ex [a] æquirate subveniendum, *arg. l. 7. D. de restit. in int.*

[a] Vide *Wesenb. h. tit. n. 7. Bus. in l. 1. h. n. 4.* & sine difficultate hæc res procedere potest, si reus res mobiles creditori in pignus tradat.]

Qui dicuntur jurato promittere?

Qui jurant sese in judicium venturos. Illis vero jurare indultum, qui, cum non possident immobilia, fidejussores invenire non possunt, *Nov. 112. c. 2. arg. l. fin. D. h.* & qui sunt illustriores, *l. pen. C. de dignitat.*

Qui relinquuntur nudæ suæ repromissioni?

Possessores (a) immobilium. Hi nec satisdant, *l. 15. D. h.* nec jurato promittunt.

(a) Ad dissolvendum arrestum, sc. ut arrestatus se judicio sistat, coguntur immobilium possessores aut oppignorare ea immobilia, aut dare fidejussores, *Peck. de J. S. cap. 45. n. 21. Christin. ad ll. Mechlinienss. tit. 3. n. 8.* alias immobilium possessores non tenentur ea oppignorare ordinario, ut notat *Busius in l. 15. n. 5. ff. h. t.*

Qui possident immobilia?

Qui rem soli in ægro aut civitate ex asse vel pro parte, Emphyteuticum fundum, vectigalem possident, & qui habent nudam proprietatem rei immobilis, licet ususfructus penes alium sit constitutus, *l. 15. §. 1. D. h.* qui fundum dotalem, sive uxor sit, sive maritus, habent, *d. l. 15. §. 3.* Tutores, sive ipsimet possideant, sive pupillus, possidere dicuntur, *d. l. 15. §. 5.* Etiam illi, à quibus res immobilis petitur. *d. l. 15. §. 6.*

Quid de usufructuario, creditore circa pignus, aliisque, quæ actionem personalem habent, vel precario rem possident?

Non sunt pro possessoribus habendi, *d. l. 15. §. 1, 2, 4.*

Quod tempus circa possessionem spectandum?

Cautionis exactæ. Quod enim post accidit, *d. l. 15. §. fin.* non obest, nec prodest.

Habetne satisdatio in aliis quoque locum?

Iure Civili, Actor sive per se, sive per Procuratorem agat, satisdare tenetur, si intra duos menses à tempo-

re

re libelli porrecti litem contestaturum, *Nov. 96. c. 3.* & ad finem in lite (*a*) permansurum, *§. sed. hodie Inst. h. t.* & expensas, si succumbat, (*a*) soluturum, *auth. generaliter. C. de Episc. & Cleric.* Reus verò, si ipse (*b*) suscipiat, jurat, satisdat, vel promittit, se in judicio usque ad terminum litis permansurum, *§. sed hodie 2. Inst. h. t.* adde, *l. un. C. h.* Sin autem per Procuratorem (*c*) se defendat, satisdat se adfuturum sententiæ, &c. *§. 4. Inst. h.* vel, si absens sit reus, præstabit satisdationom Procurator, judicatum solvi, *l. un. C. h.* Sed hæc omnia non eodem modo hodiè observantur. Id certum est, quod defensor semper judicatum solvi satisdet, *d. l. un. & §. 5. Inst. h. l. 46. §. 2. D. de procurat.* & cum in rem (*d*) agitur, etiam de rato, *l. Pomponius 40. §. 2. D. de procurat.* procurator verò, de cujus mandato non est dubium, ex sua persona nulla (*e*) satisdatione oneretur; sin autem sit alioquo modo dubium, debeat cavere de rato, *d. l. unic. C. h. l. 1. C. de procur.*

(*a*) Hæc hodie cessant. (*b*) & hæc cessant. (*c*) Etiam hæc cessant. (*d*) Hoc hodie observatur. (*e*) Ut & hoc.

Suntne & aliæ causæ, in quibus satisdatur?

Sunt variæ, uti de sistendo delinquente, *l. 3. D. de custod. reor.* de non offendendo, *t. t. D. Rem salvam pupill.* in legatis, fideicommissis, in usufructu *t. t. D. & C. ut. leg. vel fideicom. nom. cav. t. t. D. Vsufruct. q. cav.*

Tit. 9. Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caveatur.

Quomodo cavendum, si ex noxali causa agatur?

In eadem causa exhiberi, in qua tunc fuit, dum judicium accipitur, *l. 1. pr. D. h.*

Tit. 10. De eo [a] per quem factum erat, quo minus quis judicio se sistat.

Quid, si quis fecerit, quo minus quis judicio se sistat?

Datur actio, quanti actoris interfuit. In hoc judicio deducitur, si quid amiserit actor ob eam rem; veluti si

reus dominium rei interim sibi acquirat aut tempore liberatus sit, *l.* 3. *pr. D. h.*
(*a*) Hodie hic tit. non observatur.]

Quibus datur hæc actio?

Non tantum actori, sed & reo, *l.* 1. *s.* 3. *D. h.* & heredi. Reus autem, si dolo actoris non steterit, non habebit adversus actorem actionem ex hoc edicto. cum contentus esse possit exceptione, si ab alio sit impeditus; nam tunc actionem propositam adversus eum exercebit, *d. l.* 1. *s.* 3.

Contra quos datur, & quamdiu?

Contra eos omnes, qui fecerunt dolo malo, quo minus judicio se sistat. Illi autem fecisse dicuntur dolo malo, qui suis manibus vel per suos rerinuerunt; imo & qui extraneos rogarunt, ut impedirent aut abducerent, *l.* 1. *s.* 1. *D. h.* & qui venienti quid triste denunciarunt, ob quod necesse habuerit ad judicium non venire; nisi forte quid ipsi imputari possit, quod nimis credulus fuerit, *d. l.* 1. *s.* 2. Contra heredes datur, sed hactenus tantum, ut ex dolo defuncti nihil lucrentur, *d. l.* 1. *s. fin.* Non autem datur ultra annum, *d. l.* 1. *s. fin.*

Quid, si plures fecerint?

Omnes tenentur. sed si unus præstiterit pœnam, cæteri liberantur, cum nihil ulterius intersit, *d. l.* 1. *s.* 4.

Quomodo hic titulus distinguitur à tit. sup. ne quis eum, &c.?

Præcipua est differentia, quod hoc tit. agatur de eo qui fecit, quo minus is, qui promisit vel cavit se venturum, se sistat. Illo de eo qui in jus vocatum, qui nondum caverat se venturum, exemit. Accedit, quod hoc quod interest; illo meram pœnam persequamur: quod hoc unius solutione omnes liberentur; illo non liberentur reliqui.

Tit. 11. Si quis cautionibus Iudic. sist. caus. fact. non obtemperav.

Quid, si quis cautionibus judic. sistend. causa factis non obtemperaverit?

Si certum fuerit cautione comprehensum, certi ex stipulatu agetur; si incertum, incerti, in id quod interest, *l.* 3. *D. si quis in jus voc. non ier.* Æstimatio autem ejus, quod interest, referenda est ad tempus, quo sisti debuit, non ad id, quo agitur. *l.* 12. *s.* 1. *D. h.*

Qui dicitur non obtemperare cautionibus?

Qui vel in totum vadimonium deserit, vel non in eadem causa reum sistit, *l.* 11. *D. h.*

Quando quis sistitur in eadem causa?

Cum actori persecutio non sit deteriori loco, licet exactio sit difficilior, uti si, qui sistitur, novum æs alienum contraxerit, pecuniam perdiderit, alterive judicatus sistatur, *d. l.* 11. Cæterum, qui privilegio fori utitur, non videtur sisti in eadem causa, *l.* 12. *pr.*

Quid, si plures una stipulatione promiserint sisti, & unus non sit status?

Committitur integra quidem pœna jure: verum, si pro rata unius offeratur pœna, exceptione doli utetur, qui convenitur, *l.* 9. *s.* 1. *D. h.*

Quid, si dies non sit comprehensus stipulatione, intra quem sisti debuit?

Ne actus pereat, erit in potestate stipulatoris agere, ut dies sive moderatum spacium à Judice statuatur, *l. de die* 8. *D. qui satisd. cog.*

Quibus ex causis cessat pœna non sistentis?

Sunt variæ. 1. Si transactum sit de negotio, *l.* 2. *pr. h.* 2. Si, qui vocatus est, municipalis muneris causa impeditus fuerit, *d. l.* 2. *s.* 1. 3. Si ad testimonium evocatus fuerit, *d. l. s.* 2. 4 Si valetudine prohibitus. Ita & ex *l.* 12 tabb. judicii dies sit diffisus ob morbum sonticum, *d. l.* 2. *s.* 3. 5. Si mulier, quia gravida est, se non stiterit, licet non sit ægra, *d. l.* 2 *s.* 4. 6. Si tempestate vel vi fluminis, quæ sit itineri vel navigationi impedimento, detentus sit, *l.* 2. *s.* 3. 6, 7, 8, 7. Si magistratus quem detinuerit sine dolo, *d. l.* 2. *s.* 9. Si autem pri-

privatus fecerit, quo minus sese sisteret, convenitur ex edicto de eo, per quem fact. *d. l.* 2. *s. fin. l* 3. 8. Si quis rei capitalis condemnatus sit, fidejussoribus subvenietur, *l.* 4. *pr. D. h.* 9. Si in vinculis fuerit, vel à militibus custoditus, *d. l.* 4. *s.* 1. 10. Si ei causa funeris domestici obstiterit, *d. l.* 4. *s.* 2. 11. Si in hostium potestate fuerit, *d. l.* 4. *s.* 3. 12. Si reipubl. causa abfuerit, *l.* 6. *D. h.* 13. Si post tres, aut quinque, plurisve dies venerit, nec actoris jus ex mora deterius sit factum, *l. Ejsi* 8. *D. h.* 14. Si homo, sisti promissus ante diem interierit sine dolo promissoris. Sin autem dolo, non ante potest peti pœna, quam dies venerit, *l.* 10. *s.* 1. 15. Si judex ipse vel ob morbum sonticum vel al am rationem, isti negotio non potuerit vacare, *d. l.* 2. *s.* 3. 16. Si procurator vel Advocatus absit, & causa sit talis, quæ alteri non facile possit committi, *arg. l.* 7. *D. de restit. in integr.*

Crediturne alleganti justam causam excusandi?

Non facile: sed, quia est res non immodici præjudicii, potest etiam solo juramento causæ veritas confirmari.

Potestne renunciari hisce causis?

Si convenerit, ne ulla (*a*) exceptio objiciatur, non valebit conventio: si vero specialiter causæ certæ exceptionum expressæ sint, quibus à promissore sponte renunciatum est, valebit, *l.* 4. *s.* 4. *D. h.*

(*a*) Singulare est hoc in hac causa, quod renuntiatio ista generalis non habeat effectum, itaque ad renuntiationes in contractibus generales hoc jus non trahetur, ut notat *Busius ad l.* 4. *s.* 4 *D. h. tit.* quod & in praxi observatur, modo is qui renuntiavit exceptione omnes, quæ pro ipso facere possunt, probè noverit; Sic ex. gr. si Doctor juris se constituens cum aliis fidejussorem, renuntiaverit omnibus exceptionibus & privilegiis fidejussorum, viderur renuntiasse etiam Divisionis & Excussionis, si autem is qui non intelligit omnes ejusmodi exceptiones, non videtur incognitis renuntiâsse, *arg. l.* 9. *s.* 1. *l.* 12. *D. de transact.*]

Tit.

Tit. 12. De Feriis. Lib. 1. Cod. Tit. 12.

Quid sunt Feriæ?

Dies, quibus jus publice non dicitur; vel, qui actibus judicialibus sunt vacui.

Quomodo distinguuntur?

Sunt vel solennes sive ordinariæ, quæ quotannis vel certis temporibus recurrunt; vel repentinæ sive extraordinariæ, quæ ob incidentem causam solent extra ordinem indici.

Quomodo solennes subdistinguuntur?

Sunt vel sacræ, quæ ad cultum Dei; vel profanæ, quæ ad usum profanum institutæ sunt. Sacræ, quæ sunt diebus Dominicis, *l. fin. C. h.* aut festis cum mobilibus, tum immobilibus, *l. 2. 6. C. h.* Profanæ, uti messium vel vindemiarum tempore, *l. 1. 3. D. h.*

Quomodo repentinæ?

Sunt etiam vel sacræ, ut dies jejunii, precum, gratiarum actionum, &c. vel profanæ; uti eæ quæ ob inaugurationem, adventum, nuptias, funus Principis indici solent.

Quis habet potestatem indicendi ferias?

Ferias indicere publicas solus Princeps potest, *l. 4. C. h.* sed indictas potest quilibet Iudex, pro usu & justa ratione, moderari, nisi sint sacræ, *d. l. 4. junct. l. 4. D. h. l. 7. D. de off. Proconf.*

Nihilne licet agere diebus feriatis?

Possunt fieri actus voluntariæ Iurisdictiouis; uti manumissio, *l. 7. C. h.* quibus exercentur opera non tantum misericordiæ, sed & ea, quorum commoditas, cœlesti provisione concessa, occasione momenti periret, *l. 3. C. h.* vel quæ differri non possunt. Item, quæ expediri Reipubl. interest; uti investigatio latronum, *l. pen. C. h.* custodia ac disciplina militaris, vigiliæ, *l. pen. D. h.* quæque pertinent ad annonam publicam, (sc. in iis, quæ alio die haberi non possunt,) vel ad cultus divini ac feriarum tuitionem, litiumque sublationem, *l. fin. C. h.* Hæc omnia tam valent in sacris, quam profanis.

Est finc

Estne singularis locus de die Dominico?

Sancitum, *l. fin. C. h.* ut die Dominico, omnes ab executionibus excusentur: nulla quenquam urgeat admonitio: nulla fidejussoris flagitetur exactio: taceat apparitio: advocatio deliteſcat: ſit ille dies à cognitionibus alienus: Præconis horrida vox ſileſcat: reſpirent à controverſiis litigantes, habeant fœderis intervallum, &c. ſubeat animos vicaria pœnitudo: pacta conferant, tranſactiones loquantur. Nec hujus tamen religioſi diei otia relaxantes, obſcœnis quenquam patimur voluptatibus detineri. Nihil illo die ſibi vindicet ſcena theatralis, aut Circenſe certamen, aut ferarum lacrymoſa ſpectacula. Amiſſionem (a) militiæ, proſcriptionemque patrimonii ſuſtinebit, ſi quis hæc crediderit temeranda.

(a) Etſi quidem dies Dominicus hodie ſit ſanctificandus omni modo, hæc pœna tamen non habet locum.]

Toteſtne ergo die Dominico fieri citatio?

Nullo (a) modo, licet etiam fiat ad diem non feriatum: niſi periculum ſit in mora, vel pietas, vel neceſſitas aliud ſuadeat.

(a) Vide *Gail lib. 1. obſ. 53.*]

Liceatne renunciare feriis?

Recte quidem profanis ordinariis, ſed non ſacris, *d. l. fin. C. h. junct. l. 1. §. 1. l. 6. D. h.*

Quæ præterea fieri poſſunt in profanis?

Præter omnia, in quibus dilatio actionem eſt peremtura, *d. l. 1. §. 2. D. h.* recte tutores aut curatores dantur, atque officii ſui admonentur, excuſationes allegantur, alimenta conſtituuntur, ſive ex neceſſitate præſenti, ſive poſt ſecutura; ætates probantur ventris nomine, rei ſervandæ, legatorum vel fideicommiſſorum, damni infecti cauſa, in poſſeſſionem mittitur, Curator bonorum datur, &c. *l. 2. l. 3. pr. §. 1. 2, 3. l. 6. D. h.* Cauſæ fiſcales ac piſtoriæ ſive annonariæ tractantur, *l. 5. pr. & §. 1. junct. l. 7. C. h.* appellatio quoque fit, *l. 1. C. h.*

Quid, ſi die feriato quid ſit actum extra caſus exceptos?

Quod actum, nullius eſt momenti, *l. 1, §. 1. D. h.*

De

De Dilationibus. Lib. 3. C. Tit. 11.

Quid sunt dilationes?

Intermissiones judicii, ad tempus litigantibus concessæ à lege, sive statuto, aut à Judice.

Quomodo distinguuntur?

Sunt vel conventionales, de quibus inter partes convenit; vel non conventionales, de quibus non convenit. Hæ vel dantur à lege; & dici possunt legitimæ: quales sunt Citatoriæ, de quibus *l. 69. & seqq. D. de Iudic. Auth. qui semel. C. quomod. & quand. Iud.* Deliberatoriæ, de quibus *Auth. offeratur. C. de lit. contest.* Probatoriæ, (a) *l. 1. C. h.* in quibus simul vertitur officium Iudicis, *d. l. 1. l. fin. C. h. Nov. 69. c. 2.* Appellationis interponendæ, *Auth. hodie. C. de appellat. Iudices. C. eod.* Executionis, *l. fin. C. de usur. rei judic.* Vel dantur à Iudice, cum judex ex justa ratione, vel moderatur tempus à lege datum, ut *d. l. 1. C. h.* vel ipse concedit tempus, cum lex nullum dedit, *l. de die 8. ff. qui satisd. cog. §. 2, 3. Inst. de off. Iudic. l 1. in fin. D. de jur. delib.*

(a) De dilationibus probatoriis vide, *Gail lib. 1. obs. 91. Mynsing. lib. 1. obs. 72. & seq. Carpzov. part. 2. lib. 3. tit. 7. resp. 71.*]

Quot dilationes solent à Iudice communiter dari?

Iure Civili, in pecuniariis & civilibus tantum una: In criminalibus, accusatori duæ, reo tres, *l. fin. D. h.* Ast etiam sæpius in civilibus, causa cognita, *l. 7. d. h.* Hodie, secundum mores, hæc omnia fere sunt arbitraria. Summopere vero cavendum, ne dilationes nimis frequententur, in injuriam partis adversæ.

Quis est effectus dilationum?

Uni ex litigantibus datæ & alteri prosunt. Interim nihil innovandum: & justa est per eas à mora excusatio, *l. 3. C. h.*

Debentne & feriæ excipi?

Nullo (a) modo, sive solemnes, sive repentinæ sint, *d. l. 3.* confer *l. 26. §. 7. D. quib. ex caus. maj.* nisi forte justa causa aliud suadeat.

(a) Idem testatur *Gail lib. obs. 53. n. 12.*]

Potestne

Potestne prorogatio dilationis peti?

Potest (*a*) omnino, ex causa.

(*a*) Prorogatio conceditur non recte in prima, secunda vel tertia, sed optimè in quarta, *Gail lib. 1. obs. 91. Carpsovius part. 1. constit. 17. & lib. 1. tit. 7. resp. 71.*

Tit. 13. De Edendo. Lib. 2. Cod. Tit. 1.

Vocato in jus estne actio edenda?

Indubie: ut vocatus sciat, utrum contendere an cedere velit, *l. 1. D. h.* Et non tantum actio, sed & alia sunt edenda.

Quid est edere?

Est Codicem proferre, copiam describendi facere, vel in libello complecti, & dare, vel dictare; vel producere adversarium ad album, & demonstrare, quod dictaturus est judicium, *l. 1. §. 1. l. 6. §. edi. 7. D. h.* vel futuræ litis speciem ostendere, *l. 3. Cod. h.*

Quomodo distinguitur inter edere & exhibere?

Exhibere est præsentiam corporis facere, sive sint tabulæ, sive aliarum rerum species, *l. 2. ff. ad Exhib. l. 3. §. 9. D. de tab. Exhib. l. 22. 246. D. de Verbor. Signif.* Edere autem est copiam, sive exemplar, vel libellum, quo quis intentionem suam complexus est, dare, vel dictare, ut supra.

Qui debent edere?

Ordinariò actores, *l. 1. 4. fin. C. h.* non rei. quia, qui accusare vel agere volunt, probationes habere debent; cum neque juris, neque æquitatis ratio permittat, ut alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. Actore enim non probante, reus, etsi nihil ipse præstet, obtinebit, *l. 4. C. h. l. nimis 7. C. de Test.*

Quibus edendum est?

Reis, non ita actoribus. Nisi 1. quis consciipserit rationes, instrumentave ex officio, cujus ministerium publicam habet causam. Tales fuerunt argentarii, *l. 4. pr. & §. 1. l. 10. pr. & §. D. h.* qui edere tenebantur, sive controversia esset cum ipsis, sive cum alio, *d. l. 10. D.* Tales & hodie sunt actuarii, scribæ publici,

publici, secretarii, & similes. 2. N'si quis administraverit alterius negotia, quales sunt Procuratores, socii, tutores. Hi vero non conveniuntur actione in factum ex edicto de Edendo, sed ordinariis mandati, pro socio, Tutelæ, ut rationes reddant suæ administrationis, *l. quædam 9. D. h. l. 1. §. 3. D. de tut & act. distr.* 3. Nisi quis scripserit rationes alienas actoris in sua charta, *l. 3. § 14. D. ad Exhib.* si autem in actoris charta; vindicatio & actio ad exhibendum est parata, *d. l. 3. §. 14. l. 4. 6. C. ad Exhib. 4.* Nisi quis petat à venditore vel herede edi instrumenta, vel alia acta, quibus demonstrentur fines fundi venditi, *l. Titius 48. D. Act. Empt.* vel certitudo legatorum investigetur, *l. prædiis 91. §. 3. D. de legat. 3. 5.* Nisi communia [a] sint instrumenta, *l. 7. C. h. l. 4. in fin. l. 5. D. fam. Ercisc. 6.* Nisi sit usurarius, qua de ejus delicto usurario quæritur, *Clem. 1. vers. cæterum de Vsur. 7.* Nisi sit heres, à quo petitur editio rationum defuncti, & instrumentorum hereditariorum, ut constet legatariis, cum de L. falcidia quæritur, de quantitate hereditatis, *l. pen. §. fin. D. Ad l. falcid. 8.* Nisi sit fiscus, qui sibi petit edi, modo non sit causa capitalis, *l. 3. D. h. l. 2. §. 1. 2. D. de Iur. fisc. 9.* Nisi sit amissum instrumentum, *l. 6. §. 9. D. h. 10.* Nisi justa causa extra ordinem Iudicem moveat, ratione interesse actoris, *d. l. 6 §. 9. D. h. junct. l. 7. D. de in integ. restit.*

[a] Vide *Gail lib. 1. obs. 106. n. 4. Carpzov. Elect. constitut. 17. decis. 26.*]

Potestne sæpius peti editio?

Potest, verum non aliter, quam ex causa, *d. l. 6. §. 10. l. 7. D. h.* quam summatim cognoscet Iudex.

Quid continet actio ad edendum?

Vt, si non edatur, præstetur (a) id, quod interest, *d. l. 6. §. 4. l. 8. §. 1. D. h.* Id vero interesse æstimatur eo tempore, quo à Prætore editio decernitur, *d. l. 8. §. 1.*

(a) Poena non edentis apud Saxones est, ut actor causâ cadat, & contra reum solida stet præsumptio, *Carpzov p. 1. constit. 17. definit. 30. & seqq.*]

Qua

Quæ sunt edenda?

Instrumenta, rationes, actiones, quibus actor utitur.

Quæ instrumenta?

Non necesse est tradi originalia sive ipsa authentica, nec omnia, quæ habet actor, & quibus non est usurus, sed sufficiet exemplar, *l.* 11. *D. h.* & tantum eorum, quibus usurus est, *l.* 1. §. 3. *D. h.* edi.

Quomodo eduntur?

Non sunt [*a*] particulæ, sed tota edenda, *l.* 1. §. 4. sic tamen, ut non sit opus edi diem [*b*] & consulem, *d. l.* 1. §. 2. *l.* 11. scilicet, quo sunt facta, ne quid ex eo excogitetur, & prælato die fraus fiat. Diem autem, in quem solutio est concepta, edi oportet, quia est pars obligationis, *d. l.* 1. §. 3.

[*a*] Vide *Gail lib.* 1. *obs.* 106. *n.* 10. quæ res habet justissimam rationem, ne sc. dum particula aliqua editur, veritas totius rei haberi non possit, quò facit *l.* 24. *D. ff. de LL.* [*b*] Hodie autem id non observatur.]

Quomodo sunt reddendæ rationes?

Cum die & consule: quoniam accepta & data non aliàs possunt apparere, *d. l.* 1. §. 3.

DE LIBELLO.

Quomodo editur ordinario actio?

Porrecto libello Judici, *Auth.* [*a*] *offeratur. C. de Litis. Contestat.* quo continetur intentio actoris. Hunc appellamus libellum conventionalem, vel libellum actionis.

[*a*] Exolevit hæc Authentica, *Zypæus h.*]

Quare libellum actionis vel conventionalem?

Quia sunt variæ species libellorum. Sunt enim libelli supplices, sive preces, quibus citationem vel quid aliud decerni supplicantes petunt à Iudice vel Principe. Sunt libelli excusationum quibus continentur causæ excusationis à muneribus tutelæ vel curæ, aut aliis. Sunt responsionum, quibus respondet reus ad intentionem actoris. Sunt replicationum, duplicationum, &c. Sunt positionum, salvationum, reprobationum, & similes. Verum, secundum excellentiam Libellus actionis dicitur libellus.

Quo-

Quomodo hic libellus distinguitur?

Dicitur vel simplex, qui continuus est, & unico orationis contextu constat: vel [a] articulatus, qui per breves adsertiones & per articulos, ad circumstantias facti & causæ accommodatos, intentionem actoris exhibet.

[a] Saxonia libellum articulatum non habet, quando autem articulatus verè locum habeat, tradit *Gail lib. 1. obs. 79. & Mynsing. centur. 5. obs. 88.*]

Quæ continebit libellus actionis?

Ea omnia [a] comprehenduntur hoc versiculo:

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo,
Recte compositus quisque libellus habet.

Debet autem confici secundum stylum & consuetudinem cujusque loci. In genere vero in exordio, reverenter Iudex compellandus, litigantes rectè nominandi, eorumque qualitates exactè exprimendæ. Deinde, in propositione ac narratione, causa agendi valida subjicienda. Denique, in conclusione, petitio accurate proponenda est.

[a] Requisita libelli recensèt *Gail lib. 1. obs. 61.*]

Estne nomen actionis exprimendum?

Non est necesse, modo rectè petitio possit intelligi, *l. 2. C. de form. ac impet. sublat.* & id allegetur, ex quo actionis natura & efficacia explicari possit.

Debetne causa proxima tantum allegari?

In reali sufficit allegari proximam causam, dominium, vel quasi: siquidem non incidat controversia de remota causa dominii. In personalibus & remota alleganda, hoc est, & obligationis, & causa, ex qua est obligatio nata. Sed utilius est etiam, in reali addere causam dominii, ne postea agenti ex aliqua causa speciali objiciatur exceptio rei judicatæ, *l. 14. §. 2. D. de excep. rei jud.*

Quid, si narratio sit apta, conclusio inepta?

Si inepta (a) conclusio sit, sive narratio sit apta, sive non, nullius est momenti libellus. Sin inepta sit narratio, conclusio vero apta, valet libellus, quia conclusio reliqua ampliat, restringit, vel exponit.

(a) Vide *Gail lib. 1. obs. 66. & seqq.*]

Quæ

Quæ sunt proprietates libelli?

Debet esse clarus ac certus. In dubio autem sustinetur, qua sustineri potest, *l.* 12. *§.* 21. *D. de reb. dub.* &, si quid obscurum & ambiguum, fiet interpretatio ejus secundum eum qui libellum edidit, *l.* 66. *D. de judic.*

Potestne valere libellus alternativus?

Non est [*a*] dubium. 1. Quoties dubitatur, qualis actio competat, *l.* 1. *§.* 4. *D. quod l. gat.* 2. Quoties una est alteri [*b*] successoria, vel accessoria, vel coadjutoria; uti fit in hypothecaria, *l.* 16. *§.* 3. *D. de pignor.* in Publiciana concurrente eum Rei vindicat, *l.* 1. *D. de public. in rem act.* 3. Quoties lex jubet alternative agi, *l.* 2. *C. de rescind. vend.* 4. Quoties quid alternative debetur, *§.* 33 *Inst. de action.* Verum, si unius actionis positio, sit alterius sublatio, uti in, *l.* 1. *C. de furt.* non valet libellus alternative conceptus.

[*a*] Videatur *Mynsing.* 2. *obs.* 42. *&* 4. *obs.* 11. *Gail lib.* 1. *obs.* 62. [*b*] Vide *Gail lib.* 1. *obs.* 62. *n.* 8. *& seqq.*]

Valetne libellus generalis?

Non est dubitandum: modo actio sit generalis. Vnde & complectitur libellus generalis omne id, [*a*] quod supervenit, *arg. l.* 4. *D. de pet. hered.*

[*a*] *Gail lib.* 1. *obs.* 68. *n.* 1.]

Estne permissum corrigere libellum?

Quin ante litem contestatam permissum sit, non est dubium, *l.* 3. *C. h.* Post litem vero contestatam, renunciandum est instantiæ. At de novo est agendum hisce casibus, 1. Si totum genus actionis mutetur. 2. Si mutetur id, de quo principaliter est disputatum, & sunt refundendæ omnes litis impensæ, *l.* 79. *§.* 1. *D. de Iud.* Sin autem accidentia, eaque, de quibus principalis non est controversia, & quæ facile corrigi possunt sine injuria ac molestia nimina adversarii, mutentur, nihil fit contra leges, sive ante sive post contestatam litem correctio fiat, *§.* 34. 35. *Inst. de act.*

Estne in omnibus libellus solemnis necessarius?

Non desideratur in summariis sive extraordinariis causis, *Clement. Sæpe. de Verb. Signif.*

Tit. 14. De Pactis, Et Lib. 2. Cod. Tit. 3.

Quid est pactum?

In genere duorum pluriumve in idem placitum consensus, *l.* 1 *s.* 2. *D. h.* Estque nihil aliud, quam conventio de re aliqua vel facto.

Quomodo distinguitur?

Est vel publicum, quod fit ex causa publica: uti de pace, induciis, confœderationibus Principum: vel privatum, quod fit de causa privata, *l.* 5. *pr. & s.* 1. *D. h.*

Quomodo distinguitur privatum?

Aliud habet causam, aliud eâ destituitur. Quod habet causam, Contractus dicitur: quod non habet, retinens nomen generis, appellatur pactum.

Quid est causa?

Negotium habile, quod ex vi Iustitiæ commutativæ, per confirmationem legis, producit validam obligationem.

Quid sunt contractus?

Conventiones, quæ ex justa causa producunt obligationem, hoc est, quibus ultro citroque hoc agitur, lege adjuvante, ut obligatio fiat, *arg. l.* 19. *D. de Verb. signif.*

Quomodo distinguuntur?

Sunt alii ab una parte, uti mutuum, stipulatio; alii ab utraque parte obligantes, uti Emtio, venditio, locatio conductio. Rursus, alii nominati, qui certam & ab aliis distinctam essentiam habent; alii innominati, qui non habent essentiam propriam, *l.* 7. *s.* 1. *D. h. & juncta l.* 5. *s.* 1. *D. de præscr. verb.* Rursus, sunt vel bonæ fidei, vel stricti juris: de quibus infra.

Pactum, quod non habet causam, quomodo distinguitur?

Est vel legitimum, vel nudum. Hoc in nudi placiti

citi finibus consistit: illud lege aliqua speciali confirmatur, *l.* 6. *D. h.* Exemplum legitimi est in Constituto, *l.* 1. *l.* 10. *D. de const. pecun.* Hypotheca, *l.* 17. *§.* 2. *D. h.* Donatione, *l.* 35. *inf. C. de donat.* Iurejurando conventionali, *l.* 5. *§.* 2. *D. de jurejur.*

Quomodo distinguitur pactum, quod ad contractum refertur?

Id vel est à contractu confirmatum, sive præcedat, sive sequatur, *l.* 27. *C. h.* vel contractui in continenti aut ex intervallo adjectum, *l.* 7. *§.* 5. *D. h.*

Quomodo aliter distinguitur pactum?

Est vel tacitum, vel expressum. Hoc per conventionem manifestam: Illud sine conventione ex facto præsumitur, *l.* 2. *pr. & §.* 1. *D. h.* Sic 1. Qui chirographum reddidit, tacite pactus videtur de non petendo, *d. l.* 2. *§.* 1. quod in pignoris redditione diversum est, *l.* 3. *D. h.* 2. Qui in futurum usuras à debitore acceperit, tacitè pactus videtur, ne intra id tempus agat, *l.* 57. *D. h. l.* 2. *§.* 6. *D. de dol. mal. & met. except.* 3. Quæ invecta & illata sunt in prædium urbanum, creduntur esse pignori pro mercede, *l.* 4. *D. h.*

Quid, si reddidero cautionem, qua & is, cui reddo, & alius est obligatus?

Remisisse illi cui reddidi, non alteri, videor. Cum autem nunquam donatio præsumatur, si alia sit ratio explicandi, *l.* 7. *De donat. l.* 25. *D. de probat.* is, cui redditum est, Procurator tacite constitutus in rem meam videbitur.

Quid, si habeas multa de eodem debito Chirographa, reddiderim unum?

Non videor remisisse, *arg. l. fin. D. de his quæ in test. debent.* quia per alia exigi æque potest.

Quomodo aliter distinguitur pactum?

Est vel in rem, vel in personam. In rem, cum generaliter: In personam, cum in gratiam personæ certæ, pactum est interpositum. Vti ne à solo Titio petam, *l.* 7. *§* 8. *D. h.*

Atqui

Atqui, omne pactum videtur in personam, quia est semper ad commodum personæ, quæ paciscitur.

Plerumque persona pacto inseritur, non, ut personale sit pactum, sed ut constet, cum quo pactum sit, *d. l. 7. §. 8. D. h.* In dubio vero est pactum in rem; quia personale pactum est restrictum ad certam personam: restrictio autem non præsumitur.

Qui possunt pacisci?

Qui consentire possunt, rerumque domini sunt, & earum liberam habent administrationem, *l. 1. §. 3. D. h.* Prohibentur autem quidam natura; uti Infantes, *§. 9. Inst. de inutil. stipul.* Furiosi, *l. 5. D. de Reg. Iur.* Ebrii, quorum mens in totum exulat. Quidam lege, uti pupilli, infantia majores sine tutorum authoritate, nisi meliorem faciant conditionem paciscendo, *l. 5. D. de author. tut. l. 28. D. h.* Qua autem locupletiores facti sunt, etiam valide conveniuntur, *l. 3. D. commod. d. l. 5. D. de auth. tut. l. 10. D. de instit. act.* Puberes autem recte paciscuntur, *l. 101. D. de Verb Oblig. l. 43. D. de Obl. & Act.* modo nihil alienent, cum habent curatores, *l. 3. C. de in integr. rest. minor.* Prodigi pacto prodesse, non nocere sibi possunt, *l. 6. D. de Verb. Oblig.*

Quid juris in filiofam? 15

Nihil potest detrahere pacto rebus patris, *l. 3. 28. C. l. 28. §. fin. D. h.* quinimo nequit actionem nomine peculii profectitii sibi competentem remittere animo donandi, *d. l. 28. §. fin.* licet liberam peculii habuerit administrationem; quia non est concessum, ut donet, *l. 7. pr. D. de donat.* At de iis, quæ propriam ejus personam concernunt, recte paciscitur, *l. 30. D. h.* Sic & paciscendo conditionem patris potest reddere meliorem, *l. 17. §. fin. D. h.* & remittit valide obligationem ex peculio, quatenus tantum vel plus consequitur, *d. l. 28. §. fin.*

Quid juris in tutoribus, & similibus?

Liquidum jus remittere non possunt, *l. 22. C. h. l. 46. in fin. D. de administ. tutor. l. 7. §. 3. D. pro emt.* at, in

commodum eorum, quibus sunt præfecti, recte paciscuntur, *d. l.* 28 *s.* 1.

Quibus quis paciscitur?

Sibi & suis heredibus, *l.* 17. *s. si pactus. ff. h. l.* 38. *s.* 17. *l.* 126. *s. Chrysogonus. D. de Verb. Oblig. s.* 4. *Inst. de inutil. stip. l.* 73. *s. fin. D. de Reg. Iur.* non [*a*] aliis, *dd. Ll.* nisi, vel interesit ipsius pacisentis, *arg. s.* 18. *& seqq. Inst. de inutil. stip*, vel quis pactus fuerit de re aliena domino restituenda, *l. pen. C. ad Exhib.* vel de re propria reddenda alteri, *l.* 26. *D. depos. l.* 3. *C. de donat. q. sub mod.* vel nisi, qui pactus est, sit in potestate ejus, cui paciscitur, *l.* 17. *s. f. l.* 18. *D h.* vel sit tutor, *l.* 22. *C. h.*

[*a*] Hodie quidem sic valet pactum alteri factum ut is, cui factum est, hoc possit ratum habere, cum utile ei est, alias in commodum alteri factum pactum non valet; sic & hodie potest per notarios vel similes fieri acceptatio nomine alterius, *Busius in l.* 38. *s.* 17. *D. de verb. Obligat. Anton. Faber Cod. suo tit.* 31. *definit.* 1. *Grotius lib.* 3. *manud. tit.* 1. *in fine*, *Zypæus de contrah. stipul. in princ.* Jure Civili valuit pactum plurium creditorum, ut portione aliquâ essent contenti, & nocebat etiam aliis sic ut cogantur sequi, *l.* 7. *s. fin. l.* 8, 9, 10. *D. h.* Hodie autem id non procedit, *Zypæus ad tit. qui bonis cedere &c. vers. sed neque.* Et conforme hoc est edicto *Caroli V. edito* 19 *Mari* 1544 *art.* 35. ita quidem ut nec induciæ per plures factæ aliis noceant, *d. art. Neostadius decis.* 57.]

Quid, si quis filio suo paciscatur?

Inutile hoc est, nisi ei, ut heredi, pactum fiat, *l. avus* 33. *D. h. l. avus* 10. *D. de pact. dotalib.* adde *l.* 21. *s. D. h.*

Si uni cautum per pactum, debetne hoc aliis heredibus nocere, ut illi in solidum teneantur?

Non: quia singuli pro partibus [*a*] hereditariis sunt obligati ipso jure, in iis quæ divisionem recipiunt, *l.* 1. *C. de action. hered.*

[*a*] Hodie receptum est quod quis unum ex heredibus possit gravare, *Christin. ad ll. Mechlin.* 16. *art.* 37. *& ar.* 38. *n.* 2. ut & *vol.* 6. *decis.* 53. *n.* 3. *&* 4.]

Quid

Quid juris est in sociis?

Hi remittere nihil possunt pacto in cæterorum detrimentum; sed recte novant, quia alia substituitur obligatio, *l.* 10. *l.* 31. *§. duo. D. de novat.* nihilque perit.

Potestne reus fidejussori pacisci, vel vice versa?

Potest: quia & ejus interest, dissolvi obligationem fidejussoris, *l.* 21. *in fin. D. h.* Fidejussoris autem conventio sibi facta nihil proderit reo, quia non interest fidejussoris, reum liberari, *l.* 23. *D. h.* nisi fidejussor in rem suam spopondit: tunc enim est propria obligatio, *l.* 24. *D. h.* vel nisi in specie actum sit, ne à reo petatur: tunc enim actori petenti objicietur exceptio doli, *l.* 25. *paragraph.* 1. *& l.* 26. *D. h.*

De quibus rebus licet pacisci?

De omnibus, modo ratio vel lex non obstet. Obstat vero lex. 1. Si quid turpitudinis sit in pacto, *l.* 27. *§.* 4. *D. h.* Sic nunquam dolus futurus remittitur, *§.* 3. *d. l.* 27. adeo, ut nec stipulatio, nec jusjurandum turpe pactum corroboret, *l.* 7. *paragraph.* 16. *D. h. l.* 5. *C. de legib.* 2. Si contra legum formam quid fiat, *d. l.* 7. *paragraph.* 7. *D. h.*

Liceatne de hereditate pacisci?

De mortui licet, modo fuerit delata, *l.* 35. *§.* 2. *C. de Inoffic.* Circa vivi (*a*) hominis hereditatem, Iure Civili est distinguendum inter pactum de succedendo & non succedendo. utroque modo, vel paciscitur quis de certi vel incerti hereditate, cum tertio, vel cum illo, de cujus bonis pactum. In hisce omnibus hæ regulæ observandæ. 1. Pactum, ut quis fiat heres (*b*) alterius, nullius est momenti, *l.* 61. *D. de Verb. Oblig.* imo Reciprocum (*c*) pactum de hereditate acquirenda, non valet, nisi inter solos milites, *l.* 19. *C. h.* 2. Pactum de hereditate certi inter alios valet, si is certus consentiat, & perseveraverit in eadem voluntate ad extremum vitæ spiritum, *l. fin. C. h.* Semper autem potest mutare suam voluntatem. 3. De incerti hereditate licet quolibet modo pacisci, *l.* 3. *§.* 2. *D. pro. soc.* 4. Renunciare nemo potest hereditati viventis, *l.* 94. *D. de acq. hered. l.* 35. *§.* 1. *C. de Inoff.* Etiamsi aliquid ejus nomine quid ei sit datum, *l.* 3. *C. de Collat., l.* 15. *C. h.*

d. l. 35. *§.* 1. Nisi tantum acceperit, quantum alias illi competere potuisset, *arg. l.* 1. *§.* 3. *D. si quis à par. manum.*

[*a*] De pactis circa hereditatem viventis tractat eleganter *Hartmannus Pistor lib* 4. *Q.* 1, 2, 3, 4, 5. [*b*] Huic regulæ non obstat pactum de unione prolium, de qua elegantissime *Gail lib.* 2. *obs.* 125. & *Richius tract. de Unione prolium*, quod ubique viget, quandoquidem non directo id fit ob hereditatem acquirendam, sed ad æqualitatem inter liberos diversi matrimonii introducendam [*c*] Vide *Gail d. lib.* 2. *obs.* 126. Sic & videmus in Germania pacta esse constituta inter nobilissimas familias, & valere, ut si unius familiæ stirps extinguatur, proximi ex altera succedant, *Gail lib.* 2. *obs.* 127.]

Cur dictum Iure Civili?

Quia hodie ex pactis (*a*) doralibus reciprocum pactum inter conjuges de succedendo valet: Et renunciationes hæreditatum, maxime si juratæ sunt, admittuntur, *d. c.* 2. *de pact. in* 6. Nam omne juramentum, quod non lædit animam vel tertium, est servandum, *d. c.* 2. *& c.* 18. *x. de Iurejur.*

(*a*) Vide *Hartmann. Pistor. lib.* 4. *Q.* 6. *Gail lib.* 2. *obs.* 39. *n.* 22.]

Suntne & alia, de quibus non licet pacisci?

Non valet pactum advocati cum cliente de quota litis, *l. litem C. de Procur. l.* 6. *§. fin. l.* 7. *ff. mandat.* licet juratum sit. Vti nec Medici cum ægro de honorario modum excedente, *arg. Dd. Ll.*

Quomodo sit pactum?

Et inter absentes & præsentes: vel re, vel literis, vel per nuncium, *l.* 2. *pr. D. h.*

Quis est effectus pacti?

Parit actionem 1. Si causam habeat, *l.* 7. *§.* 12. *D. h.* 2. Si legitimum sit *l.* 6. *D. h.* 3. Si contractui bonæ fidei adjectum sit in continenti, sive adjiciat, sive quid detrahat, *l.* 7. *§.* 5. *D. l.* 13. *C. h.* 4. Si stricti juris contractui sit additum, & quid detrahat, *l.* 4. *in fin. l.* 40. *D. reb. credit.* 5. Si confirmatum sit per contractum,

tractum, *l.* 27. *C. h.* Non producit actionem, sed exceptionem tantum, si nudum sit, *l.* 7. *§.* 4. *D. h.* vel si adjectum ex intervallo cuilibet contractui, vel in continenti stricti juris, & quid addat, *arg. d. l.* 7. *§.* 5. *D. l.* 13. *C. h. & d. l.* 4. *§. fin. D. h. & l.* 40. *D. de reb. credit.* Iuxta consuetudinem (modo sit justa causa obligandi) ex quolibet pacto [*a*] actio datur, nec hodie inter stipulationem & pacta distinguitur. Præterea, taciti & expressi pacti est eadem efficacia. Denique, pactum in rem ad omnes etiam heredes pertinet: Personale tantum ad certam personam, *l.* 21. *§.* 5. *l.* 25. *§.* 1. *D. h.*

[*a*] Hodie pacta nuda, quæ non ex illicita causa procedunt, tam pariunt actionem quàm stipulatio, *Grotius lib.* 3. *manuduct. p* 1. *§. penult. Christin. vol.* 2. *decis.* 92. *Gudelin. lib.* 3. *de J. V. c.* 5. *vers. porro, Wesenb. parat. h. n.* 10.]

Contra quem debet pactum dubium interpretari?

Contra illum, qui verba dixit, *l.* 39. *D. h. l.* 21. 33. *D. de contrah. Emtion.* Debet enim sibi imputare cur non apertius sit locutus.

Quomodo tollitur pactum?

Prius per posterius; non ipso jure, sed ope (*a*) exceptionis, *l.* 27. *§.* 1. *D. h.* Ast obligatio naturalis tantum ipso jure per pactum tollitur, *l.* 65. *§.* 4. *D. de solut.*

(*a*) Hodie etiam ipso jure, quia ex pactis agi potest, & consequenter tolluntur ipso jure.]

Pactus, ne peteret, post rursus ut peteret, obligatne de novo fidejussorem jam ante liberatum ex priore pacto?

Nullo modo, *l. fin. D. h.* nisi fidejussor de novo eadem ratione, qua reus, se obligaverit, *l.* 27. *§.* 2. *vers. ead. D. h.*

Tit. 15. De Transactionibus. Tit. 4. Lib. 2. Cod.

Quid est transactio?

Transactionis (*a*) nomen in genere acceptum, ad omnem modum litem finiendi refertur, *l. transacta. D. de Verb. Signif.* In specie, est conventio sive pactum de re dubia, non gratuitum, *l.* 1. *D. h.* Paciscitur is dicitur in specie, qui indubitatam rem, vel aliqua accepto,

vel non accepto, vel rem dubiam nullo accepto remittit, *d. l.* 1. In transactione lis semper debet esse, *d. l.* 1. vel metui, *l.* 2. *C. h.* & quid dari, retineri, vel promitti, *l.* 38. *C. h.*

[a] Putant nonnulli jura pactorum & transactionum, uti & nomina esse confusa hodie, & ideo transigi posse de re certa, verùm errant, cum conventio de re certa, quæ etiam hodie fit, sit pactum donationis causa factum *l.* 1. *D. h.* non autem formalis transactio.]

Qui possunt transigere?

Qui & paciſci. Unde pupilli transigunt recte, si conditionem suam faciant meliorem, *pr. Inst. de auth. tut.* Minores, *arg. l.* 101. *D. de Verb. Oblig.* nisi quid alienent cum curatores habent, *l.* 3. *C. de restit. in integ. min.* Prodigi, in rem suam, *arg. l.* 6. *D. de Verb. Oblig.* Tutores & Curatores, *l.* 56. *§.* 4. *D. de furt.* modo nihil ex eo, quod servando servari possit, sine decreto alienent, *arg. l.* 22. *C. de admin. tut. junct. l.* 46. *paragraph. fin. D. eod.* Etiam Procuratores, non tantum instructi speciali mandato. *arg. l.* 16. *C. de Procurat.* vel in rem suam; sed & universaliter dati, *l.* 60. *l.* 63. *D. eod.* modo non agatur de dominio transferendo: quod si fiat, non possunt hi transigere, nisi habuerint mandatum cum libera, vel speciale, *d. l.* 63. *junct. l.* 58. *D. eod.* Syndici vero non aliter, quam si causa sit valde dubia, *l.* 12. *C. h.*

De quibus rebus sit transactio?

De dubiis, *l.* 1. *D. h.* Non igitur valet de re per sententiam decisa, *l.* 7. *D. h.* nisi dubitetur, an sententia sit lata, vel nisi appellatio aut revisio intervenerit, vel adhuc appellari possit, *d. l.* 7. *l.* 11. *ff. h.* vel negetur esse judicatum, *d. l.* 11.

Quid Juris est in Criminalibus?

Transigere vel paciſci de crimine [a] capitali, excepto adulterio, prohibitum non est: in aliis autem publicis criminibus, quæ pœnam sanguinis non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem, *l.* 18. *C. h.*

[a] Privati possunt de eo quod sua interest, hodie transi-

transigere in criminalibus indistinctè, *Zypæus ad tit. de his qui accus. Grotius lib. 3. tit. 4.* & persecutiones criminum hodie præcipuè pertinent ad procuratorem fisci, *Gudelin lib. 5. de J. N. cap. 4. versic. quod dixi. Zypæus* & *Autumnus h.* sic ut talionis pœna & inscriptio etiam non sint in usu, *Christin. vol. 4. decis. 194. in fine.* quocirca hodie privati citra ullum metum licitè transigunt, nec delinquentes ex eo habebuntur pro confessis.]

Quare licet de capitalibus?

Quia ignoscendum est quolibet modo redimenti suum sanguinem, *l. 1. ff. de bon. eorum, qui ante sentent. l. fin. ff. de prævaric.* Et nimis durum esset, ut, qui in re tam ardua quid dedit vel promisit, haberetur pro confesso.

Quæ intelliguntur per capitalia?

Tantum ultimi supplicii; quia postea dicitur, quæ pœnam sanguinis non ingerunt, *d. l. 18. d. l. fin. d. l. 1.*

Liceine ante, vel post litem contestatam?

Non distinguitur. Nec enim, si reo permissum est, actori debet denegari, & vice versa.

Quare excipitur adulterium?

Propter fœditatem criminis; & quia videtur transigens se lenocinii reum facere.

Annon crimen læsæ majestatis, & similia, in quibus conscius punitur, excipitur?

Nullo modo: Licet enim conscii committendi criminis, & id non revelantes, puniantur; non tamen prohibentur transigere de commisso.

Quomodo hæc transactio admittitur, cum noceat reipubl. quia delicta manent impunita, contra l. 51. D. ad leg. Aquil. & in Turpil. incidit, qui desistit ab accusando. tot. tit. ad SC. Turpil. quinimo, qui transigit, pro confesso habetur, l. 5. D. de h. q. not. infam.?

Magistratui non præjudicatur, quoad accusationes promovendas, & pœnam infligendam. Poterit enim Magistratus ex officio procedere, aliumque constituere accusatorem; imo cogere transigentem, qui agit, pa-

tesacere, quæ ipsi constant de facto. Ius enim publicum non tollitur privato facto, *l.* 38. *D. de pact.* Deinde, in Turpilianum incidit, qui desistit ab accusando sine permissione legis: non enim transactionibus, sed sordidis concussionibus est interdictum, *l.* 1. *§.* 3. *in fin. D. de calumniat.* Et denique pro confesso habetur transigens in privatis, *d. l.* 5. iisque publicis, in quibus secundum leges non licet transigere.

Quid sibi volunt verba, d. l. 18. *in fin.* Citra falsi accusationem?

Citra, non significat præter, sed sine; uti in *l. pro herede* 20. *§. Papinianus* 4. *vers. itaque in fin. ff. de acq. v. om. hered. l.* 1. *§.* 1. *ff. de pignor. l.* 3. 26. *C de usur.* Itaque hic est sensus; Qui de publicis non ultimi supplicii criminibus transigit, potest accusari falsi.

Annon sunt aliqua, de quibus non licet transigere, nisi sub modo certo?

Sunt controversiæ, quæ ex testamento, sive scripto, sive (*a*) nuncupativo. proficiscuntur: nam de iis nec transigi, nec veritas exquiri aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti, *l.* 6. *ff. h.* Deinde, de alimentis futuris ultima voluntate relictis, non licet transigere, nisi authore prætore; ne quid fiat contra defuncti voluntatem, vel, ne modico contenti homines, post laborent inedia, *l.* 8. *ff. l.* 8. *C. h.* De præteritis ac ex contractu constitutis transactio sine decreto fieri potest, *d. l.* 8. *ff. & l.* 8. *C. h.* imo etiam de annuis legatis testamento relictis locupleti, *d. l.* 8. *§.* 23. *ff. h.* non de alimentis annuis, *d. l.* 8. *§.* 7. *ff. h.*

(*a*) Vide *Grotium lib.* 3. *sect.* 4.]

Quid ergo spectabit Prætor in transactione de alimentis?

Inquiret in causam transigendi, æstimabit modum alimentorum, examinabit qualitates personarum, *d. l. §.* 8, 9, 10, 11. *ff. h.*

Quomodo fit transactio?

Vel pacto, vel Aquiliana stipulatione, *l.* 2. *ff. h.*

Quis est effectus transactionis?

1. Non extenditur ad illa, de quibus probabiliter non est cogitatum, *l.* 9. *§.* 1. *l.* 12. *D. h.* 2. Generaliter

liter facta, non rescinditur prætextu novi instrumenti vel post reperti, specierum post repertarum, nisi dolus vel error commissus sit, *l.* 19. *l.* 29. *C. h.* 3. Iure Civili, si pacto tantum sit inita, producit exceptionem: si ab una parte adimpleta sit vel datione vel remissione, actionem præscriptis verbis, *arg. l.* 15. 16. *D. l.* 28. *C h.* si intervenerit stipulatio Aquiliana, actionem ex stipulatu, *l.* 6. *C. h.*

Quid, si quis agat contra transactionem pacto factam?

Habebit reus electionem, utrum objicere ex transactione exceptionem, an ipse quoque velit à placitis recedere, *l.* 14. *C. h.* à jurata transactione major si recesserit, carebit recedens iis, quæ ipsi ex transactione debentur, & erit (*a*) infamis, *l.* 41. *C. h.*

(*a*) Pœna infamiæ, quæ in *l.* 41. *C. h.* ponitur, hodie non est in usu, uti nec vix illa pœna, ut qui recedit à transactione careat omni eo quod ex transactione est consecutus, vel potest consequi.]

Paritne hodie omnis transactio actionem?

Non est dubium; cum & ex omni pacto hodie detur actio, uti sup. dictum.

Quod, si dolo, vel ex falsis instrumentis sit inita?

Rescindetur, (*a*) modo falsitas probari possit, *l. si ex* 42. *C. h.*

(*a*) Etiam potest rescindi transactio propter enormem læsionem ex beneficio *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* quod procedit ex æquitate, multi autem id negant. Vide *Gail lib.* 2. *observ.* 70.]

De Errore Calculi. Lib. 2. Tit. 5. Cod.

Quid, si erratum sit in calculo?

Is error (*a*) potest corrigi: etiam post decennii vel vicennii tempora. Nisi controversia de errore per transactionem vel sententiam fuerit finita, *l. un. C. h.* alias enam nullus esset litium finis, *l.* 2. *C. de re Iudic.*

(*a*) Ad hoc a. ut rationes ex causa erroris ad petitionem partis revideri possint, prius constare debet judici, qualiter in iis erratum sit, idque in specie allegatis erroribus, nec sufficerit dicere quod in illis esset erratum, *Mascard. conclus.* 253. *n.* 24. *vol.* 1. *n.* 27.]

PANDECTARUM

LIBER III.

Tit. 1. De Postulando. Tit. 6. Lib. 2. Cod.

Quid est postulare?

Est, desiderium suum vel amici in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere, *l.* 1. *paragraph.* 2. *D. h.*

Qui possunt postulare?

Qui non prohibentur. Prohibentur aliqui edicto: aliqui lege; aliqui sententia.

Qui edicto?

Horum tres sunt ordines. Prohibentur alii in totum, pro se, & pro aliis: Hoc in genere sunt minores 17. annis, furiosi, surdi, *l.* 1. *s.* 3. *ff. h.* Aliqui tantum pro aliis; ut mulieres, cæci, quique insigni turpitudine sunt notati, *d. l.* 1. *paragraph.* 5. Alii pro certis possunt tantum; uti parentibus, liberis, fratribus, sororibus, uxoribus, reliquisque, qui commemorantur, *d. l.* 1. *paragraph. fin. l.* 2. 3. 4. 5. 6. *ff. h.* Tales sunt infames ex edicto, *d. l.* 1. *paragraph.* 8. Edicto prohibiti, ne quidem volente adversario admittuntur, *l.* 7. *ff. h.*

Qui lege?

Omnes, qui mysteriis, Sacrosanctæ [a] Ecclesiæ non sunt imbuti, *l. fin. C. h.* Judices ac arbitri in eadem causa, *l.* 6. *C. h.* Potentiores, *l.* 1. *& t. t. C. ne potentior.* Qui pacti sunt de quota litis, *l.* 5. *C. h.* vel aliud pactum, quo vexent alios, iniverunt. *l.* 6. *s.* 2. *C. h.*

[a] Hodie in fundamenta religionis non inquiritur, sed præstant advocati jusjurandum fidelitatis, sc. quod fideles sint patriæ futuri, simul etiam in causis orandis, quò etiam facit formula jurandi, *l.* 14. *s.* 1. *de judic.* Vide *Autum. Collat. ll. ad l. fin. C. h.*]

Qui sententia?

Quibus vel in totum vel ex parte adv ocationibus est interdictum, *l.* 8. 9. *ff. h.*

De

De Advocatis diversorum judicum ac judiciorum. Tit. 7. 8. Lib. 2. Cod.

Quomodo distinguitur inter postulare, Procuratorem vel Advocatum agere?

Postulat, qui suum vel alterius desiderium in jure coram Prætore proponit, vel alterius desiderio contradicit. Procurator est qui negotia judicialia vel extrajudicialia curat, alieno nomine. Advocatum agit, qui causam alienam juris remediis tuetur.

Quid proprie constituit Judex circa advocatos?

Non tantum iis, qui suo vel alieno nomine postulare nequeunt, sed & omnibus, qui certis ex causis, vel ambitione adversarii, vel metu patronum non inveniunt, advocatum dabit, *l.* 1. *s.* 4 *ff. de postul.* Non permittet, ut ab una parte consistan: disertissimi advocati; ne ob inopiam boni patrocinii causa alterius damnum patiatur, *l.* 7. *C. eod.*

Qui possunt esse advocati?

Qui prævio examine à Jurisperitis juratis sub gestis monumentorum sunt judicati legum peritia esse instructi, *l.* 11. *paragraph.* 1. *h. t.* 7.

Quod est officium advocatorum?

1. Non licet iis à suo foro abesse temere & ultra triennium, *l.* 7 *s.* 2. *l. fin. C. h. t.* 2. Non possunt litigantibus patrocinium denegare, nisi velint carere foro, *l. pen. C. de postul.* vel interest eorum non suscipere. 3. Causam, quam sciunt esse improbam, non defendent, *l.* 14. *s.* 1. *C. de Judic.* ut nec bonam [a] fallaciis praviisque artibus, *d. l.* 1. 4. *C. de Jud. l.* 6. *s.* 1. *ff. de postul.* 4. Non inibunt contractum de quota litis, vel alium quemlibet nocentem cum clientibus, *d. l.* 6. *paragraph.* 2. 5. Non ultra quam litium utilitas postulat, in licentiam convitiandi aut maledicendi prorumpent: agent quod causa desiderat. Et, qui probris putaverit esse certandum, infamia notabitur, *d. l. paragraph.* 1. 6. Non protrahent litem, sive jurgium, *d. l.* 6. *paragraph.* 4. 7. Neminem aspernantes habebunt, *d. l.* 6. *paragraph.* 3. 8. Nunquam prævaricabuntur, *l.* 1 *C. h. tit.*

[a] Vide *Mynsing. centur.* 3. *obs.* 6.

Quod consequuntur advocati solatium pro laboribus?

Etsi quidem precio nummario dehonestanda non sit juris scientia, *l.* 1. §. 5. *ff. de var. & extr. cogn.* Et, qui lucro tantum capiuntur, veluti abjecti ac degeneres habendi sint, *d. l.* 6. §. 5. tamen modicum solatium præstare iis, qui utilissimam operam conferunt, oportet, *l.* 1. §. 5. *&* 10, 11, 12. *D. de variis & extraord. cogitat.*

Possuntne advocati in sua causa petere salarium?

Nequaquam [*a*]: cæterum, sub prætextu damni ipsis quid tribuendum esse, justa ratio docet, *l. sed si quis* 7. *ff. test. quemadm. aper. l. si quando* 19. §. *cum oportet. C. de Testib. l. si servus communis* 61. §. *quod vero ff. de Furt.* In causa vero communi quin petere possint aliquod redhostimentum laborum, non est [*b*] dubitandum, *Dd. Ll.*

[*a*] Imo sic ferè receptum est, ut advocati in propria causa soleant ad se advocare alium advocatum: cui licet nihil solvant, tamen totum in propria causa accipiunt salarium, quod alteri esset persolvendum, *Gail lib.* 1. *obs.* 151. *n.* 16. *& seqq. Mynsing. cent.* 1. *obs.* 2. [*b*] *Gail d. obs. n.* 20. *Mynsing. d. obs.* 2. *Berlich. part.* 1. *conclus.* 9. *n.* 84.]

Quæ sunt præmia advocatorum?

Varia. Non coguntur suspicere munera sordida, provinciales functiones, seu tributorum collectas, *l.* 3. *C. h. t.* 7. Salarium eorum [*a*] cedit in quasi castrense peculium, *l.* 8. *C. eod.* Veteres & senio confecti, clarissimorum titulo honorantur, & comitativa dignitate fruuntur, *l.* 1. *C. h. t.* 8. Filii aliis [*b*] præferuntur, & quidem gratis in hoc officio, *l.* 11. *in fin. C. h. t.* 7. *l.* 3. §. 5. *C. h. t.* 8.

[*a*] An hisce præmis sint digni isti, qui quidem relati sunt in matriculam advocatorum, & tamen officium non exercent? Negant rectè *Papon. lib.* 7. *tit.* 7. *arrest.* 15. *Bartol. de repressal.* 2. 5. *n.* 2. [*b*] Hoc hodie cessat.]

Quæ laus eorum?

Ea descripta est prolixe, *l.* 14. *C. h. t.* 7.

De

De Advocatis Fisci. Tit. 9. Lib. 2. Cod.

Quod est advocatorum fisci officium?

Curare ea, quæ sunt Principis & ærarii, & quæ ad vindictam publicam pertinent. In causis Principis & ærarii, fiscalia commoda non occultent: à calumniis abstineant: prætextu fiscalis commodi nemini negotium faceſſant: causam fisci semel susceptam non deserant, *l.* 1. 3. *C. h.* Durante officio contra fiscum non agant, nisi sit causa pupillorum suorum, parentum, vel liberorum, *l. pen. & fin. D. de postul.* & deposito officio non agant contra fiscum causas, quas ante pro eo cœperant, *l.* 2. *C. h. arg. l.* 3. *§.* 1. *C. de adv. div. jud. t.* 7. In Criminalibus [*a*] inquirant sedulo, & persequantur crimina juvent delatores, *l.* 5. *C. de delator. lib.* 10. *l. fin C. h.*

[*a*] Hodie in criminalibus non solet à privatis agi sed tantum à procuratore fisci ex mandato senatus, cui etiam se adjungere possunt illi quorum interest, atque hodie non denegatur accusato advocatus, *Christin. vol.* 2. *decis.* 87*m.* 3. *Zypæus de accusat. in fine.*]

Quæ sunt præmia ac privilegia Advocatorum fisci?

Jure Civili consequuntur titulum Consiliariorum, ac, deposito officio, exconsularem dignitatem moderatoris Provinciæ, aut comitivam Consistorianam, *l.* 8. *l.* 13. *§.* 1. *C. t.* 7. Liberanturque una cum liberis à cohortali conditione, *l.* 17. *C. h. tit.* 8. Eorum [*a*] filiis tribuuntur privilegia descripta *l.* 4. *C. h. t.* 8. *l.* 15. *§.* 1. *C. h. t.* 7. Heredes etiam eorum percipiunt totius anni solatium, licet in principio anni sint mortui, *d. l.* 15. *§.* 1.

[*a*] Hodie solent quidem filii præferri, sed magis ex voluntate eorum ad quos ea res pertinet, quam ex necessitate juris.]

De Errore [*a*] Advocator, vel libellos seu preces concipientium. Tit. 10. Lib. 2. Cod.

Quid, si forte advocati erraverint?

Si præsentibus litium dominis quid sit allegatum, rerum

ratum est, nisi do nini contradixerint in continenti, hoc est, triduo proximo, vel appellaverint, *l.* 3. *C. h.*

[*a*] Hodie communiter ferè receptum est. quod ante litem contestatam liceat errorem simpliciter corrigere, post a. non aliter quam petitâ restitutione in integrum, *Christin. vol.* 2. *decis.* 104. *n.* 3. *Rebuff. ad constit. Regias tom.* 2. *tit. de restit. art.* 1. *Gloss.* 1. *n.* 18. *Mornac. in l.* 1. *C. h.* nisi sc. correctio fiat stante rotula, id est, judicio]

Quid, si error fuerit commissus circa preces?

Non præjudicat veritati, *l.* 2. *C. h.* quæ enim aliter concipiuntur, quam concipi debent, non mutant veritatem, *l.* 1. *& t. t. C. plus val. quod ag.*

Ut quæ [*a*] adv. part. def. Judex suppl. Tit. 11. Lib. 2. Cod.

Quid, si forte Advocatus non allegaverit alleganda?

Non dubitandum est, quin Judex, si quid à litigatoribus, vel ab his, qui negotiis adsistunt, minus fuerit dictum, sit suppleturus, *l.* 21. *C. de interr. injur. faciend.* & prolaturus, quod legibus & juri publico sciat convenire, *l. un. C. h.*

[*a*] Vide ad *h. tit. Christin. vol.* 2. *decis.* 105. *& Mornac. h.*]

Debetne hic distingui inter ea, quæ juris, & quæ facti sunt?

Certum est, quod Judex possit supplere ea, quæ juris sint, *d. l. un.* Ast, si facti quæstio incidat, Judex non simpliciter ac temere, nec proprio motu addet, quæ à partibus sunt omissa; sed magis inquirit: imo & nonnunquam addet, quoties ipse scit rem aliter se habere quam partes allegarunt; sic enim fiet, ut suum cuique tribuatur, Justitiæ satisfiat, & Judex conscientiam suam non lædat.

Atqui Judex non potest officium impertire nisi rogatus, l. 4. *§.* 8. *ff. de damno infecto.*

Quoties causa coram eo disceptatur, si non in specie, saltem in genere rogatur.

Tit. 2. De his, qui notantur infamia. Tit. 12. Lib. 2. Cod.

Quid est infamia?

Est boni nominis sive existimationis læsio vel imminutio, *l. 5. §. 3. ff. de variis & extraord.*

Quomodo distinguitur?

Est vel juris, vel facti. Iuris est, quam lex ob turpem causam irrogat: Facti, cum fama apud graves & honestos viros oneratur, *l. 2. D. de obs. parent. & patron. l. 39. D. de furt.*

Quot modis irrogatur infamia juris?

Duobus: vel ipso jure, cum lex ipsam turpitudinem delicti ob solum factum, non exspectata sententia, notat: vel per sententiam, cum non aliter quis fit infamis, quam per condemnationem.

Quibus casibus infertur ipso jure?

Sunt varii. Uti si quis ab exercitu ignominiæ causa mittatur, *l. 1. l. 2. pr. & §. 1, 2, 4. ff. hic.* Si artis ludicræ pronunciandive causa in scenam prodierit, *l. 1. l. 2. §. 5. l. 3. 4. ff. hic.* Si quis lenocinium fecerit, *d. l. 1. d. l. 4. §. 2.* Si in adulterio fœmina sit deprehensa, *l. 43. paragraph. pen. ff. de rit. nupt.* Quod non est receptum in viro, quia in eo non est tantum periculum de suppositione partus. Similiter infertur ipso jure secundum jus civile, non [a] canonicum, *c. pen. & fin. x. de secund. nupt.* non tantum mulieri, quæ intra annum luctus nupsit; sed & patri, qui sciens filiam, quam in potestate habet, intra annum luctus in matrimonium collocavit, & ei, qui sciens talem duxit, vel duci est passus à filio suo, quem in potestate habet, *d. l. 1. l. 8, 9, 10, 11, 12, 13. pr. ff. h.* nec non ei, qui bina sponsalia binasve nuptias eodem tempore habuit, *d. l. 1. 13. §. 1, 2, 3, 4. ff. h.* Ipso jure enim est infamis, qui transegit de privatis delictis, furti, rapinæ, vel injuriarum dato pretio, *d. l. paragr. 5. l. 4. paragr. 5. l. 5. l. 6. paragr. 3. ff. h.* Et qui certo improbum fœnus exercet, *l. 20. C. hic.* vel usuras usurarum exigit, *d. l. 20. junct. l. 28. C. de usuris.*

[a] Mores hac in re Ius Canonicum sequuntur quoad infa-

infamiam & similia, si a. quæratur de Iure liberorum ob secundum matrimonium à matre intra tempus luctus initum, hoc ipsum etiam liberis manet immutatum, ut *DD. tradunt ad l. 1, 2. C. de secund. nupt.*]

Quibus casibus per sententiam?

Si quis in judicio publico calumniæ prævaricationisve causa quid fecisse judicatus fuerit, *d. l. 1. d. l. 4. §. 4. ff. h.* Si quis furti, vi bonorum raptorum, vel injuriarum, de dolo malo, nomine suo [a] damnatus sit, *d. l. 1. d. l. 4. §. 5. l. 5. 6. ff. hic.* Si quis judicio publico, *l. infamem 7. ff. de publ. judic.* vel ex alio extraordinario crimine, ob dolum vel insignem turpitudinem, *d. l. 13. §. 8. ff. hic.* vel ob dolum pro socio, tutelæ, mandati, depositi, suo nomine, directo, non contrario judicio, condemnatus est, *d. l. 1. l. 6. §. 5. ff. hic.*

[a] Ex hisce causis condemnati hodie non sunt simpliciter infames, ut notant *Argentr. ad consuet. Britan.* & *Zypæus ad h. tit.*]

Cur dicitur non contrario judicio?

Quia in directo tantum quæritur de dolo, in contrario regulariter de calculo, *d. l. 6. §. 7.*

Fitne infamis, qui pactus est in hisce judiciis pro socio &c. directis?

Nequaquam: licet enim sint actiones famosæ, & damnati notentur, non tamen pactio ita turpis est, ut in furto, aliisque delictis, *l. 7. ff. h.*

Irrogaturne etiam infamia in hisce directis pro socio &c. Iudiciis, ob culpam?

Nullo modo; solus enim dolus coërcetur, nec in tam gravi causa doli nomine solet venire lata culpa; huc facit, *d. l. 6. §. 6. & 7.*

An & heres condemnatus ex hisce directis Iudiciis fiet infamis?

Fiet, si ipse male sit versatus in deposito vel mandato: non vero in tutela vel pro socio, suo nomine damnari potest; quia nec in tutelam, nec in societatem succedit, sed tantum in æs alienum defuncti, *d. l. 6. §. 6. ff. h.*

Quibus

Quibus casibus facti infamia irrogatur?

Si quis à Judice increpetur, *l.* 20. *ff. l.* 17. *C. h.* si in testamento perstringatur, *l.* 13. *C. hic.*

Qui sunt effectus infamiæ?

Præcludit viam ad dignitates, *l.* 2. *C. de dignitat.* non plene infamibus creditur, *l.* 3. *ff. de test.* &, si infames jure vel facto sint instituti heredes præteritis fratribus, competit fratribus germanis & consanguineis querela inofficiosi, *l.* 27. *C. de inoffic. testam.*

Quomodo sunt notati qui bonis cedunt?

Facto & jure sunt [*a*] infames, si turpiter decoxerint patrimonium: nec facto, nec jure, si per adversitates fortunæ in calamitates hujusmodi inciderint.

[*a*] Id a. hodie non ita observatur, quia ad infamiam non tam facile proceditur nostris moribus.]

Tit. 3. De Procuratoribus. Tit. 13. Lib. 2. Cod.

Qui sunt ad lites Procuratores?

In genere omnes, qui alieno [*a*] nomine causam agunt: In specie autem, qui aliena negotia mandatu domini administrant, litemque curant, *l.* 1. *ff. h.*

[*a*] Hodie hoc officium est publicum, sic ut quilibet ad hoc ut immediatè judicium urgeat, non possit constitui; ita in Germania, *Gail lib.* 1. *obs.* 43. *n.* 6. & in tanta est dignitate in Camera, ut debeant esse DD. vel Licentiati, qui ad hoc admittuntur, *Gail d. loco n.* 7. id a. nostris moribus non recipitur.]

De Personis dantibus Procuratores.

Qui possunt dare Procuratorem ad litem?

Qui domini sunt litis, & possunt mandare. Procuratores autem & Tutores, & Curatores, non ante litem contestatam, ut & Syndici, & actores civitatum, *l.* 8. *l.* 11. 23. *C. h. l.* 74. *ff. h.* sed post eam procuratorem constituunt. Qui vero in rem suam datus est, vel potestatem substituendi à domino habet, valide constituit etiam ante. Nec possunt procuratorem dare filiifam. in causa, in qua nequeunt ipsi experiri, *l.* 8. *ff. hic.* Sic nec pupilli & minores sine authoritate & consensu tutorum vel curatorum, *d. l.* 11. *C. h.*

Potestne

Potestne Procurator etiam alium substituere in appellatione?

Potest, si generaliter ad causam sit datus: quia per litiscontestationem jam ante dominus (a) litis erat factus, *l.* 18. 23. *C. h.* Sin autem ad certum actum sit datus, non substituet.

(a) Hodie non est litis dominus.]

Quid, si minor de facto procuratorem dederit?

Si pro eo fuerit pronuciatum, ob favorem ætatis datio confirmatur, *l.* 14. *C. h.* quod multo magis recipiendum est in pupillo, cum eadem, imo major, ratio pro eo militet.

De iis qui procuratores dantur.

Qui possunt esse Procuratores?

Qui non prohibentur. Prohibentur autem. 1. Fœminæ, (a) *l.* 18. *C. h. l.* 54. *ff. h.* nisi agere velint pro parentibus, quos morbus aut ætas impedit, & qui non habent qui eorum nomine agat, *l.* 41. *ff. hic.* Id enim permittendum est interdum, causa cognita. 2. Milites, *d. l.* 54. Imo, nec pro parte, nec matre, nec uxore, nec ex sacro rescripto, *l.* 7. *C. h.* 3. Minores (b) 17 annis, secundum *DD.* Verum, jure nostro non desideratur ætas, sed traditum est indistincte, minorem 25 annis dari posse. *l.* 23. *ff. de minorib.*

(a) Fœmina autem hodie recte ad extrajudicialia mandatum suscipit, *Bustus in l.* 1. *§.* initium *ff. de postul.* n, 5. (b) Idem etiam in praxi esse receptum tradit *Sande lib* 1. *decis tit.* 3. *d. fin.* 3.

Quid respondendum ad §. 5. Institut. ex quib. caus. manumit. ad l. 12. C. h. *&, d. inde, quod traditum: minorem non habere justam standi in judicio personam?*

In hisce nulla est difficultas; quia in *d. §.* 5. agitur de manumissione à minore facienda, per quam minor servum amissurus erat. Hoc casu speciali ætas 17 annorum requiritur. Deinde, in *d. l.* 12. non agitur de procuratore, sed defensore. Denique, minor legitimam quidem non habet proprio nomine personam standi, sed recte alterius nomine, cujus periculo omnia facit, *d. l.* 23.

[a] Ne

[a] Ne liceat potentioribus, &c. Tit. 14. Lib. 2. Cod.

Suntne & alii qui dari non possunt?

Placuit in specie, potentiores [b] ob dignitatem repelli à procurando, ne jus tenuiorum opprimatur per potentiam patronorum, *l. 1. C. h.*

[a] Potentes solent debiliores per fraudes quæsitas ac simulatas actiones opprimere, *Fredericus de Senis consil. 85. n. 2.* Potentiores in *h. tit.* etiam illi dicuntur qui præeminent opibus, & sic incutere possunt metum, *Sande de Act. cess. cap. 3. n. 8.* [b] Hoc autem cessat si cessio sit facta filio potenti, *Sande dicto cap. n. 11. 12.*

Quid, si actiones in potentiores sint translatæ?

Is, qui transtulit, jactura (a) debiti mulctatur, & potentior pœna arbitraria punitur, *l. 2. C h.*

(a) Hæc poena vix hodie habet locum.]

De his, qui potentior. nom. tit. præd. Tit. 15. Lib. 2. Cod.

Quid, si quis nomina potentiorum tituloſque prædiis litigiosis assigat, vel nomina eorum in litem prætendat?

Potentior, qui consensum præbuit, per sententiam fit infamis; &, qui affixerit, amittit (a) causam; &, si ea sit injusta, permixtis plumbo stagellis cæsus suppliciis metallorum deputatur, *l. unic. C. h.*

(a) Hæc pœna ab usu recessit nostris & Gallorum moribus, *Autumn. coll. legum ad h tit.*]

[a] Ut nemo privat. tit. præd. vel vela regia suspend. Tit. 16. Lib. 2. Cod.

Quid, si quis suis vel alienis prædiis titulos imperatoris imponat, aut vela Regia suspendat?

Amittit rem vel jus suum, idque fisco cedit, *l. 1. C. h.* &, qui alienis imposuit, si plebejus sit, ultimo supplicio afficitur: si nobilior, uti clarissimus &c. deportatur, & servus sit: data cuilibet licentia titulos & vela tollendi & frangendi, *l. 2. C. h.*

[a] Hic tit. abolevit.]

Ut

Ut nemini liceat sine judic. Tit. 17. Lib. 2. Cod.

Licetne & signa sua rebus alienis imponere?

Non: eaque, quæ imposita sunt, licet cuilibet impune amovere, etsi etiam suas vel obligatas sibi res esse signans dicat, *l.* 1. 2. *C. h.*

Ne fiscus vel respubl. procur. Tit. 18. Lib. 2. Cod.

Potestne fiscus vel respublica procurationem alieni patrocinii causa in lite præstare?

Nullo modo: ne quidem sub prætextu æris alieni, *l.* 1. *&* 3. *C. h.* aut cessionis, aut donationis, *l.* 2. *& ult. C. h.* Cavendum enim serio, ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur.

De causis, ad quas Procuratores dantur.

In quibus causis datur Procurator?

Tam civilibus quam criminalibus. Civilibus indistincte, nisi lex obstat; ut in actibus legitimis, & similibus. In criminalibus autem non aliter, quam si absentiæ causa allegetur, *l. pen. §.* 1. *ff. de public. judic.* vel pœna sit infra relegationem, *l. unic. ff. an per al. caus. appellat.* aut sit causa, ex qua absens potest condemnari, *l.* 33. *§.* 2. *ff. h. l.* 5. *ff. de pœnis.* In popularibus vero sequi oportet responsum, *l.* 42. *ff. h.*

Estne distinguendum, utrum ad unam vel ad plures causas Procurator detur?

Nequaquam (*a*), *l.* 1. *§.* 1. *ff. h.* Constituimus enim nonnunquam procuratorem in genere ad omnes causas, nonnunquam limitate ad certas.

(*a*) In nonnullis tribunalibus receptum est, ut procurator non admittatur nisi ad totam causam sit constitutus: ita in Camera Imperiali receptum esse docent *Mynsing. lib.* 1. *obs.* 46. *Gail lib.* 1. *observ.* 109. *n.* 3. possunt autem sine ullo scrupulo esse plures procuratores ad diversas lites; sed non ad unum aliquem actum in certa lite.]

De

De modo, quo constituitur Procurator.

Quomodo constituitur Procurator?

Solo consensu, *l. 1. pr. ff. mandat.* Consensus autem vel expresse, vel tacite intervenit. Expresse, si expressa sit conventio. Tacite, si præsens dominus patiatur aliquid ab altero fieri, & non contradicat, *l. 6. §. 2. l. 18. ff. mandat.* vel, cum quis alteri tradit instrumenta ad causam (*a*) pertinentia. Verum, ex temporis diuturnitate nullum mandatum præsumitur.

(*a*) Id præcipue tunc habet locum, cum ei cui munus tale est, instrumenta sunt tradita, *Berlich. part. 1. conclus. 14. n. 4.*]

Quæ clausulæ solent adjici mandato procuratorio?

De indemnitate, (*a*) ratihabitione, potestate substituendi, de hypotheca bonorum, sed hæ ad substantiam rei non pertinent.

(*a*) Huc facit textus in *l. 16. ff. ad S. C. Trebell.* atque quidem in praxi sic obtinet, ut si procurator denuntiet se egisse tanquam procuratorem, & Dominus non respondeat, videatur dominus ipsum confirmasse ex vi *d. l. 16.*]

Quomodo Procurator constituitur in rem suam?

Cum alicui actio ceditur cum omni ejus commodo. Id fit aliquando ex necessitate, aliquando ex voluntate.

Estne quid singulare in hac cessione?

Constitutum est (*a*) *l. 22. & 23. C. mandat.* quod, qui actionem, vel in totum titulo emtionis, vel ex parte titulo emtionis, ex parte donationis, consecutus est, non possit plus consequi ab illo, contra quem cessio est facta, quam ipse revera persolvit, *Dd. Ll.*

(*a*) Leges hæ explicantur à *Sande de Act. Cess. c. 11.* Quæstionis est, an non sint hodie abrogatæ? Affirmat *Imbertus in suo Enchir.* verbo *cessio. Bugnion de ll. abrog. lib. 2. Sect. 48. Papon lib. 10. tit. 1. Arrest. 1.* Negat autem *Mornacius* ad hasce *ll.* aliique, sic ut videantur in Galliis de hac re diversa esse jura, prout ea dicunt Paralamenta, *Christinæus vol. 3. decis. 49. num. 13. & seqq.* At in Hollandia, si quis non denun-

denuntiavit debitor potest retrahere, *Grot. lib. 3. sect. 16.* In Frisia & Germania viget Jus Romanum.

Habetne hoc locum in omnibus actionibus?

Nequaquam. Nam cessat. 1. Cum coheredes in divisione hereditatis sibi invicem cedunt actiones. 2. Si creditori nomen sit datum in solutum. 3. Cum quis possessionis suæ tuendæ causa recipit cessionem. 4. Cum cessio est facta inter legatarios sive fidei-commissarios, *d. l. 22.* 5. Cum actiones indubitatæ sunt, *d. l. 22.*

De officio Procuratoris.

Quid est officium Procuratoris?

Diligenter custodire fines mandati, *l. 10. C. h.* Et, si generaliter ad totam causam sit constitutus, potest actionem proponere, adversus eam excipere, in causa concludere, sententiam audire, & ab ea appellare: imo, si non appellaverit, tenebitur domino, *l. 17. C. h.* Generatim omnia faciet, quæ diligentissimus paterfamilias faceret, *l. 13. l. 21. C. mandati.* Debet & accipere judicium cum ad litem suscipiendam est datus, *l. 8. §. 3. ff. h.* Pariter, qui ad petitorium judicium est datus, simul ad præparatoria ac possessoria esse datus videtur, *l. 56. 62. ff. h.* Et, qui in duplicibus est constitutus ad agendum, simul ad defendendum mandatum habere intelligitur, *l. 15. §. 1. D. h. l. pluribus 32. D. h.*

Debetne Procurator cavere?

Si dubitetur de mandato, præstanda est ab ipso cautio de rato, *l. 1. C. h.*

Quid, si non recte Procurator egerit?

[a] Negligentia ejus sive dolus nocet domino quoad adversarium: at potest actione mandati à domino conveniri, ut præstet, quod domino abest, *l. 10. C. h.* Ex contumacia autem oritur actio adversus procuratorem, non dominum, *l. un. §. 2. ff. si quis jus dicent. non obtemp.* scil. si sit res magni præjudicii aliàs, in rebus minimi præjudicii, [b] oberit contumacia Domino.

[a] Vide *Carpsovium part. 1. Constit. 1. decis. 22. & 23.*

[b] Bar-

[b] *Bartol. in l. 1. §. 2. ff. si quis jus dicenti non obtemp. Salicet. in l. 3. n. 3. Cod. h. tit.*]

De actione, quæ Procuratori & Domino competit.

Quæ actio datur procuratori & adversus eum?

Mandati. Directa Domino adversus procuratorem, ut præstet, quicquid ex causa mandati abest Domino, *d. l.* 10. Contraria Procuratori, qua recuperat litis expensas, si quas solvit, vel sese obligavit, licet finem non imposuerit negotio, *l.* 46. *§.* 4, 5, 6. *D. h.* Imo quoque salaria promissa vel ordinario debita, petit mandati actione Procurator, *l.* 1. *C. mand.* modo sint certæ pollicitationis, *l.* 17. *C. l.* 56. *§.* 3. *D. mandat.*

De modis, quibus finitur officium Procuratoris.

Quibus modis finitur officium Procuratoris?

Aliquando ex facto Procuratoris vel Domini; aliquando sine facto alterutrius, ex causa extrinseca.

Quomodo ex facto Procuratoris?

Renunciatione mandati, re integra, *§.* 11. *Inst. de mandat.* Imo & re non integra, ex justa causa: veluti ob capitales inimicitias inter Dominum & Procuratorem ortas, *l.* 8. *§. fin. l.* 9. *& seqq. D. h.*

Quomodo ex facto Domini?

Per revocationem, quæ potest fieri ante litem contestatam, sine ulla causa. Aut, post litem contestatam, desiderat cognitionem causæ, *l.* 16 *& seqq. D. h* veluti, si procurator sit in vinculis, latitet, peregrinetur, affinitate adversario jungatur, &c.

Potestne mandatum Procuratoris in rem suam datum revocari?

Nequaquam. Is enim loco domini absolute est. Interim potest cedens, priusquam debitori sit cessio insinuata, vel debitor litem sit contestatus, vel partem solverit, recipere debitum cessum, & debitorem liberare, *l.* 3. *C. de novat.* Sed tenetur, quod exegit, restituere.

Quid

Quid ergo, si concurrat Procurator in rem suam cum Domino, & ambo agant? uter præferetur?

Procurator, *l.* 28. 55. *ff. h. l.* 18. *ff. de pign. act.* Si enim, qui simpliciter denunciat, excludat dominum, *l.* 3. *C. de novat.* cur non & is, qui simul agit?

Quomodo sine facto finitur officium Procuratoris?

1. Morte alterutrius, nisi ignoraverit mandatarius, ante litem contestatam, dominum decessisse, *§.* 10. *Inst. de mand. l.* 26. *ff. eod.* vel mandatarius litem sit contestatus ante obitum, *l* 23. *C. h.* At solent (*a*) heredes post obitum domini citari ad causam reassumendam. 2. Lite plene finita, hoc est, lata sententia definitiva.

(*a*) Videatur *Merula lib.* 4. *tit.* 83. *c.* 5. *Gail lib.* 1. *obs.* 109. *n.* 6. *Autumn. ad. l.* 23. *Cod. h. tit.*]

Si Procurator fuerit condemnatus, mandaturne contra eum sententia executioni?

Nequaquam, *l.* 4. *ff. de Re jud. l.* 61. *ff. h.* Nisi sit in rem suam Procurator, aut se obtulerit, sc. cum sciret non esse cautum, *d. l.* 61.

Possuntne & aliqui alieno nomine intervenire & agere sine mandato?

Possunt: uti liberi, parentes, fratres, affines, *l.* 33. *ff. h.* litis (*a*) consortes, *l.* 2. *C. de lit. consort.* modo præstetur cautio de rato, *l.* 1. *C. h. d. l.* 2. *C. de lit. consort.* & lis sit ante ordinata, *d. l.* 2.

(*a*) Etiam maritus hodie potest agere tanquam curator uxoris, nec tenetur satisdare, *Sande lib.* 1. *decis. tit.* 2. *definit.* 3. *Antumnus in l.* 21. *Cod. h. tit.*]

De Defensoribus.

Qui sunt Defensores?

Sunt in genere, qui alienam causam quovis modo defendunt: In specie autem, qui judicium rei nomine suscipiunt (*a*), sive ex necessitate, sive ex voluntate.

(*a*) Ita frequentes solent esse interventiones. Debent autem illi qui pro aliis interveniunt 1. docere quod sua interfit, ut bene notat *Gail lib.* 1. *obs.* 69. *n.* 2. *& seqq. Mynsingerus* 2. *obs.* 1. *Carpzovius part.* 1. *constit. elect.* 3. *defin.* 30. Causa autem cum fit interventio, agitanda est

est in eodem judicio, *Althusius Dicæol. cap. 2. n. 20. & 25. Mynsingerus lib 5. observ. 14. & lib. 6. obs. 35.* nec tantum admittuntur interventiones, cum judicium inchoatur, sed & pendente lite, *Merula l. 4. tit. 47. c. 1. Gail l. 1. obs. 70. n. 4. Althusius Dicæol. d. c. 2. n. 17. 23, 26.*]

Sunne ergo defensores alii necessarii, alii voluntarii?

Sunt. necessarios appellamus, qui alieno nomine litem instituant, sive sint procuratores in specie, *l. 33. §. 3. & seqq.* sive sine mandato, ut conjunctæ personæ sive consortes, agant, *l. 35. pr. h.*

Quid juris in Procuratore in rem suam?

Si is utili actione experiatur, non cogitur defendere cedentem, nisi in fraudem eorum, qui invicem agere vellent, cessio sit facta, *l. 34. ff. h.* quia non agit ex persona domini, sed proprio nomine. Directam vero intentans tenetur defendere in reconventione, si nulla necessitate cogente cessio sit facta, *l. 33. in fin. ff. h.* Æquum enim est, eum, qui alterius nomine ut Procurator experitur, defensionem ejusdem suscipere, *d. l. 33. §. pen.* Sin autem ex necessitate sit cessio facta, sive utili sive directa agat, non defendet, *d. l. 33. in fin.* Convenit quippe subvenire hominibus in iis, quæ facienda sunt necessario, *a g. l. 7. §. 1. l. 8. 4. ff. qui satisd. cog. l. 14. ff de fidejuss. l. 3. ff. de separat.*

Cessatne aliquando hæc regula: Procurator tenetur defendere?

Cessat. 1. In populari actione, *l. 43. §. 2. ff. h.* quia, licet alieno nomine agat, jus tamen suum magis persequitur. 2. Si pater nomine filii, vel maritus uxoris nomine injuriarum agat: quia magis propriam injuriam vendicant, quam alterius, *arg. l. 39. §. 4. ff.* 3. Si quis ab actione desistat, *l. 35. in fin. ff. h.* quia pœna non defendentis est, ut actiones denegentur, *l. 43. §. 4. ff. h. l. 5. C. h.*

Qui sunt voluntarii?

Qui ultro defensionem alterius litis in se recipiunt, & pro aliis interveniunt. Horum vero causa alia est, quam necessariorum. Necessarii enim, qui in rem alienam constituti alieno nomine agunt, ad quamlibet reconventionem tenentur respondere, *l. 35. §. 2. l. 37. pr.*

l. 39 *ff. h.* Voluntarii autem non ulterius quam suscipiunt, *l.* 46. *s.* 1. *ff. h.*

Quomodo debet fieri defensio?

Boni viri arbitratu, *l. pen. ff. h.* & ideo non potest videri defendere, qui actorem frustrando efficit, ne lis ad exitum perducatur, *l. fin. ff. h.*

Annon & debet cavere.?

Omnino: nemo enim defensor est idoneus sine satisdatione, *l.* 46. *s.* 2. *ff. h.* Cavere vero debet judicatum solvi, *l. non videtur* 53. *ff. h.* Desideratur & cautio de rato, si agens sine mandato reconveniatur actione reali, *l.* 40. *s.* 2. *ff. h.*

Contra quem datur actio judicati?

Non contra dominum, sed defensorem, qui sese obtulit defensioni, *l.* 4. *D. de re judicata. l.* 6. 1. *ff. hic.* Procurator vero non convenitur, *Dd. Ll.*

Tit. 4. Quod quisque universitat. nomine.

Potestne & dari nomine universitatis Procurator?

Potest omino: modo sit universitas concessa Legibus vel SConsultis, *l.* 1. *pr. ff. h.* & hic procurator appellatur Syndicus.

Quis est Syndicus?

Procurator universitatis, qui causas & lites universitatis in judicio persequitur; distinguitur ab actore in specie sic accepto, quod actor sit Procurator specialis ad unam causam constitutus. sæpe autem hæc vocabula confunduntur.

Qui constituunt Syndicum?

1. Lex vel consuetudo, *l.* 1. *ff. h.* ut puta, si major natu, aut alius aliquis certus ex familia ad hoc vocatur. 2. Ipsa universitas, (cum lex vel consuetudo deficit) tota, vel ejus potissima pars; imo etiam duæ ejus tertiæ partes, *l.* 3. 4. *ff. h.* modo sint omnes legitime vocati, *arg. l.* 2. *Cod. de decurionib. lib.* 10. *l. fin. C. de author. præstand.* Non autem necesse est nomina omnium exprimi, nisi agatur de re universitatis alienanda, *l. fin. C. de vendendis civitat. lib.* 11. 3. Ordo decurionum, hoc est, magistratus, *l.* 3. 4. 6. *ff. hic.* inter quos

quos duas partes adfuisse sufficit, & etiam numerabitur, qui electus est, *d. l.* 4.

Potestne pater filium, vel filius patrem, vel frater fratrem suffragio eligere?

Non est dubitandum: quia quasi decurio vel membrum universitatis, & non ut domestica persona suffragatur, *l.* 5. & 6. *ff. h.*

Quis potest eligi?

Et qui membrum est universitatis, & etiam alius modo sit aliàs idoneus & habilis, *arg. l.* 1. *s.* 2. & 3. *ff. hic.*

Quis prohibetur esse Syndicus?

Qui procurator esse nequit. Filiusfamilias vero uti Procurator esse potest, ita etiam Syndicus, *l.* 6. *in fin. D. h.*

Ad quas causas dari potest Syndicus?

Ad omnes causas, etiam ad futuras: imo non tantum ad civiles, sed & criminales.

Quæ est potestas electi Syndici?

Habet eandem potestatem circa res universitatis, quam Procurator circa res privatorum. Fit dominus litis, *l.* 6. *s. fin.* Cogitur defendere, *d. s. fin* Et, si de decreto dubitetur, debet cavere de rato, *d. s. fin*

Quomodo finitur Syndici officium?

Eodem fere modo, quo procuratoris, *d. s. fin.*

Tit. 5. de Negotiis gestis. Tit. 19. Lib. 2. Cod.

Qui sunt negotiorum gestores?

In specie, qui sine mandato, vel ex mandato invalido negotia alterius gerunt; at in genere omnes, qui curam rerum alienarum habent.

Cum in specie accipiuntur, annon tunc illi sunt tantum qui negotia absentium gerunt?

Non tantum illi, sed & qui præsentium: modo præsentes ignorent geri. Si enim præsens in negotio, & sciens sua administrari, non contradixerit, videtur mandasse, *l.* 18. *ff. mandati.*

Quomodo distinguitur negotiorum gestor à defensore?

In specie Defensor tantum ad litem pertinet. Negotiorum autem gestor, & ad litem & ad extrajudicialia.

Quis potest gerere?

Non tantum masculi, sed & fœminæ, *l.* 3. *s.* 1. *l.* 31. *ff. h.* sc. extra judicium: defendere enim in judicio mulier non potest, *l.* 54 *ff. l.* 18. *C. de procurat.* potest etiam gerere pupillus: verum, non ulterius tenetur, quam qua locupletior est factus, *d. l.* 3. *s.* 4.

Cujus negotia geruntur?

Semper alterius, etiam furiosi: non autem à curatore ejus officii ratione. sic alterius negotium gestum esse dicitur, si quis pro altero non mandante fidejusserit, *l.* 5. *ff. h.* vel creditoribus alterius solverit, *l.* 43. *ff. h.* vel à debitoribus alterius quid exegerit, *l.* 45. *s. fin. ff. hic.*

Quid negotia hic proprie significant?

Quicquid omnino agitur, quale quale fuerit; ita gerere, quolibet modo est administrare.

Quomodo dicuntur geri negotia?

Aliquando ex necessitate rerum, *l.* 3. *s.* 9, 10. *ff. h.* aliquando voluntario.

Præsumiturne semper animus repetendi?

Sic videtur [a]: Nemo enim suum facile jactat, & magis, qui rationes confecerit, aut protestatus sit de repetendo, *arg. l.* 34. *ff. h.* & sane, tutius omnino est protestari de repetendis expensis, ne post objiciatur, quod animo pietatis fuerint factæ, *l.* 11. 14. 15. *C. h. t.* [b] [a] Vide *l.* 14. *s.* 13. *ff. de religios. & sumpt.* [b] Hæc Quæstio potissimum pertinet ad illos casus, quibus quis in aliorum negotia impendit. E. G. si filii suos parentes funerent, vel alii qui heredes esse possunt, de his traditum est, quod si non sunt protestati de sumptibus servandis, sumptus non possint repetere, *l.* 14. *s.* 8. & 13. *ff. de Religios. & sumpt.* Pariter si mater administravit res liberorum dubitatur an alimenta petere posset, at æquius est repetere posse, ut judicatum esse refert *Sande lib.* 2. *decis. tit.* 8. *d. fin.* 3. sc. si rationes mater confecit; itaque si non administravit, alimenta aliæque erogationes non repetentur, si sine protestatione sint erogationes factæ; Vide *Christinæum vol.* 2. *d. cis.* 112. *n.* 4. *Menochium* 2. *de arbit. casu* 88, *n.* 5. *& seq.* nec hoc simpliciter ita procedit, sed opor-

oportet distinguere, utrum mater sit locuples an non, si non sit adeo locuples, facilior erit Iudex in iis matri adjudicandis, quam si sit locuples: pariter etiam distinguere oportet inter erogationes magni vel parvi momenti, ut parvas attribuat matri, ac deinde & aliæ circumstantiæ sunt observandæ.

Quam actionem producit gestio negotiorum?

Datur directa, nec non contraria, §. 1. *Inst. de obl. ex quas. contr.*

Quibus datur directa?

Non tantum dominis, sed & aliis, quorum interest, licet non sint domini, adversus gestores, ut rationem reddant suæ gestionis, *l.* 8. *C. h.* & condemnentur, si quid non ut oportuit, gesserint vel præstent, quod eo nomine abest aut abfuturum est, *l.* 2. *ff. h. t.*

Quam culpam præstare debet gestor?

Siquidem ex necessitate vel ejus suspicione gesserit, tantum dolum, vel pro re nata levem culpam, *l.* 3. §. 9. 10. *ff. h.* Si citra necessitatem rerum urgentem, culpam, levissimam, §. 1. *Inst. de obl. quæ ex q. contr. l.* 17. *l.* 20. *C. hic.* Interim de casu fortuito non tenetur, nisi sese obstrinxerit, vel culpæ, ex qua casus secutus est, sit reus.

Quid juris circa fructus & usuras?

Tenetur restituere fructus, quos percepit & percipere potuit, nec tantum sortem, verum etiam usuras, *l.* 19. §. 4. *l.* 37. §. 1. *ff. hic. l.* 24. *C. de usuris.* nisi gesserit negotia ejus, qui non solitus est pecunias fœnori exponere, *l.* 13. §. 1. *ff. de usuris.* &, si in mora restituendi fuerit, solvet usuras à tempore moræ, *arg. l.* 32. §. 2. *ff. de usuris l.* 13. *Cod. eod.* Si in suos usus converterit, præstabit maximas, *l.* 38. *versic. quoniam ff. h.* pro more regionis cujusque.

Cui datur contraria?

Gestori adversus dominum, modo utiliter gesserit; licet, quod gessit, effectum non habuerit, & res etiam interierit: sufficit enim feciſſe quod vir bonus feciſſet, *l.* 10. §. 1. *ff. h.* Hac quoque actione præstabitur, quod abest, aut abfuturum est gestori, *l.* 2. *in fin. ff h.* Sic restituentur sumptus bona fide facti, & quicquid debet gestor ex obligatione nomine domini inita:

etiam usuræ, quas solvit, vel percipere potuit, *l.* 3. 10, 18. *ff. h.*

Annon sunt aliqui casus, quibus non repetit gestor?

Sunt. Ita, si quid factum sit pietatis causa, si mater quid erogaverit animo non repetendi, in alimenta filii, *l.* 11. *C. hic.* item si vitricus, *l.* 15. *C. h.* Si filius pro patre debitum solverit, *l.* 12. *C. h.* Si maritus non in funus, sed in morbum uxoris quid erogaverit, *l.* 13. *C. h.* aliisque [*a*] casibus, *l.* 1. 5. *C. h. l.* 39. *§.* 3. *ff. famil. erciſc.*

[*a*] Hisce casibus etiam addi potest casus quo invito Domino negotium gessit gestor, *l. fin. C. h.* Cujus ratio est in *l.* 27. *§.* 25. *ff. ad l. aquil.* sine ulla distinctione utrum sint sumptus necessarii vel non: Secundum Mores autem necessarii possunt repeti, *arg. l.* 5. *de rei vind. Zypæus ad tit. de pœnis* & ita judicatum esse in Senatu Burdigalensi notat *Christinæus vol.* 2. *decis.* 112. *n.* 11. *Autumnus in d. l. fin. C. h. tit.*]

[*a*] Tit. 6. De Calumniatoribus. Tit. 46. Lib. 9. Cod.

Quid est in edicto de calumniatoribus?

In eum, qui, ut calumniæ causa negotium faceret, pecuniam accepisse dicetur intra annum in quadruplum ejus pecuniæ quam accepit, post annum in simplum actio in factum datur, *l.* 1. *pr. h.*

[*a*] Hic Titulus hodie exolevit, ut notat *Baro*, *Mornacius* & *Autumnus ff. h.*

Quid est calumniari?

Est, per mendacium agere vel excipere, ad negotium alicui faciendum.

Quid hic est pecuniam accipere?

Generaliter, quid compendii sentire, sive ab adversario, sive ab alio, *d. l.* 1. *§.* 3. *l.* 2. 3. *ff. hic.*

Quid, si quis acceperit pecuniam, ut faceret negotium, & non fecit, vel acceperit ne faceret, & tamen fecit?

Æque tenebitur, *l.* 3. *§.* 1. *ff. hoc. tit.* Solet enim in talibus propositum solum punīri, *l.* 3. *D. quod quisque jur.*

Qui

Cui datur hæc actio?

Non illi, qui dedit pecuniam: quia ipse turpiter fecit; sed ei, propter quem quid datum est, *l. 3. §. 3. ff. hic.* Hæredi autem non competit, nec in hæredem: nisi qua pervenit, *l. 4. §. ff. hic.* Turpia enim lucra hæredibus sunt extorquenda, *d. l. §. ff. hic.*

Annon & aliter solet puniri calumniator?

Pro modo delicti pœna arbitraria ei irrogatur, *l. pen. ff. h.* &, qui ex hac causa condemnatus est, fit [a] infamis, *l. 1. ff. de his qui not. infam.*

[a] Hodie pœna infamiæ non solet infligi, sed arbitraria tantum, quia est vel major vel minor calumnia.]

PANDECTARUM

LIBER IV.

Tit. 1. De Restitutionibus in integrum.

Quid est restitutio in integrum?

NIhil aliud, quam extraordinarium (a) remedium, quo res vel causa, in qua quis læsus est, reducitur in priorem statum, in quo ante læsionem fuit.

(a) Dubitatur à nonnullis an restitutio possit statuto tolli? quod omnino negandum est, quia ea ratione malitiis indulgeretur, contra *l. 38. ff. de R. Vind.* Vide hac de re *Oddum de restit. in integ. Q. 15.* ubi late disserit.]

Quid requiritur, ut restitutio detur?

1. Ut coram illo, qui eam concedendi habet potestatem, proponatur. 2. Ut is petat, qui petere potest. 3. Ut sit justa causa restituendi. 4. Ut legitimo modo petatur restitutio.

Ubi, & apud quem cognitio in integ. rest. sit agitanda. Tit. 47. Lib. 2. Cod.

Coram quo magistratu agitanda restitutio in integrum?

Coram omni ordinario; imo & delegato, *L. fin. C. h.* modo is, contra quem agitur, sit subditus, *l. 2. C. h.* vel in loco domicilii in qualibet actione personali, aut reali; vel ratione rei sitæ, in actione reali, *arg. l. C. ubi in rem. act. exerc. debeat.* Coram arbitris, iisque, quibus nulla est jurisdictio, hoc remedium intentari non potest, *d. l. fin.*

(a) Hodie à Suprima Curia peti debet restitutio, quæ inferiori & ordinario judici causæ cognitionem demandat, *Zypæus de in integr. restit. Imbertus lib. 1. prax. cap. 3. n. 2. Amtumm. in l. fin. ff. hic.* Vide *Oddum d. tract. Q. 32.*]

Postne inferior magistratus contra superiorem restituere?

Nullo modo, sed recte quilibet restituit adversus suam & prædecessoris sententiam, *l. 18. junct. l. 16. §. ult. l. 42. ff. de minor.*

Quid, si Princeps sententiam dixerit?

Non restituit alius præter Principem, *d. l. 18. §. 1. & seqq.*

Sed, quo fundamento restituit quis contra suam vel prædecessoris sententiam, cum nemo possit suam corrigere. l. 55. ff. de re judic imo nec liceat post sententiam recurrere ad eundem Judicem, l. 6. C. de appellat. & successori non debeat plus tribui, quam prædecessor habuit, arg. l. 177. ff. de R. I.

Distingui debet inter correctionem sententiæ, appellationem, & restitutionem. Corrigere nemo potest, *d. l. 55.* nec suam, nec prædecessoris sententiam; sed recte quis contra eam restituit, quia, qui corrigit, errorem proprium agnoscit: qui restituit, veniam dat errori partium, vel occurrit circumventioni ab alio factæ.

Etiam

Etiam per Procuratorem, &c. Tit. 49. Lib. 2. Cod.

Debetne necessario per ipsum, qui læsus est, restitutio peti?

Nullo modo: potest enim hæc causa agi etiam per procuratorem, *l. unic. Cod. h.* Non autem sufficit generale mandatum, *l. 25. in fin. l. 26. ff. de minor.* verum desideratur speciale, *l. illud. 25. §. 1.*

Quid, si sit conjuncta persona, quæ sine mandato possit agere, l. 35. ff de procurat.?

Æque (*a*) non potest petere restitutionem: quia est remedium extraordinarium.

(*a*) Excepto solo patre, prout est casus in *l. 27. pr. ff. de minor.*]

In integrum restitutione postulata ne quid novi fiat. Tit. 50. Lib. 2. Cod.

Postulata in integrum restitutione, debetne interim adversus eum, qui postulat eam, executio fieri?

Nihil innovandum (*a*) est pendente restitutione, *l. unic. C. hic.* Cæterum, si circumstantia aliud suadeat, executio fieri poterit arbitrio Iudicis, *cap. Suscitata. x. hic.*

(*a*) Jure Canonico fit executio sub cautione, *cap. 6. x. de in integrum restit.* Idem etiam receptum in Galliis & Belgio, *Argentræus art. 283. gloss. 1. n. 25. Sande lib. 1. tit. 8. defin. 4. Neostadius decis. 73. Christin. vol. 2. decis. 137. Oddus d. tract. Q. 43. Carpsovius part. 1. constit. 26. defin. 22.*]

De Temporibus in integrum restitutionis. Tit. 53. Lib. 2. Cod.

Quod tempus restitutionibus indulgetur?

Regulariter quadriennium (*a*) continuum ad petendam & impetrandam restitutionem, *l. ult. C. hic.* Nisi in specie contrarium statutum sit: ut fit in actione de dolo, cui biennium est constitutum, *l. ult. C. de dolo.*

(*a*) Nonnullis in locis hodie datur decennium, *Zypæus*

ad h. tit. Ita etiam in Galliis minoribus datur etiam decennium, *Mornac. ad h. tit.* ordinario autem quadriennium observatur plurimis locis.]

Quando incipit currere tempus?

In minoribus à primo die 26 anni usque ad extremum diem 29 anni, *d. l. ult. §. ult.* quod tempus computatur de momento in momentum, adeo, ut si quis bissexto natus sit, etiam intercalaris numerari debeat, *l. 3. §. 3. ff. de minoribus.*

Quid, si minor veniam ætatis impetraverit?

Currere incipit quadriennium à die, quo venia competenti Judici est intimata, *l. 5. C. h.* sic tamen, ut nunquam, quamdiu minor 25 annis sit qui veniam impetravit, beneficium restitutionis denegetur, *d. l. 5.*

Quando currit tempus majori ob militiam vel absentiam reipubl. causa?

Ex die, quo missus est miles, vel ex quo abesse desiit, *d. l. ult. §. fin.*

Quid, si concurrat ætas cum absentia?

Utriusque causæ ratio est habenda, & assumi debet quod utilius est, *l. 1, 2, 3. C. hic.*

Quid juris in hæredibus?

Ipsis [a] quoque datur restitutio, *l. 6. ff. de in integr. restitut.* juxta hasce regulas. 1. Si minor minori successerit, hæres ex sua, non defuncti persona restituetur; itaque ipsi post 25 suæ ætatis annum datur quadriennium, *l. 2. l. 5. §. 3. C. h.* 2. Si minor majori successerit, nondum completo quadriennio, dabitur id tempus, quod defuncto supererat, *d. l. 5. §. 2. l. 19. §. 1. ff. de minoribus.* 3. Si major minori successerit, statim ab adita hæreditate datur hæredi quadriennium, *l. 4. d. l. C. h.* 4. Si major majori successit, tantum dabitur temporis, quantum defuncto supererat, *arg. d. l. 5.*

[a] Heredibus sic datur ut & eam transmittant defuncti, *Gail lib. 2. obs. 131. n. 8. & seqq.*]

De

Debetne intra quadriennium peragi in totum restitutio?

(a) Ita constitutum est, *d. l. ult.* adeo ut hic non valeat regula, quod per litis contestationem perpetuentur actiones temporales, *l.* 58. *D. de O. & A. l.* 139. *D. de R. I.* Sed hoc procedit, si non steterit per adversarium vel Iudicem, sive testes, vel per aliam justam causam id impediatur, *l.* 6. *C. hic. arg. l.* 39. *D. de min. Clem. un. hic.*

(a) Hodie autem sufficit contestari tantum intra quadriennium, *Christinæus vol.* 2. *decis.* 139. *n.* 11.]

Tit. 2. Quod metus causa &c. Tit. 20. Lib. 2. Cod.

Ex quibus causis solet peti restitutio?

Eæ sunt variæ. Generalis est, quoties æquitas evidens postulat, *l.* 7. *D. de restitut. in int.* & si qua Prætori justa causa videbitur, *l.* 1. *D. ex. quib. causs. major.* Speciales sunt metus, dolus, ætas, minor, status mutatio, absentia, vel alia necessitas, sive justus error, alienatio judicii mutandi causa, *l.* 1, 2, 3. *D. de restit. in integr.* In omnibus vero tenendum, quod justitia causæ rite debeat examinari, *d. l.* 3. *D. de restitut.* ac deinde, ne propter rem minimam, si majori prædicetur, restitutio permittatur, *l.* 4. *D. eod.*

Quid est metus?

Timor majoris malitatis, *l.* 5. *D. hic.* vel mali appropinquantis imaginatio.

Quomodo distinguitur?

Est alius verus, alius præsumptus. De vero hic agitur.

Quid est vis?

Majoris rei impetus, qui repelli non potest, *l.* 2. *D. hic.*

Qualem vim hic intelligimus?

Nullam aliam, quam compulsivam, per quam imponitur necessitas quid faciendi, quod aliter non fieret. Itaque turbativa sive inquietativa huc non pertiner, sed ad interdicta retinendæ possessionis. Expulsiva ad interdictum unde vi. Ablativa vindicatur actione

vi bonor. raptor. Offensiva vindicatur judicio de vi, vel L. Corn. de sicar. vel occurritur ei cautione de non offendendo. Repulsiva, qua violentia illata repellitur, nulla pœna coërcetur.

Quid continetur hoc edicto?

Vt rescindatur, quod per metum est gestum, *l.* 1. *& t. t. h.*

Quis metus sufficit?

Tantum præsens, *l.* 9. *D. h.* atrox, & qui cadere possit in constantissimum virum, *l.* 6. *D. h.*

Quid, si ex reverentiali metu quis fuerit coactus, veluti filius à patre, uxor à marito?

Non facile (*a*) dabitur restitutio, nisi quid aliud concurrat, *arg. l.* 22. *D. de nupt.*

(*a*) Vide *Gail lib.* 2. *obs.* 93. *n.* 22. & *obs.* 117. *n.* 4. & 147. *n.* 15.]

Quid statuendum de minis?

Præstare is, qui minatus est, debet cautionem de non offendendo: Et ad arbitrium Iudicis referetur, utrum restitutio sit facienda. Debet enim distingui inter personas, res, & qualitates earum; facilius enim mulieri vel viro imbelli, quam militi succurritur. Facilius quis restituitur ob minas capitales, quam eas, quæ sunt minoris momenti.

Quid, si quid ex metu diffamationis sit gestum?

Si sola sit jactatio de diffamando, non sufficit, *l.* 7. *D. hic.* Verum, si quis vi compulsus ad peccatum, ex quo infamia sequitur, aliud gesserit, ut peccatum illud declinaret, erit edicto locus, *l.* 8. *s.* 2. *D. hoc. tit.*

Qualis est hæc actio?

Est actio in rem scripta, *l.* 9 *s. fin. D. hic.* personalis alias sua natura, *d. l.* 9. *s. fin.* arbitraria, *l.* 14. *s.* 4. *D. hic. s.* 31. *Instit. de actionib.*

Quibus datur?

Omnibus læsis ex metu, & eorum hæredibus, *l.* 3. *C. h.* Imo & illis, qui in aliquo deprehensi sunt delicto, si coacti per metum quid dederint, *l.* 7. *in fin. D. hic.*

Contra

Contra quos datur?

Contra omnes, qui metum intulerunt: sive sint privatæ, sive publicæ personæ, *l.* 3. *s.* 1. *l.* 9. *s.* 1. *D. hic.* Etiam contra illos, qui rem possident, licet non deliquerint, *l.* 9. *s.* 1. *& seqq. D. h.*

Daturne & contra hæredes?

Non, nisi quid pervenit, *l.* 16. *s.* 2. *in fin. D. hic. l.* 26. *ff. de dolo malo.* Quod enim turpiter & scelere quæsitum est, ad heredem transmitti non debet, *d. s.* 2. Sufficitque semel perveniſſe ad hæredem proximum, licet postea consumptum, & ad heredem secundum nihil translatum, *l.* 17. *D. hic.*

Quid, si plures metum adhibuerint?

Si unus sit conventus, siquidem sponte rem ante sententiam restituerit, omnes liberabuntur; sed, etsi id non fecerit, & ex sententia quadruplum restituerit, & sic perimitur actio adversus reliquos, *d. l.* 14. *s. fin.* aut datur in cæteros actio, quo minus ab ipso exactum, *l.* 15. *D. h.*

Quid, si quis rem suam vel sibi debit am per vim abstulerit?

Qui per violentiam abstulit vel contra prohibitionem, si dominus sit, dominio excidit: si creditor sit, jus (*a*) crediti amittit, *l.* 13. *D. hic. l.* 7. *C. unde vi. s.* 1. *institut. de vi bonor. raptor.*

(*a*) Hodie secundum multos pœna *ll.* hic allegatarum cessat, & quidem maxime in Hollandia.]

Quid obtinetur per actionem ex hoc edicto?

Si reus ad interlocutionem judicis non restituat intra annum vocatus, condemnatur in [*a*] quadruplum, cui ineſt rei persecutio, *d. l.* 14. *s.* 1. *ff. hic.* post annum vero condemnatio fit in simplum, *l.* 4. *C. h.*

[*a*] Hæc pœna quadrupli hodie cessat, quandoquidem propter violentiam pœna extra ordinem infligitur. Idem & in Gallia receptum esse docet *Autumnus in l.* 9. *s.* 1. *ff. h.* actio autem in simplum durat in 30 annos, *Zypæus h. tit.*]

Quid quadruplabitur?

Non tantum ipsa res, sed omnis rei causa, hoc est, fructus, *d. l.* 14. *s.* 7. & aliæ accessiones.

Debet-

Debetne possessor, qui vim non intulit, in quadruplum condemnari?

Debet: nec enim hoc iniquum est; quia non in quadruplum statim condemnari potest, sed tunc demum, si res non restituatur, *l.* 9. *s. fin. l.* 14. *s.* 3. *ff. h.* Itaque non videtur tam ob vim puniri, quam ob contumaciam suam.

Quomodo actio in simplum post annum datur?

Non aliter, (*a*) quam causa cognita, cum alia actio non est, *d. l.* 14. *s.* 1. *&* 2.

(*a*) Hoc hodie cessat, sc. si quis vel rem vindicet, vel in personam condicat.]

Is, qui per metum coactus vendidit, debetne restituere pretium?

Non est dubitandum, *l.* 3. *&* 4. *C. h.* nisi per vim officii sive impressionem venditio sit extorta, *l.* 11. *C. h.* Talis enim venditor non restituet pretium, quod accepit ab eo, qui impressionem fecit, ac æque rem recuperabit, (*a*) *d. l.* 11. *C. h.*

(*a*) Hodie cessat pœna *l.* 11. *C. h. tit.*]

Tit. 3. De dolo malo. Tit. 21. Lib. 2. Cod.

Quid est dolus?

Dolus, vel bonus est, vel malus. Bonus, est solertia, maxime si adversus hostem vel latronem quis quid machinetur. In hoc nulla est vera malitia, *l.* 1. *s.* 3. *ff. h.* Malus, est calliditas, fallacia, machinatio ad decipiendum alterum adhibita, *d. l.* 1. *s.* 2. De hoc agitur hoc edicto.

Quæ est summa edicti?

Quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & justa causa esse videbitur, judicium dabo, *l.* 1. *ff. h.*

Quomodo distinguitur dolus?

Est alius verus, alius præsumptus. Verus consistit in proposito fallendi; præsumptus, est ex lata culpa, *l.* 226. *ff. de V. S. l.* 32. *ff. de posit.* Est & præsumptus, si quis in re illicita (*a*) versetur, *l.* 41. *ff. ad. Leg. Falcidiam.*

(*a*) Vide *Gail lib.* 2. *obs.* 110. *n.* 4. & pro regula prä-

ctica

ctica hic notandum, quod quælibet causa etiam fatua excuser à dolo, *Carpsovius part. 3. Constit. 22. definit. 9. n. 6. & Gail. d. loco.*]

Annon aliter distinguitur dolus?

Est alius ex persona, qualis *hoc tit.* describitur: alius ex re, cum quidem nullum est propositum fallendi, sed ex facto læsio infertur; uti si quis sit deceptus ultra dimidium in pretio, *l. 2. C. de rescind. vendit. juncta l. 36. D. de verbor. Oblig.*

Annon in specie distinguitur dolus malus?

Est alius causam contractui dans, cum quis inducitur dolose ad contrahendum, qui aliàs non contraxisset: vel est incidens, cum quis non est dolo inductus ad contrahendum, sed circa contractum est dolo circumventus, uti si in contractu emptionis quis sit deceptus in pretio vel alio modo.

Quis est usus hujus distinctionis?

Dolus contractui bonæ fidei dans causam, reddit contractum ipso jure nullum, *l. 7. D. h l. 3. D. pro socio.* Cæusam vero dans contractui stricti juris, vel in eum incidens, contractum non reddit nullum; sed vindicatur actione vel exceptione de dolo, *l. 5. C. de inutil. stipulat. d. l. 7. pr. & §. non solum. D. h.* Dolus autem incidens in contractum bonæ fidei, corrigitur per actionem ex contractu in id quod interest, vel per exceptionem doli, *d. l. 7.*

Quibus datur actio de dolo?

Omnibus læsis, *l. 7. pr. h.* sive jus suum perdiderunt, aut aliter damnum sunt passi.

Contra quos datur?

Contra eos, qui dolum commiserunt, & ad quos ex dolo quid pervenit, *l. 15. pr. & §. 2. D. h. l. 3. ff. quando ex facto tutorum.*

Estne exceptio in personis, quibus & contra quas non datur?

Primo, non datur liberis adversus parentes, cum sit famosa. 2. Non humilibus adversus eos qui dignitate excellunt. 3. Non luxurioso, vel prodigo, aut aliàs vili, adversus hominem vitæ emendatioris, *l. 12. §. 1. ff. h.*

Quid

Quid ergo de hisce personis dicendum?

Danda in factum actio verbis temperanda, ut bonæ fidei mentio fiat; hæredibus tamen harum personarum, ut & adversus hæredes de fraude sua, etiam actio de dolo danda est, *l.* 11. *§.* 1. *l.* 12. *l.* 13. *D. h.*]

Quid, si plures dolum commiserint?

Vnus præstatione rei, vel quanti ea res est, reliquos liberat, *l.* 17. *D. h.*

Quid probandum est in hac actione?

1. Designari debet res, in qua dolo actor est circumscriptus, *l.* 26. *D. h.* 2. Designandum, cujus dolo malo quid factum. quamvis in metu hoc non sit necesse, *l.* 15. *§.* 3. *ff. h. l.* 14. *§.* 3. *D. quod met. caus.* quia in metu major est mentis trepidatio, quam in dolo. 3. Expendendum, annon alia actio [*a*] dari possit: non enim competit hæc actio, si alia sit, *d. l.* 1. *§.* 1. *&* 4. quia famosa est & extraordinaria, nisi dubitetur, an aliqua actio competere possit, aut hæc concurrat cum æque famosa, *l.* 7. *§.* 8. *D. h. l.* 14. *§.* 13. *D. quod metus.* 4. Cogitandum, annon summa [*a*] nimis sit modica, ut infra duos aureos, *l.* 9. *§. fin. l.* 10. 11. *ff. hic.*

[*a*] Putant nonnulli quod hodie hoc cessat, ex eo quod hodie infamiæ non ita solent infligi ex dolo, ut Jure Civili; ac 2. quia non est necesse nomina actionum exprimere: Crassus autem est error, quandoquidem licet infamia cessaret, non licet agere de dolo, quia est remedium restitutorium: Ad restitutionem autem agi non potest, cum aliud remedium supersit *l.* 16. *ff. de minor.* ac deinde nec olim nomina actionum exprimi in libellis fuit usitatum. [*b*] Id etiam hodie vigere affirmat *Gail lib.* 2. *obs.* 120. *n.* 13. nec mutatum esse credendum est propter regulam quæ est in *l.* 4. *ff. de in integ. restit.*]

Quid petitur præcipue hac actione?

Vt, quod dolo amissum est, restituatur arbitrio Judicis, &, nisi restituatur, condemnetur reus quanti (*a*) interest: quod æstimandum est officio Judicis, *l.* 18. *pr. ff. hic.*

(*a*) Hæc ipsa condemnatio ejus quod interest per jusjurandum in litem definitur, *l.* 5. *ff. de in litem jurando, l.* 18.

l. 18. *in fine princ. ff. h.* sic ut judex libidinem jurisjurandi refrænet per adjectionem taxationis.]

Estne hoc perpetuum, ut arbitrio Iudicis stetur?

Siquidem manifestum sit, rem restitui non posse, protinus condemnatur in id, quod interest, *d. l.* 18. quod etiam æstimatur jurejurando in litem, si per rei dol m res perierit, *l.* 2. *s.* 1. *l.* 5. *ff. de in litem jur.*

Quid, si deceptus non agat, potestne decipiens agere ad rescisionem?

Nullo modo: absurdum enim esset, quem ex sua turpitudine consequi actionem ad rescindendam, *arg. l.* 13. *s.* 5. *ff. de actiun empt. l.* 30. *C. de transact.*

Quamdiu durat hæc actio?

Ad biennium, *l. fin. C. hic* & hoc singulare est in hac, quod, licet sit cœpta intra biennium, non tamen possit post biennium exerceri, *d. l. fin.*

Nullum ergo remedium supereſt post biennium?

Datur reo exceptio, quæ perpetua est, *l.* 5. *in fin. ff. de dol. mal. except.* Præterea competit actio decepto in factum rei persecutoria; non tantum contra decipientem in solidum; sed & contra hæredes, quatenus ad ipsos pervenit, *l. itaque* 28. *ff. h.* quæ & perpetua est.

Tit. 4. De Minoribus 25 annis.

De in integrum restitutione Minor. Tit. 22. Lib. 2. Cod.

Quibus subvenitur propter ætatem?

Minoribus 25. annis, (*a*) sive masculi sint, sive fœminæ, *l.* 1. *ff. h*

(*a*) Quæritur an & alii qui nomine minorum veniunt, etiam ad exempla minorum sint restituendi, admitti quidem hoc posset secundum illa quæ late tradit *Oddus de Restit. in integ. Q.* 3. Commode autem hæc res referri potest ad clausulam generalem, quæ est, si mihi justa causa videbitur in edicto, ex quibus causis majores in integrum &c. *l.* 1. *ff. eod.*]

Quæ

Quæ debent probari?

Duo: ætas, & læsio, *l.* 4. & 5. *C. hic.* Ætas probatur per obstetrices, vicinos, cognatos, imo & parentes, per eorum annotationes, per indices parochiales. Læsionem autem sic cognoscit Prætor, ne majori rei fiat præjudicium, *l.* 24. *s.* 1. *ff. h.* In læsione non tantum spectandum, an quid diminutum sit ex bonis, sed & ne vexentur minores litibus & sumptibus, *l.* 6. *h.* ne etiam amittant lucrum, *l.* 7. *s.* 6. *l.* 44. *ff. h.*

Desideraturne dolus adversarii?

Nullo modo, *l.* 5. *C. h.* sed tantum læsio, si quid fecerint minores, vel prætermiserint, aut ignoraverint, *l.* 8. *C. h.*

Competitne hæc restitutio quibusvis minoribus? & quid, si sint Iuris Doctores?

Dabitur etiam iis restitutio, si circa factum, non jus, læsi sint, *arg. l.* 2. *s.* 43. *ff. de Orig. jur. junct. l.* 1. *C. qui & adversus quos.*

Daturne restitutio hæredibus minorum?

Datur: licet etiam hæredes sint majores, *l.* 1. *s. fin. ff. hic. l.* 6. *C. h.*

De Filiofamilias minore, Tit. 23. Lib. 3. Cod.

Potestne & minor filiusfam. restitui?

Potest: modo ad patrem beneficium non porrigatur, *l.* 3. *s.* 4. *ff. h.* Si vero filiusfam. suo nomine fuerit obligatus valide, eo casu etiam pater eo invito potest agere ad restitutionem, *l.* 27. *ff. h.*

De Fidejussoribus minorum. Tit. 24. Lib. 2. Cod.

Quid juris in Fidejussoribus minorum?

Fidejussoribus non succurritur, *l.* 13. *ff. de minorib. l.* 2. *C. h.* nisi minores dolo fuerint capti, *l.* 2. *C. h.* vel nisi fidejussoribus possit subveniri sine damno creditoris, ut si æque actionem habeat salvam, *arg. l.* 2. *ff. de adminis. tutor. l.* 89. *ff. de acquirend. hered.* vel nisi fidejussores ignoraverint minorem esse, *arg. l. si Titius* 38. *ff. de fidejuss.*

Sed,

Sed, quid proderit minoribus restitutio, si conveniri possint à fidejussoribus?

Etiam minores restituentur adversus ipsos fidejussores, *d. l.* 13. *D. de minor.*

Cur magis fidejussoribus denegatur restitutio, quam heredibus?

Quia fidejussores sibi debent imputare; cum se obligent voluntario: heredes vero incidunt in hanc obligationem, *arg. l.* 42. *D. de R. I.*

Si Tutor vel Curator intervenerit. Tit. 25. Lib. 2. Cod.

Quid, si Tutor vel Curator intervenerit?

Æque restitutio competit; sive in judicio, sive extra judicium negotium sit gestum, *l.* 2. *C. h.* Etiam in his, quæ ipsi tutores [a] male gesserunt, licet personali actione minores suum consequi possint à curatoribus, *l.* 3. *C. h.*

[a] De interventu tutorum, curatorum, propinquorum, principis, de decreto judicis & similibus vide *Oddum d. tract. Q.* 22.]

Annon videtur hoc pugnare cum l. 16. *D. de minor. ubi denegatur restitutio, quoties alia est actio; at hic est actio tutelæ?*

Nequaquam. quia *d. l.* 16. habet locum, quando contra eundem alia actio comperit: hoc autem casu diversa contra diversos dantur remedia; sc. tutelæ adversus curatores, & restitutionis adversus alios. Et, si elegerit minor vel hoc vel illud remedium, æque restituetur adversus electionem, *l. fin. C. h.*

Si in communi eademque causa. Tit. 26. Lib 2. Cod.

Prodestne restitutio minoris etiam majoribus communem causam habentibus?

Nequaquam, cum beneficium sit personale, *l. un. C. h.* Sed hoc procedit, si causa divisionem admittat: nam si causa sit individua, etiam ad alios porrigetur restitutio, *arg. l.* 10. *ff. quemad. servit. amitt.*

Si adversus rem judicatam. Tit. 27. Lib. 2. Cod.

Daturne restitutio adversus rem judicatam?

Datur, sive inferior magistratus, sive quis vice principis sententiam dixerit, *l.* 3. *C. h.* licet etiam curatores adstiterint, vel per procuratorem lis legitime fuerit ordinata, *l. pen. & fin. C. h.*

Quid, si sententia inciderit in tempus quo major est factus?

Cessabit restitutio, *l.* 1. *&* 2. *C. h.* nisi adversarius dolo fecerit, vel alia sit justa causa restituendi, *l.* 3. *§.* 1. *ff. de minor.*

Quid, si adversus sententiam pro patre suo adversus se latam minor velit restitui?

Audiendus est, *l.* 2. *C. h.* Nec in contrarium facit *l. ult. C. qui & adversus quos.* quia tunc restitutio adversus parentes non potest peti, cum de facto parentum instituitur querela, *d. l. fin.* secus, si quid allegetur de defensione non bene facta.

Si adversus venditionem. Tit. 28. Lib. 2. Cod.

Potestne minor restitui adversus suas vel curatorum venditiones?

Potest, modo venditiones sint validæ. Nam, si res immobilis, vel quæ servando servari potest, sit vendita, nulla est venditio, *l* 22. *C de administ. tutor.* ut non opus sit restitutione, *l.* 16. *ff. de minor.*

Quid, si minor contractum ita factum jurejurando corporaliter præstito confirmaverit?

Non [*a*] potest contra hoc juramentum venire, *l.* 1. *& auth. sacramenta. C. hic.*

[*a*] Id nec in Hispania, nec in aliis multis locis observatur, ut tradit *Tuldenus ad h. tit.* Cujus rei ratio est evidens, nam eâdem facilitate minor jurat quâ vendit, nec permittendum est, ut occasio aliquain veniatur, per quam restitutio in integrum adimitur, ne quid fiat contra rationem naturalem, *l.* 1. *ff. de minor.* Aliter sentiunt *Gail lib.* 2. *obs.* 41. *Carpzovius part.* 2. *Constit.* 11. *decis.* 50.]

An

An nullo modo datur restitutio post juramentum?

Dari debet, cum dolus vel metus intervenit, *d. auth.* vel minores enormiter sunt læsi: quia & talis læsio in se dolum ex re habet, *l.* 36. *ff. de V. O.*

Si adversus venditionem pignor. Tit. 29. Lib. 2. Cod.

Debetne subveniri minoribus adversus venditionem pignorum?

Si à patre vel extraneo, cui successerunt, oppignoratam rem creditor vendiderit, non dabitur minoribus restitutio, nisi creditor mala fide sit versatus, *l.* 2. *C. hic.* vel etiam non observaverit solemnia quæ requiruntur. Eo enim ipso videtur esse suspectus, *arg. l.* 2. *C. si ex causa judicati. l.* 1. *C. de præd. minor.* Secus, si ipsi minores rem pignori dederunt, quia læsis tunc facilius succurritur, *l.* 1. *C. h.*

Si adversus donationem. Tit. 30. Lib. 2. Cod.

Daturne restitutio adversus donationem?

Datur, sive minor ipse, sive pater ejus, eo consentiente, quid donaverit valide, *l.* 1. *&* 2. *C. h.* Cessat autem, si sponsæ donatio sit facta non immoderata, *d. l.* 1. *C. h.*

Si adversus libertatem. Tit. 31. Lib. 2. Cod.

Daturne restitutio minori adversus libertatem, quam contulit?

Non, *l.* 4. *C. h.* licet etiam dolo suo servus eam fuerit consecutus, *l.* 2. *C. h.*

Ergone ita minor damno afficietur?

Nequaquam. Minori enim succurritur, actione de dolo, vel in factum, *l.* 2. *l.* 3. *C. h. l.* 7. *ff. de dol. mal. l.* 11. *ff. de minor.*

Si adversus transactionem vel divisionem. Tit. 32. Lib. 2. Cod.

Quomodo restituitur minor adversus transactionem vel divisionem?

Non tantum minor, sed & adversarius pristinis actionibus utetur, acsi nulla præcessisset transactio, *l. 1. l. 2. C. h. l. 24. §. 4. ff. de minor.*

At videtur pugnare l. 28. ff. de minor. qua minor, non autem tutor suo jure pristino uti docetur in restitutione.

Minime, quia alia est ratio tutelæ, alia transactionis vel divisionis. Ex administratione tutelæ duplex est judicium: directum, & contrarium, quorum unum alteri immediate non cohæret. At, in transactione & divisione judicium ab una parte, alteri, quod est ab adversa parte, plane cohæret, & ejusdem naturæ est.

Si adversus solutionem à tutore vel curatore fact. Tit. 33. Lib. 2. Cod.

Potestne minor restitui contra solutionem sibi factam?

Potest: & non tantum, si minori ipsi, sed & ejus curatori sit facta, *l. 1. C. h.* Ad quam rem desideratur [a] causæ cognitio, *d. l. 1.* Non autem temere est concedenda, si curatori quis solverit, *arg. l. 7. §. 2. ff. de minorib.*

[a] Licet apocha sit descripta coram judice non habita causæ cognitione, h.e. sine decreto, & minor ex ea solutione sit læsus, procedit restitutio, uti notavit *Carpzovius part. 2. tit. 11. decis. 46. n. 45. 47.*]

Quomodo ergo tuto potest solvi minori?

Ex præcepto vel sententia Judicis, *l. 25. C. de admin. tut. d. l. 7. §. 2.* Quod enim Iudice authore fit, juste fieri existimatur, *l. 11. ff. de acq. vel. am. poss.*

Quid, si minor aliquid solverit, & velit restitui?

Audietur, licet etiam erraverit in jure, *l. 2. C. h. l. pen. ff. de jur. & fact. ignor.* vel de lucro tantum captando certet, *l. 7. §. 6. l. 44. ff. de minor.*

Si

Si adversus dotem. Tit. 34. Lib. 2. Cod.

Potestne mulier minor adversus dotem, quam constituit, restitui?

Potest: Et non tantum ipsa mulier, si immodicam constituit, sed & heres ejus, *l. un. C. h.* si læsa sit vel in dote constituenda, vel rebus æstimandis, vel si pacto deteriorem fecerit conditionem, *l. 9. §. 1. l. 48. l. fin. ff. de minorib.*

Si adversus delictum. Tit. 35. Lib. 2. Cod.

Datur ne restitutio adversus delictum?

Nequaquam, si crimen sit atrocius, & pugnet cum jure naturæ: malorum enim mores infirmitas animi non excusat, *l. 1. C. h.* & contra leges committens, indignus est earum beneficio, *l. 37. in fin. D. de minorib.* Secus est, si civiliter quid sit prohibitum: tunc enim venia solet dari, *l. 2. C. h. l. 38. §. 2. D. ad L. Jul. de adult.* si dolus non interveniat, *l. 9. §. 5. D. de minorib.*

Quid, si minor sit confessus crimen?

Ipsi subvenietur, si non aliter de delicto constet, *l. 37. versic. dixi. D. de minor. l. 6. §. 5. D. de confess.*

Annon, si non detur restitutio in atrocioribus, debet fieri aliqua remissio?

Mitius agendum est: cum non tam ex malitia & constanti animo videtur esse commissum, quam ex ætatis lubrico, *d. l. 37. ff. de minor. junct. l. 11. D. de pœn.*

[a] Si adversus usucapionem. Tit. 36. Lib. 2. Cod.

Datur ne restitutio adversus usucapionem?

Minores non contra præscriptionem longi temporis, *l. fin. 2. in quib. caus. rest. non est necess.* sed longissimi, sunt restituendi, *l. un. C. h.* Hæc quæ longissimi est temporis, minoribus currit, *d. l. fin. l. 3. C. de præs. 30. vel 40. ann.* non autem pupillis, *d. l. 3.*

[a] Iure Digestorum plerumque contra temporales præscriptiones datur restitutio, ut est in *l. 7. §. 11. ff. de minor.* id autem Iure Codicis mutatum est, *l. ult. in*

quibus

quibus causis restit. non est nec. Vide *Busium in l. 37. §. 1. d. ff. de minor.*]

Si adversus Fiscum. Tit. 37. Lib. 2. Cod.

Quæ veniunt in causæ cognitionem?

1. Annon nimis exiguo precio res minorum fuerint venditæ, vel ob proprium, vel parentum debitum, *l.* 1. 3. *C. h.* 2. Annon quid per fraudem, aut contra solemnitatem sit factum, *d. l.* 3. Si itaque Fiscus vendiderit res minorum tanquam fisci, dabitur restitutio, non obstante præscriptione, *d. l.* 3. si vero jure creditoris debito modo, non concedetur restitutio, nisi omissæ fuerunt solemnitates, vel fraus probetur, *d. l.* 3.

Si adversus creditorem. Tit. 38. Lib. 2. Cod.

Datur ne restitutio contra mutuum?

Non tantum restituetur minor adversus mutuum, sive sub usuris, sive sine iis sit acceptum; sed & cautionem condicere potest, nisi creditor probaverit pecuniam esse versam in rem minoris, *l.* 24. §. 4. *ff. de minor.* In hac itaque causa non est necesse, ut minor probet læsionem, *l.* 1. 2. *C. h.* cum alias teneatur, *l.* 5. *C. de in int. rest. minor.*

Quare aliter in mutuo, quam in aliis contractibus?

Quia facile pecunia credita prodigitur. Accedit præterea odium fœneratorum, eorumque, qui luxuriam inflammant, datis nummis. Aliter in venditione receptum est, quia minori solvitur, quod solvi necesse est; credere autem non est necesse, *l.* 24. §. 4. *ff. de minorib.*

Si minor ab hereditate se abstin. Tit. 39. Lib. 2. Cod.

Potestne minor restitui adversus additionem hereditatis?

Si se non immiscuerit, non opus habet restitutione, licet non sit protestatus de non immiscendo, *l.* 1. *C. h.*

C. h. Sin autem sese immiscuerit, vel adierit damnosam, parata est restitutio, *d. l.* 1. *l.* 2. *C. h.*

Quomodo sit hæc restitutio, si minor adierit?

Vocatis solenniter creditoribus, iisque quorum interest; Judice providente, ubi & qualiter res hereditariæ debeant custodiri, quantitate earum in actis manifestanda, *Auth. si omnes. h. t. desumpta ex Nov. 119. c. 6.*

Si ut omiss. heredit. vel bonor. poss. vel quid aliud acquis. Tit. 40. Lib. 2. Cod.

Quid, si minor lucrosam hereditatem repudiaverit?

Restituetur, *l.* 1. *C. h.* quia non tantum in damnis, sed & lucris ei subvenitur, *l.* 7. *s.* 6. *D. de minor.* si omni modo integra sit causa: Si vero jam distracta hæreditate, & negotiis finitis ad pecuniam laboribus alterius paratam veniat, repellendus est, *l.* 24. *s.* 2. *D. de minor.* nisi fuerit suus heres, *l. fin. C. de repud. vel abst. hered.*

In quib. caus. non est necess. in int. rest. Tit. 41. Lib. 2. Cod.

Suntne causæ, in quibus non est necessaria restitutio?

Sunt variæ. Uti, si ipso jure munitus sit minor, *l.* 16. *pr. s.* 3. *D. de minor.* veluti, 1. Si patris necem non sit ultus legitimo modo, *l.* 1. *C. h.* 2. Si post quinquennium velit agere querela inofficiosi, *l.* 2. *C. h.* 3. Si sit temporalis aliqua præscriptio, uti non numeratæ pecuniæ, vel alia quævis, *l. fin. C. h.* Non autem, si sit 30 vel 40 annor. quæ contra puberes solos, non impuberes datur, *l.* 3. *C. de præs.* 30 *vel* 40 *ann.* 4. Si minor non interpellaverit debitorem, & sic eum non constituerit in mora. Datum enim est minoribus, ut ipso jure eorum debitores & re ipsa constituantur in mora, *l.* 3. *C. h.* 5. Si minor, curatorem habens, quid alienaverit, *l.* 3. *C. de rest. in int. minor.* 6. Si sententia sit lata adversus minorem indefensum, *l. pen. C. si advers. rem jud.* vel adversus tutorem, qui non satisfecerat, *l.* 4. *C. h.* 7. Si curator prædia alienaverit sine decreto, *l.* 2. 4. 8. *C. de præd. min. sine decr. non alien.*

Qui, & adverſ. quos in integr. reſtitui non poſſ. Tit. 42. Lib. 2. Cod.

Poſſuntne omnes minores reſtitui?

Non reſtituetur, qui ſobrie rem ſuam adminiſtrans, occaſione damni, non inconſulte accidentis, ſed fato, velit reſtitui, *l.* 11. *ſ.* 4. *ff. de minor.*

Quid ergo, ſi diligens paterfamilias fuerit, actibuſque publicis induſtrium ſe docuerit, ut lapſum eum per ætatem veriſimile non ſit?

Non facile reſtituetur. Verum, ſi cauſa cognita circumventus deprehendatur, propter hoc ſolum non removebitur à reſtitutione, quod ſit decurio, quod liberos procreaverit, *l.* 1. *C. h.*

Poteſtne minor adverſus minorem reſtitui?

Inſpiciendum eſt, quis ſit captus: Proinde, ſi ambo capti ſint, verbi gratia, minor minori pecuniam dedit, &, qui accepit, perdidit; melior eſt cauſa ejus, qui accepit, & vel dilapidavit, vel perdidit, *l.* 11. *ſ. pen. ff. eod.*

Quid, ſi minor filiofamilias majori dederit pecuniam mutuo?

Subvenietur minori: major enim ætatis, quam SConſulti, habenda eſt ratio, *d. l.* 11. *ſ. fin. ff de minor.*

Ceſſatne reſtitutio ob perſonam illius, contra quam petitur?

Ceſſat, ſi contra parentes petatur, *l. fin. C. h.* Sugillari enim videtur per reſtitutionem fama parentum, qui ſemper optime conſulere velle liberis præſumuntur. Verum, poteſt dari adverſus parentes actio in factum, ſecundum rationem, *l.* 11. *ſ.* 1. *D. de dol. mal.* Quinimo & reſtitutio adverſus matrem ſecundo nubentem datur, *Nov.* 155. *c.* 1.

Si minor ſe majorem dixerit, vel probatus fuerit major. Tit. 43. Lib. 2. C.

Quid, ſi minor majorem ſe dixerit?

Non ſubvenietur ei, ſi dolo per hoc alium ad contrahendum induxerit, *l.* 1. 2, 3. *C. h.* Secus, ſi per errorem dixerit, *l.* 4. *C. h.*

Quid,

Quid, si juraverit se esse minorem?

Non auditur, nisi probaverit errorem per instrumenta: per testes probatio vero non sufficit, *l.* 3. *C. h.*

Si sæpius in integr. rest. post. fuer. Tit. 44. Lib. 2. Cod.

Potestne sæpius peti restitutio?

Non potest, si ante sit denegata, *l.* 1. *C. h.* nisi nova causa emerserit, *l.* 2. 3. *C. h.*

Quomodo explicanda, l. 1. *C. h.?*

Si restitutio sit denegata, potest appellari; nec datur restitutio contra sententiam. Cæterum, ut appellatio interponi possit adversus latam sententiam, qua restitutio rejecta fuit, recte restitutio petitur, *d. l.* 1.

Imo & videtur sæpius restitutio fieri, l. 7. *§.* 9. *D. de minor.*

Cum dicitur, quod sæpius non possit desiderari restitutio, debet id accipi de eadem causa: Hoc sensu, ex eadem causa, & ad idem, non potest peti restitutio. Verum si, qui omisit hæreditatem, restitutus sit ad eam adeundam, potest petere restitutionem ad omittendam, quia non petitur ad idem, & ex eadem causa, *d. l.* 7. *§.* 9. *ff. de minorib.*

De his, qui veniam ætatis impetrav. Tit. 45. Lib. 2. Cod.

Possuntne restitui, qui veniam ætatis impetraverunt?

Nequaquam, *l.* 1. *C. h.* ne quis Principis, qui solus veniam ætatis concedit, authoritate lædatur, *d. l.* 1.

Quibus solet dari venia?

Masculis viginti, fœminis octodecim annis majoribus. Modo illam ætatem recte probent, & morum honestatem ac frugalitatem, *l.* 2. *pr. & §.* 1. *C. h.*

Quid juris est concessum iis, qui veniam impetraverunt?

Possunt omnia administrare, sed non alienare prædia, sive bona immobilia, *d. l.* 2. *§.* 1. *in fin.* &, si immobilia alienaverint, datur iis restitutio, *l.* 3. *C. h.*

Quid, si alicui quid sit relictum vel datum sub mentione legitimæ ætatis?

Intelligitur tantum ætas viginti quinque annorum.

l. fin. C. h. addel. 50. in fin. D. de leg. 3. l. fin. ff. de cond. & demonst.

Si major factus ratum habuerit. [a] Tit. 46. Lib. 2. Cod.

Quid, si quis, postquam major est factus, id, quod in minori gestum est ætate, ratum habuerit?

Non restituetur, *l. 1. 2. C. h.* Sive expresse ratum habuerit verbis vel scriptis, sive tacite. Tacite, ut si passus est elabi quadriennium post annum vicesimum quintum: vel adimplevit in majori ætate, quod ante gessit, *l. 3. §. 1. D. de minor.* nisi dolo ad hoc fuerit inductus, vel aliter notorie erraverit, *d. l. 3. §. 1.*

[a] De hoc tit latè *Oddus de in integr. restit. Q. 25.* inter reliqua etiam de eo quæritur, an si jam major factus exegerit usuras ex nomine à tutore contracto, videatur is suscepisse nomen? Quod affirmandum est, quo pertinet illud, quod tradidit *Carpsovius part. 1. conclus. 11. decis. 27.*]

De Reputationibus, quæ fiunt in jud. rest. in int. Tit. 48. Lib. 2. C.

Quomodo debet fieri restitutio?

Ut unusquisque suum recipiat, *l. 24. §. 4. D. de minor.* &, ne minor, ut non morari debet in damno, in lucro moretur, *l. un. C. h.* Itaque minor, quicquid ad ipsum pervenit, & ex quo locupletior est factus, *l. 27. §. 1. D. de minor.* restituet, sive sit res singularis, *d. l. un. pr.* sive universalis, *d. l. un. §. f.* Habita etiam [a] fructuum & usurarum ratione, *d. l. 27. §. 1.* At, qui perditurò credidit, is nihil recuperat, *d. l. 24. §. 4. D. de minor.*

[a] Vide *Oddum d. tract. Q. 45, 47.*[

Tit. 5. De capite minutis. Tit. 16. Lib. 1. Inst.

Quid est restitutio ex edicto de capite minutis?

Ut, qui minimam capitis diminutionem sit passus, postquam contraxerit, sic conveniatur, quasi nulla capitis diminutio esset facta, *l. 2. §. 1. ff. h.* Atque ita actiones

actiones pristinas per subtilitatem extinctas restituit Prætor.

Cur fit mentio minimæ capitis diminutionis.

Quia, qui maximam vel mediam sunt passi, non possunt conveniri, *l. 2. pr. D. h.*

Ergo per delictum quis eximitur obligationi?

Actione civili ipse delinquens non convenitur, sed is, qui ejus bona occupavit, *d. l. 2. pr.* Actio autem criminalis contra ipsum delinquentem est intentanda, *d. l. 2. §. 3.* & cum capite ambulat, *l. 7. §. 1. ff. h.*

Quid est capitis diminutio?

Prioris status mutatio. Cum vero status consistat in libertate, civitate, ac familia, *l. fin. ff. h.* triplex dicitur minutio. Maxima, qua libertas adimitur. Media, qua civitatis jus tollitur. Minima, qua muratur jus patriæ potestatis, quæ fit per arrogationem, vel emancipationem, *§. 1. 2, 3. Inst. h.*

Et hi, qui moti sunt Senatu vel munere, capite minuuntur?

Nullo modo, quia iis nullum ex tribus, sc. libertate, civitate, vel familia muratur, *§. 5. Inst. h.* sic & servi manumissi non dicuntur capite minui, sed acquirere caput.

Qualis est actio ex hoc edicto?

Perpetua, &, *quia rei est persecutoria*, datur heredibus & contra heredes, *d. l. 2. §. fin.*

Tit. 6. Ex quib. caus. major. Tit. 54. Lib. 2. Cod.

Quibus ex causis majores restituuntur?

Ex variis. Generalis est: si qua sit justa causa, *l. 1. l. 26. § fin. ff. h.* Speciales sunt causæ: 1. Absentiæ, vel ob metum non supervacuum, *l. 2. §. 1. ff. h.* vel ob necessitatem reipublicæ, *l. 4. 5 l. 36. 37, 42. ff. h.* vel ob aliam probabilem ac justam rationem, *l. 26. in fin. l. 27. l. 28. ff. h.* 2. Vinculorum, *l. 1. 9, 10. ff. h.* 3. Servitutis, potestatis hostium, cui quis subjectus, *l. 1. 11. l. 14. 15. ff. h.* Non vero est justa causa sola [a] ignorantia, *l. un. C. de usuc. transf. l. fin. C. de præscr. long. temp.*

[a] An ob rusticitatem, ob adversiorem valetudinem, ob Judicis vel advocati absentiam restitutio sit admittenda, late tractat *Oddus d. tractat. Q. 9, 10, 11. & seqq.* Summa autem eò tandem est deducenda, ut arbitrio judicis relinquatur, quomodo hæ & similes causæ sint determinandæ.]

Quomodo datur ex hisce causis restitutio?

Non tantum, ut absentes, aut vinculis vel potestate hostium detenti, læsi restituantur; sed etiam illi, quibus interim contra illos non fuit agendi copia, si damnum sint passi, *§. 5, Inst. de action.*

Potestne absentibus imputari, quod Procuratorem non reliquerint?

Nullo [a] modo, *d. l. 26. §. fin. D. h. t.* verum, si quis procuratorem reliquerit, per quem defendi potest, non audietur, siquidem ad eum actum fuerit datus procurator, ob quem restitui absens desiderat, *l. 39. D. h.* [a] Videatur *Oddus d. trat. Q. 29. 30.*]

De restitut. militum. Tit. 51. Lib 2. Cod.

Annon ergo milites restituentur?

Utique: modo occupati fuerint circa res militares, hoc est, fuerint in expeditione, in castris, aut acie, *L. fin. C. h.* Sola cæteroquin militia per se non præbet restitutionem, *d. l. fin.* Daturque restitutio militibus, si damnum senserint, vel ex sententia ac venditione pignorum, vel usucapione, sive præscriptione, *l. 2, 3, 4. 6. C. h.*

De uxorib. & eor. qui reip. caus. absunt. Tit. 52. Lib. 2. Cod.

Daturne restitutio uxoribus militum, & eorum, qui reip. causa absunt?

Fuit quidem aliquando constitutum, ne uxores maritos, vel ad bellum, vel ad provinciæ administrationem abeuntes, comitarentur, *l. 4. §. 2. D. offic. Proconf.* nisi mariti vellent ipsimet teneri ex delictis uxorum, *d. l. 4. §. 2.* Re autem bene perpensa, absentia uxorum, ob virorum militiam, vel administrationem provinciæ, aliamque causam publicam, habita fuit necessaria,

saria, & est concessa restitutio iisdem, uti maritis *l.* 1. 2. *C. h. t.*

Quid, si res uxorum fuerit tempore absentiæ usucapta?

Non obstat præscriptio, verum refundi debet precium usucapienti, *l.* 2. *C. h.* vel ab illo, qui sine causa accepit, vel ab ipsis uxoribus, si ob debitum earum res sit vendita, *secundum l.* 6. *C. de restit. milit.* aut pecunia sit conversa in earum utilitatem, *arg. l.* 65. *ff. l.* 3. 23. *C. de rei vindic.*

Tit. 7. De alinat. Judic. mut. caus. fact. Tit. 55. Lib. 2. Cod.

Quæ est restitutio adversus alienationem judicii mutandi causa factam?

Hæc adversus eum, qui dolo malo, cum actionem in rem metueret, transtulit rem in duriorem vel potentiorem, quis in integrum restituitur, ut antiquus possessor condemnetur, quanti interfuit actoris, reum, vel talem adversarium, non habuisse, *l.* 1, 2, 3. *ff. h. t.* Nisi velit alienans pati judicium in rem, ac si possideret, vel dolo desiisset possidere. Id enim si pati velit, ab hac actione liberatur, *l.* 3. *s. fin. ff. h.* quia actoris non interest ulterius.

Potestne & is conveniri, qui ab alienante mediate vel immediate rem accepit?

Potest, *l. un. C. h.* sed tantum actione in rem, non actione in factum, ex hoc edicto: quia ea tantum datur ex facto contra alienantem, *l.* 1. *D. h.*

Quæ debent concurrere, ut actio in factum ex hoc edicto locum habeat?

1. Debet esse actio in rem, vel mixta, vel in rem scripta. In mere personali non habet locum, quia debitor non potest alium sibi substituere debitorem *l.* 1. *C. de novat.* 2. Debet res esse alienata, *l.* 1. *& t. t. ff. h.* 3. Res debet esse alienata ante judicium inchoatum: nam post, cum res litigiosa est facta, non potest alienari, *t. t. ff. & C. de litigios.* 4. Debet alienatio fieri dolo malo, vel data opera, *l.* 1. *l.* 4. *s.* 3. *ff. h.* 5. Debet fieri alienatio in duriorem adversarium. qualis est homo alterius provinciæ, vel potentior, vel qui quocunque

modo possit actorem vexare, *l.* 1. *in f. l.* 2. 3. *ff. h.* 6. Debet interesse actoris, talem adversarium sibi non obtrudi, *d. l.* 4. *§.* 5. *D. h.*

Datur hæc actio etiam heredibus?

Datur heredibus, *d. l.* 4. *§. fin ff. h.* cum persecutionem rei contineat, *d. l.* 4. *§. fin.* Non tamen adversus heredes, *d. l.* 4. *§. fin.* nisi qua pervenit, quia ex delicto est, *l.* 7. *ff. h.* sed recte contra eum, qui cum rem exhibere tenetur, pristinam judicii causam non restituit, *l.* 8. *ff. h.*

Ad quid datur?

In id, quod actoris interest, *d. l.* 1. *l.* 3. *§.* 4. *l.* 4. *§.* 5. *ff. h.* non ut res restituatur.

Tit. 8. De receptis, qui arbitrium receperunt. Tit. 56. Lib. 2. Cod.

Qui sunt arbitri?

Varie in jure accipiuntur. Aliqui ad lites, aliqui ad contractus pertinent. Eorum, qui ad lites referuntur, sunt alii, qui deputantur ex collegio judicum, quos solemus appellare commissarios: tales sunt arbitri familiæ erciscundæ, communi dividundo, *l.* 15. 17. *C. famil. ercisc. l.* 3. *C. comm. div.* Horum mentio *in l.* 9. 10. *ff qui satisd. cog.* Alii à partibus electi ex compromisso. Alii amicabiles compositores, qui non tam litem definiunt, quam proxenetæ & adjutores transactionum sunt. Horum mentio *in Auth. Si vero contigerit, C. de judic.* Eorum vero, qui ad contractus pertinent, alii ad perficiendos contractus, de quibus *l. fin. C. de contrab. emt.* ut definiant rei precium, vel usus mercedem: alii ad opera, de quibus est actum, probanda solent adhiberi, de quibus *l.* 24. *D. locat. l.* 76. *in f. & seqq. ff. pro soc.*

Cum arbitri recepti dicuntur, de quibus id accipiendum?

De iis, qui ex compromisso sunt electi.

Qui possunt eligere arbitros compromissarios?

Possunt, qui non prohibentur. Inter prohibitos sunt servi, *l.* 32. *§.* 8. *ff. h.* licet postea liberi fiant *d. §.* 8. pupilli, sine tutoris authoritate, *l.* 35. *ff. h.* minores, mulieres [*a*] in causa aliena, *d. l.* 32. *§.* 2. *ff. h.*

[*a*] Maritata secundum mores etiam in sua causa, *Argentræus tit. des Iustices art.* 18. *not.* 2. *n.* 3.]

Qui

Qui possunt esse arbitri?

Non distinguitur, utrum sint ingenui, an libertini; in dignitate positi, integræ famæ, aut ignominiosi, *l.7. pr. ff. h.* utrum patresfamilias, an filiifamilias, *l.5. ff. h.* Prohibentur autem esse arbitri, servi, nisi liberi facti dixerint volentibus partibus sententiam, *d. l. 7. junct. l. 9. ff. h.* pupilli, furiosi, surdi, muti, *l.9. §.1 ff. h.* minores 20 annis, *l. 41. ff. h.* Iudices in eadem causa, *d. l. 9. §. 2.* Iure autem Canonico. *c.7. 10. x. h. c.21. x. de præbend.* & [a] ex consuetudine, solet in Iudices compromitti valide.

[a] Idem confirmat *Antonius Faber Cod. suo lib. 2. tit. 35. defin. 2. Carpzovius part. 1. Constit. 1. decis. 15.*]

Quot possunt eligi ex compromisso arbitri?

Quot voluerint partes. Convenientius autem est, ut eorum numerus sit impar, *arg. l. 17. §. 6. ff. h.* Et, si in duos sit compromissum, & inter se dissentiant, non debent cogi ad sententiam dicendam, sed eligetur tertius, cujus authoritati pareatur, *d. §. 6.* nisi ante convenerit de certo assumendo, *d. l. 17. §. 5.*

In quibus causis constituuntur arbitri?

In omnibus civilibus regulariter, sive una, sive plures sint, *l. 13. §. 1. ff. h.* Non autem in restitutionibus in integrum, *l. fin. C. ubi & apud quem cogn. in int. rest.* liberali causa, delicto famoso, publico judicio, *l. 32. §. 6. 7. ff. h.*

Quomodo eligitur arbiter?

Vel nudo pacto, vel [a] stipulatione. Solebat & olim jurejurando assumi; sed hoc correctum, *Nov. 82. c. 11. auth. decernit. C. h.*

[a] Quæritur de pœna sub qua arbitri electi, an ea sit persolvenda, antequam reductio sit finita, & laudum arbitrorum confirmatum? Id negat *Grivellus decis. Dolan. 1.* Sed huic rei temperamentum est addendum, sc. nisi in specie convenit, ut non obstante reductione pœna sit persolvenda, antequam reducens audiatur; pacto enim huic honesto & in se licito standum est. Vide *Coren Observ. 13.*]

Quid, si ita sit compromissum, ut Sejus pronunciet, quod Titio disceptatori placet?

Non valet arbitrium, quia libera arbitri sententia non est futura, *d. l.* 17. *s.* 3. *ff. h.*

Potestne arbiter cogi ad dicendam sententiam?

Sunt hujus Edicti de receptis arbitris duo membra. Vnum est, de arbitris cogendis, *l.* 3. *s.* 3. *ff. h.* Alterum est, de compromittentibus cogendis ad parendum sententiæ, *l.* 27. *s.* 2. *ff. h.*

Possuntne semper arbitri cogi?

Multis casibus non coguntur. Vti, si ab intio nullius momenti sit compromissum, vel ob personas, vel ob res, vel ob modum: vel, si sit quidem compromissum validum, sed pendeat an pœna possit exigi, vel si postea deficiat conditio, *l.* 32. *s.* 3. *ff. h.* Itaque non sunt cogendi, si sordes aut turpitudo arbitri sit manifesta, *d. l.* 9. *s.* 3. si arbitros infamaverint litigantes, *d. l.* 9. *s.* 4. si spreta authoritate arbitrorum, ad judicium vel ad alium arbitrum litigatores ierint, *d. l.* 9. *s. fin. l.* 10. *l.* 11. *D. h.* si inimicitiæ capitales inter eos & litigatores oriantur, aut si ætas, aut valetudo, quæ postea contigit, id munus iis remittat. aut occupatio negotiorum propriorum, aut profectio urgens, aut munus aliquod reip. aut si alia incommoditas post susceptum arbitrium incidat, *l.* 15. 16. *D. h.* Item, si unus ex litigantibus bonis cedat, *l.* 17. *D. h. &c.*

Quomodo possunt cogi?

Indictione mulctæ, *l.* 32. *s.* 12. *D. h.* vel aliis modis.

Si in duos compromissum sit, eritne unus, ut dicat solus sententiam, cogendus?

Nequaquam, *d. l.* 17. *s.* 2. *D. h.* licet alter sit ineptus ad arbitrium recipiendum, *l.* 7. *s.* 1. *D. h.* nisi in specie sit actum, ut vel alteruter sententia valeat, *l.* 3. *D. h.*

Quid si inter se arbitri dissentiant?

Sequi oportet plurium [a] sententiam, *l.* 27. *s.* 3. *D. h.* modo omnes fuerint præsentes, quia potuit præsentia absentis trahere reliquos in ejus sententiam, *l.* 17. *s. fin. l.* 18, *D. h.*

[a] Quid ergo, si unus ex arbitris non veniat, ut sententiam dicat? Citari potest legitimè, & si citatus non veniat,

veniat, reliqui tandem finem imponent, ne sc. sit in potestate calumniosa unius rem differre, vel arbitrium annullare; id enim receptum est Jure Canonico *per text. & gloss. in cap. ult. de arbit. in sexto. Busius in l. 17. ff. h. tit.*]

Quid, si in summa omnes dissentiant?

Convenit sequi minimam; quia in eam omnes consenserunt, & minor majori inest, *d. l. 27. §. 3. ff. h.*

Sunt ne casus, quibus arbitrorum sententia nulla est?

Sunt multi. Si ab uno, cum in plures esset compromissum, *l. 17 §. 2. ff. h.* si de aliis rebus, non absolute connexis, quam fuerat compromissum, *l. 21. §. 6. ff. h. l. 32. §. 15. ff. h.* vel post diem sit dicta sententia, *l. 1. in fin. C. h.* (nisi partium consensu prorogatus, *d. l. 21. §. 5.*) Si ad locum non honestum, vel in provincia, cum Romæ esset compromissum, adesse jusserint arbitri, *d. l. 21. §. 10. 11. ff. h.*

Quid, si alteruter litigantium non obsequatur sententiæ?

Jure Civili novissimo datur ex valida sententia arbitrorum actio [a] in factum, vel exceptio; modo sententia fuerit approbata, vel expresse, cum quis professus est sese acquiescere, vel tacite, per lapsum 10 dierum, *l. 4. §. C. h.* Licetque intra decem dies recedere; modo solvatur pœna promissa, & lis iterum de integro tractabitur. Sed hæc ita, nisi quis sordes vel gratiam arbitrorum probare voluerit. Qui enim hoc probare volet, potest uti exceptione doli adversus agentem, etiamsi decennium sit elapsum. Moribus fere obtinuit, ut, licet proprie non appelletur à sententia arbitri, *l. 1. C. h.* detur tamen intra 10 dies [b] reductio ad judicem, qui remoto compromisso est [c] ordinarius: qua factâ, suspendenda interim executio laudi, sive sententiæ arbitri, nisi aliter in specie convenerit. Habetque hæc reductio vicem ac effectum appellationis, *d. l. 32. §. 14. D. h. junct. l. 1. & t. t. ff. pend. appell. nih. innov.*

[a] Id etiam hodie viget, ut notat *Mornacius in Auth. decernit. C. h.* Hodie autem non mandatur sententia executioni, nisi ex decreto judicis: In Galliis habet

sententia arbitrorum eandem vim quam judicum, *Autumnus in pr. ff. h.* (*b*) Reductio intra 10 dies sistit hodie executionem, adeo ut nihil renovari possit, quemadmodum & fit in appellationibus, *l. unic. ff. nihil renovari appell. pend. Sande l. 1. decis. def. 4. t. 14.* & in Hollandia post 10 dies sed intra annum impetrata reductio induit naturam reformationis, nisi adversus lapsum fatalium petatur in integrum restitutio, *Merula lib. 4. tit. 4. Christinæus vol. 2. decis. 142. in fine.* ideoque post annum non datur, nisi impetretur restitutio, *Merula d. loco.* (*c*) Hoc fere ubique etiam in Zelandia receptum est, *Mynsingerus 2. obs. 61. Gail lib. 1. obs. 159. Christinæus d. decis. 42. & seqq. n. 8.* In Hollandia autem ad amputandas lites solet fieri reductio ad Curiam Provincialem, *Merula d. lib. 4. c. 5.* Sic & in Frisia solet Suprema Curia de laudo judicare *Sande lib. 1. tit. 14. defin. 2.* Ubi additur quod decem dies reducenti currant de momento in momentum, *ibid. defin. 2.*]

Quid, si quis sui non faciat copiam apud arbitros?

Incidet in (*a*) pœnam, ac si non parere vellet sententiæ, *l. 1. C. h.*

(*a*) Qui pœna adjecta promisit se obtemperaturum, ac eo modo renuntiavit reductioni, etiam admitti potest siquidem petierit restitutionem in integrum, quo casu pœna non petetur ante confirmationem, *Coren obs. 3.* atque interim non impedietur executio laudi in Hollandia, ut est in *Ampliatione Novissima Curiæ Holland. edita 24 Martii Anno 1644. art. 20.*

Potestne arbiter mutare sententiam?

Si condemnavit vel absolvit, cum arbiter esse desierit, mutare sententiam nequit, *l. 19. in fin. D. h.* nec, si erraverit. corrigere eam potest, *d. l. 19. in fin. l. 20. D. h.*

Quid, si de pluribus controversiis non communibus assumtis est arbiter, & de una sententiam dixit, de aliis nondum? an & in prima controversia potest mutare sententiam de qua dixerat?

Multum interest, de omnibus simul ut dicat sententiam compromissum sit, annon. Nam, si de omnibus, po-

potest mutare. nondum enim dixit sententiam, quia compromisso rerum omnium non satisfacit sententia lata in unam speciem. Secus, si separatim, quasi plura sint compromissa, rogatus sit dicere sententiam, *l.* 21. *pr. ff. h.*

Si non corrigere, potestne explicare?

Potest hoc expresse sibi reservare, ut, si quid dubii sit in sententia, explicet. Quinimo & tacite hoc jus ei tributum esse videtur, cum ejus sit interpretari, qui sententiam dixit, *l.* 1. *& fin. C. de legibus.*

Tit. 9. Nautæ & caupones, &c.

Quid est in edicto, Nautæ, Caupones, stabularii?

Ejus duæ sunt partes. Prima caurum est, ut, quæ nautæ, caupones, stabularii receperint salva fore, restituant, *l.* 1. *pr. ff. h.* Altera tractatur de furtis & damnit, quæ illata sunt rebus receptis ab iis, quarum opera nautæ, caupones, stabularii utuntur.

Qui sunt hic nautæ?

In hac re sunt ii, qui navem exercent; quamvis nautæ appellentur alias omnes, qui navigandæ navis causa in nave sunt. Nec enim debent per remigem aut mesonautam, sed per se, vel per navis magistrum, vel eum, cui è nautis rem eam magister commisit, obligari, *d. l.* 1. *§* 2. Adeo quidem etiam obligabuntur per custodes, quos præfecerunt ipsi, vel magister, *d. l.* 1. *§.* 3.

Qui sunt caupones & stabularii?

Qui cauponem vel stabulum exercent, & eorum institores. cæterum, qui opera mediastini, id est, vilissimi servi fungitur, non continetur, nisi ei cura sit demandata, *d. l.* 1. *§.* 5.

Quid est recipere res salvas?

Non tantum, si in navem sint missæ, licet quoque non sint assignatæ nominatim, *d. l.* 1. *§. fin.* modo scientibus exercitoribus sint immissæ: verum etiam earum, quæ in littore perierint, dum receptæ sunt, periculum ad nautas pertin[illegible]. *l.* 3. *pr. D. h.*

Quid,

Quid, si prædixerint nautæ, ut unusquisque res suas servaret?

Nullum est periculum nautarum, *l. 7. in fin. pr. D. h.*

Quas res hic intelligimus?

Quascunque, sive merces fuerint, sive aliæ; nec refert, utrum nostræ sint, an alienæ, dum tamen nostra interfit salvas esse, & nobis magis, quam quorum sunt, debent restitui, *d. l. 1. §. 6. & 7.*

Quæ culpa debet præstari?

Culpa levissima. Quia est hujus rei tanquam causa publica, *l. 3. §. 1. D. h.* non vero casus fortuitus, *d. l. 3. §. 1.*

Quorum factum præstari debet in prima parte edicti?

Non solum in navi nautarum, sed & vectorum, ut & viatorum, *l. 1. in fin. l. 2. 3. ff. h.*

Estne hæc actio perpetua?

Est, &, quia est rei persecutoria, & heredi, & in heredem datur, *d. l. 3. §. 4.*

Quid, si extra negotium, quod gerunt nautæ, caupones, stabularii, quid sit receptum?

Non dabitur actio ex hoc edicto, *d. l. 3. §. 2.* sed ex qualitate contractus, qui fuit celebratus.

Quæ actio datur ex secunda parte?

Non in simplum, ut ex prima; sed in [a] duplum: & tantum ex maleficio eorum, quorum opera exercitores sunt usi, *l. 7. pr. §. 1. & seqq. ff. h.* Est itaque pœnalis: quapropter non datur adversus hæredem, nisi qua pervenit, *d. l. 7. §. fin.* nec in ea præstatur factum vectorum vel viatorum, *l. unic. ff. furti adversus nautas, l. 6. §. 3. ff. h.*

[a] Hodie pœna dupli non est in usu.]

Quid, si nautæ sibi invicem damnum dederint?

Id non pertinet ad exercitores, nisi quis inter illos fuerit mercator, *d. l. 7. §. 2.*

Possuntne concurrere actio furti & actio ex prima parte in simplum?

Videtur quidem prima fronte id admittendum; sed magis est, ut vel officio Iudicis, vel exceptione doli, alterutra actor contentus esse debeat, *d. l. 3. §. fin.*

SE-

SECUNDA PANDECTARUM PARS.

LIBER V.

Tit. 1. De JUDICIIS. Tit. 1. Lib. 3. Cod.

Quid est Iudicium?

ACcipitur aliquando pro ipsa actione, quæ in judicium deducitur. hoc sensu dicuntur judicia finium regundorum, familiæ erciscundæ, &c. aliquando est legitima disceptatio coram Iudice de re controversa inter litigantes. quo sensu potest processus appellari.

Quomodo distinguitur?

Est 1. vel civile, quo actor agit ad commodum suum privatum tantum, hoc est, ex contractibus, nec non ex privatis delictis, quoties actor ad suam utilitatem tantum contendit: vel criminale, quo agitur ad pœnam corporalem, vel mulctam fisco applicandam, sive ex delicto ordinario, sive extraordinario, privato, sive publico. 2. Vel possessorium, quo de possessione tantum est controversia, uti in interdictis: vel petitorium, quo ad ipsam rem agitur. huc facit *l.* 37. *D. hic.* 3. Vel ordinarium sive plenum, in quo ordinarius procedendi modus observatur: vel extraordinarium, in quo solemnia processus quiescunt.

Ex quibus causis judicium summarium dicitur?

Non quod ea, quæ ex natura rei requiruntur, omitti possint; qualia sunt, [a] petitio, citatio, probatio, sententia: sed quod ordo non adeo anxie attendatur in proponendo negotio atque probando, imo quod & probationes plenissimæ non desiderentur præcise.

[a] Vide

[a] Vide *Carpsovium part.* 1. *Constitut.* 18. *decis.* 2. *n.* 4. & *part.* 2. *Constitut.* 5. *dec* 26. *n.* 3 unde autem summarium dicatur, & quid propriè sit, trādit *Gail lib.* 1. *obs.* 7. *Althusius Dicæol. lib.* 3. *c.* 54. *n.* 5. *& seqq.*]

In quibus causis habetur summarium judicium?

1. Cum personarum [a] qualitas id exigit: uti, si sit causa miserabilium personarum, incarceratorum, & similium, quibus hoc indulgendum esse æquitas suadet. 2. Cum ita convenit inter partes. 3. Cum id postulat qualitas rei controversæ: uti, si sit res parvi præjudicii; vel, si agitur de dilationibus, de cautione præstanda, de dote, de alimentis, de honorariis & mercedibus, de commissione ad examen testium in perpetuam rei memoriam, de re notoria, de exoneratione à mandato, de negotio pignorationis, aliove, quo periculum est in mora, quo metus est, ut partes ad arma procedant, ut tumultus oriatur; de utilitate publica, de crimine læsæ majestatis, de liquidatione, de executione, de restitutione ob lapsum fatalium. 4. Cum actionis qualitas id desiderat: ut in actione ad edendum, ad exhibendum, in causa diffamationis ex *L. diffamari*; in causa possessionum, interdictorum, missione in possessionem, ventris nomine, ex edicto Carboniano, & similibus. 5. Cum Princeps mandat.

[a] Vide *Althusium d. loco* & *Gail lib.* 1. *obs.* 12.]

Quæ sunt partes Judicii, cum ordinarii, tum summarii?

Quoad Iudicem; 1. Præparatio ad judicium, citatio. 2. Cognitio causæ. 3. Sententia. 4. Executio judicati. Quoad litigantes; 1. Petitio citationis. 2. Litiscontestatio. 3. Causæ disceptatio. 4. Probatio. 5. Conclusio.

Quæ personæ constituunt Judicium?

Principales: Iudex, actor, reus. Minus principales: advocati, procuratores, executores, & similes.

De

De sportulis & sumptibus in diversis judiciis faciendis, & de executoribus litium.

Tit. 2. Lib. 3. Cod.

Qui sunt executores?

Qui mandata Iudicum exequuntur, eaque litigantibus denunciant, sportulasque exigunt.

Quid sunt sportulæ?

Salaria, quæ debentur executoribus ac (a) Iudicibus, *l. fin. C. h. Nov. 82. c. 9.*

(a) Sportulæ cum hodie in specie Iudicibus solvuntur, quoties ut delegati judices sese interposuerunt, solet solvi secundum laborem, *Gudelinus lib. 5. cap. 4. Zvpæus h. tit. Christinæus volum. 2. decis. 150. Merula lib. 4. tit. 1. cap. 1. n. 2.*]

A quibus solvuntur sportulæ?

Non ab omnibus. Nam fiscus, Episcopus in causa ad Ecclesiam pertinente, tenuioris fortunæ homines, quibus jus pro Deo, ut dici adsolet, dicitur, nihil sportularum nomine solvunt, *Nov. 17. c. 3. Nov. 123. c. 28.* Personæ vero Ecclesiasticæ exiguas præstant, *d. Nov. 123, c. 28.*

DE IVDICE.

Quis est Iudex?

Qui jus habet causas litigantium cognoscendi, & de iis judicandi.

Quomodo distinguitur?

Est vel ordinarius, vel extraordinarius. Ordinarius, qui ex ordinaria potestate: Extraordinarius, qui ex alterius, publicæ, vel privatæ personæ beneficio judicat.

Quis judicat ex privatæ alterius personæ beneficio?

Qui quidem ipse habet jurisdictionem, ac potestatem judicandi, sed non in causa, de qua agitur: qualis dicitur prorogatus, cui partes se subjecerunt.

Quis ex publicæ personæ beneficio?

Qui est vel delegatus, velpedaneus.

Quis

Quis est delegatus?

Cui ad causam cognoscendam, decidendam, & exequendam, ab illo, qui potestatem habet, mandata est jurisdictio.

De pedaneis Judicibus. [a] Tit. 3. Lib. 3 Cod.

Quis est Iudex pedaneus?

Cui notio causæ & judicandi facultas sine jurisdictione est commissa, *Nov. 82. c. 1. 2. l. f. C. ubi, & apud quem* sic dictus, quod in minoribus, & subpedaneis subselliis sederet. Cum enim ipse magistratus de omnibus non posset judicare, cognitionem causarum pedaneis committere solebat, *l. 2. 5. C. h. t.*

[a] Hodie non habemus pedaneos Judices, *Christinæus volum. 2. decis. 151.* Nec existimandum est quod judices inferiores, ut Scabini in civitatibus & pagis, sint pedanei Judices, quia illi habent ordinariam suam jurisdictionem.]

Qui pro sua jurisdictione judices dare, darive possunt. Tit. 4. Lib. 3. Cod.

Qui possunt dare Iudices?

Cui id lege, moribusque conceditur, *l. 12. 5. 1. D. d. Iudic.* cuique ea de re, de qua agitur; atque inter eas personas, ad quas res ea pertinet, est jurisdictio.

Quid, si quis in negotio alienæ jurisdictionis judex sit constitutus?

Non peccat Iudex, si non obtemperet dationi. Et omnia coram ipso acta, nullius sunt momenti, adeo, ut non opus sit appellatione.

Qui possunt dari Iudices?

Qui non prohibentur. Prohibentur quidam natura: uti surdus, mutus, perpetuo furiosus, impubes, *l. 12. 5. 2. D. de judic.* Quidam lege: uti minor 18 annis, *l. 41. D. de recept. arbit.* senatu motus, *d. l. 12. 5. 2.* infamis, cæcus, (cæcus autem recte hoc munere fungi potest, si ei interim cæcitas obvenerit, *l. 6. D. de judic. junct. l. 1. 5. 5. vers. quamvis D. de postuland.*) legum imperitus, *Nov. 82.* miles, nisi in militaribus, *l. 17. C. de*

C. de jud. Quidam moribus: uti fœminæ, *d. l.* 12. §. 2. *in fin.*

De Jurisdictione omnium judicum. Tit. 13. Lib. 3. Cod.

Quomodo aliter distinguitur Judex?

Est vel competens, coram quo causa proposita potest jure tractari: vel incompetens, ad cujus notionem causa non spectat.

Quomodo competens distinguitur?

Est, vel socius, vel solitarius, vel concurrens.

Qui est solitarius?

Qui solus in causa judex est, nec admittit jurisdictionem alterius sociam vel concurrentem.

Quis est socius?

Qui potestatem judicandi habet in communi cum alio territorio.

Quis est concurrens?

Qui in eadem quidem causa, sed in separato, & alio territorio jurisdictionem, aut potestatem judicandi habet.

Quæ regulæ sunt in singulis?

In concurrentibus est locus [a] præventioni, ut is, qui prævenit, solus judicet, *l. si quis post. ff. de Iudic.* Fit autem præventio per litem contestatam in civilibus, *arg. l.* 30. *D. de jud. l. pen. D. de jurisd.* & per citationem [b] in criminalibus. In sociis, qui sunt in eodem collegio, major pars prævalet, *l.* 19. *ff. ad munic. l.* 36. *D. de re jud.* In solitariis nunquam per præventionem cuiquam præjudicari potest.

[a] *Romanus consil.* 412. *n.* 1, 2. *Gail lib.* 1. *obs.* 29. *n.* 4. Prævenisse etiam dicitur, qui fecit realem citationem illi, qui fecit verbalem, *Baldus lib.* 124. *vers. item melior*

[b] *Gail d. loco. Maranta disp.* 6. *n.* 20. *Thomas Grammat. decis.* 30. *n.* 7.]

DE FORO COMPETENTI.

Quid in genere circa competentem vel incompetentem Judicem observandum est?

Sive actio sit civilis, sive criminalis, actor sequitur forum rei, *l.* 2. *C. h.* Itaque, qui ad incompetentem Judi-

dicem est vocatus, opponet ante litem contestatam exceptionem declinatoriam qua dicat, se non teneri ad actoris intentionem respondere, propter fori incompetentiam, *arg. l. 52. ff. de Iud.*

Quibus modis dicitur Iudex vel forum competens?

Vel ex communi, vel singulari jure, sive privilegio. Ex communi, vel vi ipsius Territorii, vel ex accidenti aliquo. Ex vi territorii, vel ob domicilium personæ, vel ob situm rei.

Quomodo ob domicilium?

Ex (a) habitatione, quæ non æstimatur ex nuda contestatione, aut destinatione, nec ex maxima rerum ac fortunarum parte; sed ex re & facto, *l. 20. ff. ad municip.* ubi quis larem constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, & unde cum profectus est peregrinari videtur, *l. 7. C. de incol.* Pariter nec æstimatur ex solo tempore; nisi studiosus per 10 annos continuos in eadem civitate habitaverit, *l. 2. C. de incolis.*
(a) Vide *Mynsingerum lib. 3. observat. 37. Gail lib. 2. obs. 35, 36.*]

Potestne domicilium pro libitu mutari?

Potest alio transferri; verum lis, ubi cœpta est, finiri debet. *l. 19. ff. de Iurisd. l. 7. l. 30. ff. de Iudic.*

Cujus domicilium spectatur?

Solius [a] Rei. Debet enim actor, ut supra dictum est, sequi forum Rei, *l. 2. C. h.*
[a] Domicilium tribuit ordinarium forum, & notandum est, quod locus originis, quo sc. quis est natus, subditum quidem faciat aliquem, sed vere non dat forum ut in eo possit conveniri, si alibi domicilium habeat reus, *Gail d. observat. 36. n. 15.*]

Quid, si Reus in loco domicilii non inveniatur?

Æque ipsi erit forum competens, ubi domicilium habet, *l. 4. §. prætor ait ff. de damn. infect. c. causam. x. de dol. & contumac.*

Quomodo ob situm rei sit forum competens?

Si ibi agatur, ubi est res sita; licet is, qui conveniendus

dus est, non habeat ibi domicilium. qua de re agitur, *l. C. ubi in rem actio.*

Quomodo ex aliquo accidenti tribuitur forum?

1. Ex consensu. 2. Ex causæ continentia.

Quomodo per consensum reus sortitur forum?

Vel expressum, vel tacitum. Expressum; si se submiserit jurisdictioni, cui aliàs subditus non esset, *l. 18. ff. de jurisd. l. 1. Cod. eod.* Tacitum; 1. Ubi litem contestatur, *arg. l. 4. C. h.* Vbi contraxit. Contraxisse autem intelligitur, non ubi instrumentum est scriptum, cum alibi solvi debeat, *l. 65. ff. de judic.* sed ubi solvenda est pecunia, *l. 21. ff. de Oblig. & Act. l. 3. ff. de reb. auth. jud. poss d.* scilicet, vel [a] loco adjecto, vel si non sit adjectus, loco contractus, modo reus ibi inveniatur, *arg. l. 19. §. 1. ff. de jud. c. 1. contrahentes de for. comp. in 6.* 3. Ubi deliquit, *l. 1. C. ubi de crimin.* 4. Ubi reperitur, si incertis sedibus vagetur, si fugitivus sit, vel talis, ut de foro ejus non constet, *arg. l. 1. C. ubi quis de cur. vel cohort. l. 27. §. 1. 2. ff. ad municip.* nisi satisfecerit, se judicium passurum certo convenienti loco, *l. 31. ff. de reb. auth. jud. poss.*

[a] Id in praxi observari tradit *Gail d. obs. 36. n. 14.* Quod etiam procedit, licet se alteri judici subjecerit, *Sande lib. 1. decis. tit. 1. definit. 3.*]

Quomodo propter continentiam, vel connexitatem causæ?

1. Ex jure territorii; cum enim res una eademque actione petendæ variis locis sunt sitæ, fit, ut coram eodem, & proxime superiore Iudice possessores rerum forum accipiant, *arg. l. 1, 2. ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat.* 2. Ex consortio litis inter plures, qui communem litem habent: uti, si unus ex consortibus litis privilegium aliquod habeat, cæteri poterunt, accessorie, eodem foro privilegiato uti; vel, si in diversis (a) territoriis habitent debitores, poterunt iidem vocari ad proxime superiorem judicem, *arg. d. l. 1. 2. ff. de quib. reb. ad eund. Iud. l. 5. C. Arbit. tut.* 3. Ex jure interventionis tertii, *l. 49. ff. de judic.* 4. Ex jure reconventionis, *l. 14. & Auth. seq. C. de sent. & interlocut.* 5. Ex jure ac consequentia actionis [b]; ut i petitorium ibi est instituen-

tuendum, ubi possessorium, *l.* 10. *C. de judic.* & sæpe ibi criminalis, ubi civilis actio instituitur. 6. Ex jure ipsius rei. Ita in individuis receptum, & in accessoriis, ac consequentiis negotiorum, ut ibi exigantur, ubi de parte, à qua reliqua divelli nequeunt, vel ubi de principali re agitur vel actum est.

[*a*] Idem confirmatum est à *Mynsingero centur.* 1. *obs.* 4. & *Gail lib.* 1. *obs.* 32. [*b*] Vide *Gail lib.* 1. *observ.* 32.]

Qui dicuntur habere forum ex singulari jure, sive privilegio?

Vel, qui ibi forum habent, ubi jure communi habere non possunt: vel forum non accipiunt, ubi alias jure accipere debebant; vocaturque exemptio, vel forum privilegiatum. Contingit autem id, vel ex ratione litigantium, vel ex ratione causæ.

Quomodo ratione personarum?

Varie: sic forum privilegiatum habent, nonnulli ob dignitatem: sic pupilli, viduæ, aliique miserabiles homines: studiosi, milites, & similes.

Ubi Senatores vel clarissimi conven. Tit. 24. Lib. 3. Cod.

Quomodo personæ superiores publicæ?

Constitutum est Iure [*a*] Civili, ut, qui in clarissima dignitate sunt constituti, in civilibus sive pecuniariis causis, si in urbe vel locis suburbanis habitent, coram Præfecto Prætorio, vel Urbi; si in provinciis degant, ubi larem fovent, aut ubi majorem bonorum partem possident, & assidue versantur, recte conveniantur, *l.* 2. *C. h.* In criminalibus, nullam habeant fori prærogativam. Omnem enim ejusmodi honorem reatus excludit, *l.* 1. *C. h.* Illustres vero rei criminum, apud nullum, quam apud Principem, vel sacrum cognitorem à Principe datum, accusari possunt, *l.* 3. *C. h.* Ita tamen, ut is cognitor tantum cognoscat, & ad Principem referat, reservata ipsi Principi ultione, *d. l. fin. §.* 1.

[*a*] In Hollandia nobiles, advocati, possunt vocari ad Curiam Provincialem; ita etiam in Frisia, *Sande lib.* 1. *tit.* 1.

tit. 1. defin. 1. Merula lib. 4. tit. 2. cap. 6. & Instruct. Curiæ Holland. art. 8.]

Qui sunt Clarissimi, & qui Illustres?

Clarissimorum nomen, generaliter acceptum, tres Senatorum ordines complectitur; videlicet, Spectabiles, Illustres, & Clarissimos in specie. Hic intelliguntur clarissimi in specie, & Senatores, qui sunt infra illustres. Illustres sunt Præfecti Prætorio, Præfecti Urbi, Quæstores, Magistri militum, Magistri officiorum, Comites rerum privatarum, Comites domesticorum, Principes agentium in rebus, *d. l. f. pr. hic. l. 32. C. de appellat. l. 2. vers. fin. autem. C. de tempor. appellat. l. 6. C. ubi caus. fiscal.* & similes.

In quibus causis militantes fori præscriptione uti non possint. Tit. 24. Lib. 3. Cod.

Milites [a]non possunt conveniri coram alio, quam Magistro militum, *l. 6. C. de jurisd. omn. iudic.* sive causa sit civilis, sive criminalis. nisi pro functionibus, debitisque publicis in judicium vocentur, *l. unic. pr. C. hic.* nisi privatas negotiationes exerceant sine commeatu, hoc est, literis, quibus licentia, ut ad tempus absint, conceditur, *l. un. C. h.* nisi non militare, sed commune delictum commiserint, *l. fin. D. de accusat. l. 4. §. 5. & 6. D. de re milit.* Sed hodie receptum, ut ad magistrum militum remittantur, etiam communiter delinquentes.

[a]In Hollandia etiam in civilibus causis possunt vocari ad Curiam, secundum *placitum Ordinum Hollandiæ editum 29 Aprilis Anno 1589. Merula lib. 4. tit. 40. cap. 3. n. 5.* In criminalibus si apprehensi sint ex mandato Curiæ, etiam Curiam habent Iudicem, ut est in *Instruct. Curiæ Holland. art. 19. in fine.* idem & in Frisia in criminalibus procedit, *Sande lib. 1. tit. def. 4.*]

Quando Imperator inter pupillos, &c. Tit 14. Lib. 3. Cod.

Habentne & privati speciale in hac causa privilegium?

Datum est [a] pupillis, viduis, diuturno morbo fatigatis,

tigatis, debilibus, jus ad supremum Tribunal, adeoque ipsus Principis, alios vocandi. Non autem vocari possunt, *l. un. C. hic.* nisi speciali ex causa subjiciantur supremo Iudici.

[*a*] Idem est receptum in Curia Hollandiæ, & per totum Belgium, *Instruct. Curiæ Holl. art.* 8. *Christin. vol. vol.* 2. *decis.* 166. *n.* 2. In Camera autem Imperiali tunc hoc privilegium conceditur, cum de denegata justitia conqueruntur miserabiles, *Gail lib.* 1. *observ.* 1. *n.* 40. Interim in Hollandia in causis parvi momenti 100 florenorum & infra in urbibus, & 50 in pagis, cessat hoc privilegium, ut est in *Ordinationibus van kleyne zaaken art,* 2]

Ad & idem privilegium referetur ad minores, viduas, divites, vel cœlibes fœminas?

Non est dubitandum: minores enim recte inter miserabiles referuntur, *l.* 1. *D. de min.* nec distinguitur inter viduas divites vel pauperes, *d. l. un. hic.* & nomine [*a*] viduæ etiam venit virgo quæ virum non habuit, *l.* 242. *s. viduam. de Verb. Signif.*

[*a*] Vide *Sande lib.* 1. *defin.* 2. & *Merulam lib.* 4. *tit.* 2. *c.* 9. *n.* 7.]

Habentne idem hoc privilegium omnes pauperes?

Habent, uti patet ex verbis, *d. l. unic. aliique fortunæ injuria miserabiles.* Quæ cum sint generalia, non tantum ad morbo fatigatos, & debiles; sed generaliter ad omnes, qui ex adversitate aliqua commiseratione merentur. Beneficia enim Principis, si ratio eorum admittat, generaliter sunt accipienda, *l.* 3. *D. de const. princip.*

Quos accipere oportet propauperibus?

Non simpliciter illos, qui 50 aureos in bonis non habent, *arg. l.* 10. *D. de accusat.* vel centum, *arg. s.* 3. *Inst. de succes. libert.* sed eorum definitio relinquenda est Iudicis arbitrio.

Quid, si personæ hæ privilegiatæ contra privilegiatas agant?

Non erit privilegio locus. Est enim recepti juris, quod privilegiatus contra privilegiatum non utatur suo

suo (a) jure. *arg. l. 11. §. pen. D. de minor. l. 8. D. de excusat. tut.* nisi unius privilegium sit urgentius alterius.

(a) *Sande lib. 1. tit. 1. defin. 2 Faber h. tit. Covar. pract. Q. cap. 7. n. 4.*]

Quid, si lis coram ordinario Judice sit contestata?

Æque evocationem (a) concedi, est verius. Ordinarium quidem est, quod, ubi lis cœpta est, ibi debeat finiri. *l. 30. D. de judic.* sed id non procedit in extraordinario privilegio, quale hoc est; & quidem magis, cum textus generaliter loquatur. Accedit, quod jurisdictio Principis cum omnium jurisdictione concurrat, & quod ratio. *d. l. un.* hoc casu sit eadem, cum ea, qua agitur de lite primum instituenda. Potest quippe tam formidari potentia adversarii, processu pendente, quam cum primum moveri incipit.

(a) Quomodo fiant evocationes causarum ad petitionem personarum miserabilium explicat *Gail. lib. 1. obs. 41.*]

Atqui sic sumtibus inanibus vexarentur adversarii.

Evocanda est causa prout jam cœpta est, &, si quid mutetur cum adversarii jactura, ea resarcienda est, *l. 79. ff. de judic. arg. l. 4. C. de emancipat.* vel, si judicanti ita videbitur (uti, si non magnopere interfit adversarii, vel evocationi aliquam adversarius causam dederit) suspendenda est quæstio de sumptibus ad finem processus.

Quid, si miserabiles personæ vel meruerint à tertio, vel dederint aliis cessionem?

Si obtinuerint (a) cessionem, hoc privilegio frui debent, cum non distinguatur *in d. l. unic.* nisi in fraudem cessio sit facta. Sin autem actionibus cesserint, cessionarii agentes utili actione communi utentur, (quia cessio id, quod rei est, tantum transfert, non quod personæ adhæret) secus, si directam instituant vivis cedentibus.

(a) Contrarium est in *Instruct. Curiæ Holl. art. 5.* nisi forte agant ut hæredes.]

Habentne & Personæ Ecclesiasticæ singulare forum?

Jure Civili, & Canonico, peculiare iis datum fuit fo-

rum, *l.* 25 33 *C. de Episc. & Cler. l.* 13. *&.* 29. *C. de episcop. aud. c.* 1. *x. de for. compet.*

DE PRIVILEGIO STVDIOSORVM.

Quod privilegium Studiosi habent?

Forum [a] sortiuntur coram Episcopo loci, ubi vivunt, vel coram suo præceptore, *Auth. habita. C. ne filius pro patre.* vel coram Principe, *arg. l. unic. Cod. Quand. Imp.* Quod & in nunciis eorum recipiendum est, *d. auth. hab.*

[a] Quinimo in Academia Lugdunensi studiosi possunt civem Urbis Leidæ ad Judicem Academiæ vocare, ut est in Statuto Academiæ, & notat singulariter *Merula lib.* 4. *tit.* 40. *cap.* 3 *n.* 6.]

Possuntne omnes privilegiati foro suo renunciare?

Possunt, quà privata causa spectatur: & renunciantes possunt obligari, non, quà publicum jus negligitur, vel quid fit, ex quo metui vel præsumi possit malum, *arg. l. pen. C. de pact. junct. l.* 38. *ff. eod. l.* 27. *ff. de reg. jur. l.* 26. *ff. de Verb. Oblig.*

DE FORO VXORVM.

Vbinam uxores conveniri debent?

In foro maritorum, sive privilegium mariti habeant, sive non, *l.* 9. *C. de incol.*

Ubi quis de Curial. vel Cohort. &c. Tit. 23. Lib. 3. Cod.

Vbi de Curiali, vel Cohortali, vel alia conditione conveniuntur?

Vbi ad suæ conditionis subjectionem vocantur, nisi fugerint. Tunc enim possunt capi, & sortiuntur judicem ejus loci, ubi comprehensi sunt, qui eos, re examinata, convictos rerum probatione, restituit societati eorum, à quibus fugerunt, *l.* 1. 2. *C. h.*

Qui sunt de Cohortali, vel Curiali conditione?

Curiales sunt, qui Ordini Decurionum adscripti, munera municipalia obeunt. Cohortales, apparitores Præsidum perpetui, & adscripti cohorti, quæ Præsidum jussa exequitur.

Quo-

Quomodo ratione causæ tribuitur forum?

Cum certi Magistratus certis causis sunt præfecti. Hoc modo causa Ecclesiastica, quoad religionem, & cultum Dei, coram Iudice Ecclesiastico: militaris coram militari: secularis coram seculari tractanda est.

Ubi causæ Fiscales, &c. Tit. 26. Lib. 3. Cod.

Vbi agitur de causis fiscalibus, vel divinæ domus, hominumque ejus?

De Fiscalibus (*a*) pecuniariis, sive ex contractu, sive ex delatione ad fiscum pertineant, disceptatur apud Cæsaris Procuratorem, vel ejus rationalem, *l.* 1. 2. 5. *C. h.* De criminalibus, apud Præsidem provinciæ, *d. l.* 1. vel Procuratorem, cum fungitur vice Præsidis, *l.* 3. *C. h.* De causis vero divinæ domus, hoc est, privati patrimonii Principis hominumque ejus, apud Comitem rerum privatarum, vel rationalem, *l.* 7. *l. pen. C. h.* In criminalibus (*b*) apud Præsidem provinciæ, adhibito Procuratore, vel rationali privatæ rei, *l.* 8, 9, 10. *C. h.* Imo & placuit, ut tam in civilibus quam criminalibus, coloni, inquilini, & servi dominici, sive agant, sive conveniantur, non alium habeant Iudicem, quam præpositum sacro cubiculo, & comitem domorum, *l. fin. C. h.*

(*a*) In Germania causæ fiscales pertinent ordinarie ad Cameram, *Gail lib* 1. *obs.* 1. *n.* 25. *& cod. lib. obs.* 20. In Hollandia ad Curiam Provincialem, secundum *Instruct. Curiæ Holl. art.* 8. *Merul. lib.* 4. *tit.* 2. *c.* 2. quod ita est accipiendum, ut prius audiantur Rationales sive præfecti rationum Publicarum. (*b*) Hodie in loco delicti tunc tantum conveniuntur, si ibi reperiantur vel transmittantur; *Gail lib.* 2. *obs.* 36 *n.* 14. *Christin. volum.* 2. *decis.* 164. *n.* 1. *Antumn. in l.* 19. *§. ult. ff. de judic.*]

Ubi de Criminibus agi oporteat. Tit. 15. Lib. 3. Cod.

Ubi oportet agi adversus delinquentes de Criminibus?

1. Ubi deliquerunt, vel delictum inchoarunt. *l.* 1. *C.h.* quia convenit ibi esse supplicii, ubi est delicti exemplum. *arg. l.* 28. *§ pen. D. de pœnis.* & quia facilior probatio haberi potest, ubi delictum est perpetratum. *arg. l.* 2. *C. ubi de ratiocin.* 2. Ubi domicilium (*a*) habent; quod forum generaliter tribuitur. 3. Ubi reperiuntur. *d.l.* 1. *& 2. C.h. Novell.* 69. *c.* 1. *& auth. qua in provincia. C.h.* Nec ullum privilegium fori allegare possunt: Reatus enim criminis omne privilegium excludit. *l.* 1. *C. ubi Senator.*

(*a*) Licet etiam alibi commissa sunt delicta, *Sande lib.* 1. *tit.* 1. *definit.* 6.]

Quid, si Iudex, sub quo delictum est commissum, desideret sibi remitti delinquentem à Iudice sub quo repertus est?

Etsi quidem consuetudinibus multorum locorum aliter observetur: tamen in atrocioribus, ad terrorem ejusdem loci hominum, præstat facinorosum remitti. *l.* 7. 11. *ff. de custod. reor. l.* 3. *ff. de re milit. l.* 28. *§* 15. *ff. de pœnis. Nov.* 134. *c.* 5.

Quid, si concurrant, Iudex domicilii, & is, sub quo delinquens repertus est?

Prœventioni erit locus. *arg. l.* 30. *ff. de Iudic.* Nec enim Iudex domicilii aliquam videtur habere prærogativam.

An & in contractibus necessario facienda est remissio?

Nequaquam. *l.* 2. *§. omnes* 4. *ff. de judic. c.* 1. *§. contrahentes. de for. compet. in* 6. Nisi ex speciali privilegio. *c.* 1. *de privileg. in* 6.

Ubi de possessione, &c. Tit. 16. Lib. 3. Codic.

Si per vim quis sit dejectus de possessione rei, ubi agendum?

Si de vi quæratur, ubi vim quis passus est, vel ubi domicilium habet reus. *l. un. C.h.* vel ubi reperitur. *l.* 1. *C. ubi*

C. ubi de Crimin. si de (*a*) possessione, sive vi quis sit dejectus sive non, proponendum est interdictum, ubi possessio sive res est. *d. l. un.*

(*a*) Iure Hollandiæ vel coram loci, in quo est possessessio, Iudice, vel in Curia suprema, ut patet ex *art.* 19. *instruct. Cur. supr.* vel coram Provinciali Curia, ut est in *instruct. Cur. Holland. art.* 8, 39, 40 *Merula lib.* 4. *tit.* 2. *c.* 11.]

Ubi Fideicommissum peti oporteat. Tit. 17. Lib. 3. Cod.

Ubi debet agi de Fideicommisso?

Fideicommissum (*a*) singulare ibi petendum est, vel ubi res est. *l.* 38. *D. de judic. l.* 3. *C. ubi in rem actio.* quia Fideicommissarius singularis habet in rem actionem. *l.* 1. *C. comm. de legat.* vel ubi domicilium habet hæres, quando personali actione is convenitur. *arg. l.* 19. *§.* 1. *D. de Iudic.* Fideicommissum vero universale, cum actione in rem agitur, petendum est, ubi hæreditas est relicta. *l. un. C. h.* vel pars ejus major. *l.* 50. *D. de Iudic.* vel ubi fiduciarius domicilium habet, cum personalis actio instituitur: hoc observato, ut ibi præstetur, ubi testator præstari voluit. *l.* 47. 108. *D. de legat.* 1 *l.* 50. *add. l.* 38. *de Iudic.*

(*a*) Hodie potest fideicommissum ibi peti, ubi res est, aut si hæres ibi inveniatur, & solet ut plurimum arrestum injici ad jurisdictionem fundandam.]

Ubi debet fideicommissarius ab hæreditariis creditoribus conveniri?

In loco domicilii sui, non autem ubi domicilium est fiduciarii, *l.* 66. *§. pen. & fin. D. ad SC. Trebell.*

Ubi conveniatur, qui certo loco dare promisit. Tit. 18. Lib. 3. Cod.

Ubi convenitur, qui certo loco se daturum promisit?

Directa actione, non ibi, ubi est celebratus contractus; sed, ubi solutio facienda est. *l.* 19. *§.* 1. *& seqq. ff. de judic. junct. l. contraxisse. ff. de oblig. & act.* Actione autem arbitraria, si loco adjecto debitor non solverit, loco quovis alio idoneo. *l. un. C. h.* facta commemo-

ratione ejus loci, quo solvi convenerat. & tunc æstimatur, quanti alterutrius interfuerit loco adjecto non solvi, *d. l. un. C. h. l. 2. l. f. D. de eo quod cert. loc.*

Ubi in rem actio exerceri debeat. Tit. 19. Lib. 3. Cod.

Ubinam actio in rem moveri debet?

Vel in loco domicilii [a] possessoris: est enim locus domicilii semper forum competens. Vel ubi res est sita, *l. 3. C. h.* Nec distinguitur, utrum sit res mobilis vel immobilis, *l. 1. & d. l. 3. C. h.*

[a] Venditor si defensurus sit emptorem, debet eum defendere in loco litis, *l. 40. D. de rei vind.* quod confirmatum est *art. 117. Instruct. Cur. Holl.* & ipse si non velit defendere, cum res est evicta, conveniendus est in suo foro ubi res est evicta, *Sande lib. 1. tit. 1. def. 5.*]

Quid, si ipse possessor alium suo nomine habeat in possessione?

Is, qui in possessione est, ubi conventus fuerit, verum possessorem nominabit; & intra certum temporis spatium, per Judicem definiendum, denuntiabitur possessori, ut veniat ad defendendum, & ipse actionem excipiat, *l. 2. C. h.*

Quid, si verus possessor facta denuntiatione non compareat?

Interrumpetur ex eo die, quo possessor sive detentor vocatus est, præscriptio, tanquam lis esset contestata, & Judex edictis legitimis propositis reum citabit, negotioque summatim discusso, actorem in possessionem rei immittet, omni allegatione absenti, vero sc. possessori, de principali quæstione salva, *d. l. 2. C. h.*

Ubi de hæreditate agi oporteat. Tit. 20. Lib. 3. Cod.

Ubi de hæreditate agendum, vel ubi hæredes scripti in possessionem mittendi sunt?

Possessorium hæreditatis judicium proponitur, ubi hereditas est, ac res hereditariæ [a] sitæ sunt, *l. un. C. h. l. un.*

h. l. un. C. ubi de poss. ff. Petitorium, ubi omnis actio in rem, *d. l. 3. C. ubi in rem. act.*

[a] Hodie solent res hæreditariæ includi arresto, eo loci ubi sunt, ab eo qui hæreditatem petit, ut ita jurisdictionem fundet, *Christin. vol. 2. decis. 165. n. 20. Peckius de I. Sist. cap 2. n. 5*]

Ubi de ratiociniis tam publicis quam privatis. Tit. 21. Lib. 3. Cod.

Ubinam de ratiociniis agendum?

Actiones de rationibus [a] reddendis movendæ, ubi quis administravit: sive administratio fuerit publica, sive privata, *l. 1. C. h.* quia instructio ac probatio ibi est facilior, *l 2. inf. C. hic.* Quinimo & in loco [b] domicilii quis ob eam causam conveniri potest, *arg. l. 19. & seq. de jud.*

[a] Moribus Hollandiæ potest tutor vocari ad supremam Curiam, ut coram inferiore Iudice rationes reddat, *Merula lib. 4. tit. 2. c. 9. Zypæus de Iurisdict. vers. sed et.* [b] Vide *Christin. d. vol. 2. decis. 166. n. 7.*]

Ubi causa [a] status agi debeat. Tit. 22.

Ubi causa status movenda?

Ubi reus habet domicilium: sive fuerit reus in quasi possessione servitutis, sive libertatis, vel alterius status, *l. 3. 4. f. C. h.*

[a] Hic tit. exolevit, quia hodie nulli sunt servi.]

Ne quis in sua causa judicet. Tit. 5. Lib. 3. Cod.

Potestne quis Iudex esse in propria causa?

Nec esse Iudex, nec sibi [a] jus dicere quis potest, *l. un. C. h. l. 10. D. de jurisd.*

[a] Illi qui superiorem non agnoscunt, possunt esse judices in sua causa *arg. eorum quæ tradunt DD.* & præcipue *Bartolus h. tit. Rolandus à valle vol. 1. consil. 29. n. 21.* Solent tamen se subjicere ordinario judici, ut patet ex *Instruct. Curiæ art. 6, 8.* In Germania principes Imperii tenentur comparere coram Camera, nisi probent se habere singulare privilegium contra-

rium, *Mynsing. cent. 5. obs. 1. Gail lib. 1. obs. 1. n. 18.* Ita Rex Galliarum se subjicit Paralamentis, ut notat *Papon. 4. notariatus.*]

An nec quis in suorum causis?

Potest filius patri esse judex, *l. 77. D. de judic.* vel etiam arbiter, *l. quin etiam 6. D. de recept. arbit.* quà & quia res consensu geritur, *l. 2. pr. & §. 1. l. 47. D. de jud. l. ex consensu. D. de appell.* non aliter.

Qui legitimam personam standi in judicio habeant. Tit. 6. Lib. 3. Cod.

Cum supra dictum sit, personas judicii & litigantium constituere principaliter judicium, & de Judice hucusque sit actum: qui sunt ergo litigantes?

Actores & rei, qui legitimam personam standi in judicio habent.

Qui habent legitimam personam standi in judicio?

Regulariter omnes. Excipiuntur autem aliqui ob statum. ita servi, nisi agatur de re atrocissima, *l. 53. D. de judic.* ita filiusfamilias non agit, nisi ex justa causa, ut, si pater absit, si injuriam, furtum, vel damnum injuria sit ipse passus, si legationis vel studiorum causa abfuerit, vel alia sit similis, *l. 18. D. de jud. l. 8. D. de procur. l. 17. D. de reb. cred.* Aliqui ob ætatem: ita impuberes & minores, *l. 1. & 2. C. h.* siquidem tutorum authoritas, vel curatorum consensus non accesserit, adeo ut sententia in illorum causis contra ipsos lata, sit ipso jure nulla, *l. 1. 2. C. h. l. 4. si adversus rem judic.* Interim vero minores actionem momentaneæ possessionis recte movent, quia non patitur moram, & celeriter est expedienda, *l. 3. C. de interd.* Sic etiam suo nomine experiri possunt, si veniam [a] ætatis impetraverint. Aliqui ob pœnam: uti deportati, iique, quibus postulationibus omnibus est interdictum.

[a] Hisce qui legitimam personam standi non habent, possunt annumerari fœminæ moribus nostris, nisi mariti ipsis adsistant, *Gudelin. lib. 1. cap. 7. vers. certe. Christin. vol. 2. decis. 153. n. 3. Mornac. in l. fin. C. h.*

C. h. Minor autem qui impetravit veniam ætatis, vix de immobilibus personam standi habet, *Christin. d. decis. n.* 4. & *Mornac. d. loco.*]

DE ACTORE.

Quis est actor?

Qui prior ad judicium provocavit, &, si in duplicibus litigantes simul provocaverint, forte est dirimendum, ut sciatur, uter actor vel reus fuerit, *l.* 12. 14. *ff. de judiciis.*

Ut nemo invitus agere. Lib. 3. Cod. Tit. 7.

Potestne quis invitus cogi ad agendum?

Nequaquam: Imo nec accusare quis cogitur, *l. un. C. h.* nisi agatur [*a*] ex *l. diffamari.*

[*a*] Imo & addi potest nisi agatur ratione officii, *Christin. d. decis.* 153. *n.* 9, 10.]

Potestne quis cogi, ut institutam actionem ad finem perducat?

Potest: quia per litiscontestationem quasi judicio contrahitur de sententia expectanda, *l.* 3. *§.* 11. *ff. de pecul.* Sed hoc procedit, nisi malit liti vel instantiæ renunciare; id enim ordinario permissum est.

Quid, si quis liti aut instantiæ renunciet?

Siquidem ob causam novam, post emergentem, de qua ante constare non potuit, quia justam litigandi causam habuit, non tantum valide renunciat, sed & nullæ litis expensæ ipsi imputabuntur, *arg. l.* 10. *in fin. ff. de judic. l.* 15. *ff. de jur. fisc. l.* 2. *C. de abol.* Sin autem temere litem moverit, recte quidem renunciat, verum litis sumtus solvet, *l.* 79. *pr. ff. de Judic.*

De consortibus ejusdem litis. Tit. 40. Lib. 2. Cod.

Quid: si ejusdem litis sint varii consortes?

Possunt singuli pro sua [*a*] parte, vel unus, lite ante ordinata, reliquorum nomine & in solidum agere & defendere: verum, si agat unus, necessario cavebit de rato; si vero defendat, de judicato solvendo, *l.* 2. *C. h.* Sumptus autem à reliquis recte petet actione negotiorum

tiorum gestorum, *arg. l. 40. ff. de negot. gest. junct. l. 31. §. 3. & 7. ff. eod.*

(a) Plures debitores in prima instantia ad Curiam Provincialem possunt vocari, *Mynsing. 1. obs. 4.* sed plures creditores si non sunt correi, non agunt coram Curia, nisi vel ratione personarum vel alia ad Curiam pertineant.

Quid, si aliqui ex consortibus litem deserant?

Portio ea accrescet agentibus, *arg. l. 7. ff. fam. ercisc.* nisi ex pacto cum adversario id fuerit factum.

DE REO.

Quis est reus?

Qui convenitur, sive actione pulsatur: qui & fugiens dici solet.

Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, &c. Tit. 12. Lib. 4. Cod.

Potestne uxor pro marito, maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniri?

Non (a) potest, *l. 1. l. f. C. hic.*

(a) Hodie apud nos potest uxor ejusve hæres conveniri pro portione dimidia, non tantum ex contractu mariti, verum etiam ex prodigalitate, *Gomezius ad l. 53. Tauri n. 33. vers. ex quibus. Peckius de test. Conjug. lib. 2. c. 8. Sande lib. 2. tit. 5. defin. 8. lit. b. Goris de Societ. Conjug. c. 4. 11. 12.* id a. non trahendum est ad mulctas ex delictis gravioribus, *Sande d. definit. 8. lit. b. Goris d. cap. 4. n. 8. Herbajus lib. sing. c. 13. §. 15.* sic si mariti bona confiscentur, salva est dimidia portio bonorum uxoris, *Christin. ad LL. Mechl. art. 2. n. 12. Gail lib. 2. obs. 86. n. 14.* Imo ubi non est communio bonorum inter conjuges, sed ea est exclusa, poterit uxor pro dimidia parte conveniri in iis, quæ in familiæ sustentationem sunt conversa; ita judicatum est à Curia Hollandiæ 6 *Novemb. Anno* 1603. In specie & hoc notandum, quod commodum ex opera sit commune, quod uxor sine mariti consensu non possit contrahere, *Christin. ad ll. Mechlin. art. 4. tit. 9. Neostad. de pact. antenupt. obs. 18. Sande lib. 2. tit. 4. definit. 3. Gude-*

3. *Gudelin. lib.* 1. *c.* 7. ac ubi non est communio bonorum, non tenetur uxor ex fide jussione mariti, *Saude lib.* 2. *tit* 5. *definit.* 8.]

Quid, si maritus deliquerit, vel administrationem publicam habuerit?

Æque uxor dotem non amittet, *l.* 2. *C. h.* Imo nec obligatur patrimonium uxoris ob administrationem mariti, *vid. l.* 3. *C. h.* Certum quidem est, quod fructus rei dotalis, constante matrimonio, pignori capi possint, *l.* 9. *D. de Muner.* sed hoc non contrariatur, cum fructus sint mariti.

Ne filius pro patre. Tit. 13. Lib. 4. Codic.

Potestne filius pro patre, vel pater pro filio convenri?

Non potest filius pro patre conveniri (licet pater contraxerit debitum ob alimenta filii, *arg. l.* 13. *C. si pet.*) sive sit debitum ex causa publica, sive privata, *l.* 2. *&.* 4. *C. h.* Nisi quatenus filius successit patri, *l.* 14. *de rei vind.* vel nisi pater administraverit causam primipilarem, *l. f. C. de primipil.* Pariter nec pater pro filio (*a*) emancipato convenitur. Imo conventus, si per errorem solverit, repetere potest, *l.* 1. *C. h.*

(*a*) Ad alendum partum filii pater non potest nostris moribus cogi, *Christin. vol.* 4. *dec.* 117. Quod in Sabaudia aliter obtinet, ut docet *Faber lib.* 4. *C. tit.* 9. *n.* 4. verum hoc ei imputatur in legitimam,

DE REPRESSALIIS.

Quomodo ergo repressaliæ sunt permissæ, si nunquam liceat aliquem pro alio convenire?

Non (*a*) facile, cum belli speciem habeant, conceduntur: sed tunc demum, quando concurrunt (*b*) sequentia. 1. Cum justa est causa. sc. cum in quæstione magni momenti requisitus Iudex justitiã administrare recusavit. 2. Cum is, cui justitia denegata est, suo magistratui probavit liquido damnum, quod passus est, ac simul denegationem justitiæ. 3. Cum magistratus læsi monuit literis vel legatione alterum magistratum, de quo querela est delata, ut is compellat da-

mnum reſarciri læſo, niſi velit adverſus ſe repreſſalias concedi. 4 Cum magiſtratus læſi adhibuit conſensum ſupremi magiſtratus, qui populum repreſentat, vel alias ipſus populi: ante enim permitti non poſſunt. [a] Principi in Imperio Romano non licet contra Germanos repreſſalias concedere, quandoquidem Imperatorem habent & Cameram Imperialem, *Carpſov. part. 4. conſtit. elect. c. 16. defin. 4.* [b] De hiſce cauſis eleganter *Menochius. de Arbit. Iud. caſu 527. Colerus de proceſſ. execut. part. 1. c. 2. n. 253. & ſeqq. Mynſing. 6. obſ. 1.* Vide & *Gail de Pignorat.*

Quid ſunt repreſſaliæ, & quomodo diſtinguuntur à pignorationibus?

Repreſſaliæ fiunt ex authoritate Principis, ob juſtitiam denegatam. Pignorationes ſine authoritate Principis, ob turbatam juriſdictionem vel poſſeſſionem. Repreſſaliæ ſuo modo ſunt permiſſæ. *arg. Auth. habita C. ne fil. pro patre.* Pignorationes vero in totum prohibitæ, *Nov. 52. cap. 1.*

Annon aliqui repreſſaliis eximuntur?

In ſpecie id tributum eſt ſtodioſis, publiciſque Profeſſoribus omnium artium & facultatum, eorumque nunciis, *d. Auth. habita.*

An ſervus ex ſuo facto poſt manumiſſionem teneatur. Tit. 14. Lib. 4. Cod.

Teneturne poſt manumiſſionem ſervus ex ſuo facto?

Nequaquam ex contractu, *l. 1. & 2. C. h.* ſed recte ex delicto, *l. 4. C. h.*

Quando fiſcus, vel privatus, debitoris ſui debitores convenire poſſit. Tit. 15. Lib. 4. Cod.

Poteſtne debitor debitoris à creditore conveniri?

A privato tantum poteſt duobus caſibus. 1. Si debitor condemnatus nihil habeat in bonis præter nomina, *l. 2. C. h.* 2. Si nomina in ſolutum ſint data, *l. f. C. h.* vel ceſſa, *d. l. fin.* vel [a] oppignorata, *l. 4. C. quæ res pign.* Fiſcus vero recte convenit debitorem debitoris, modo debitor non ſit ſolvendo, & ſuum debitum agnoſcat, *l. 3. & 4. C. h.*

[a] Actio quæ ex jure iſtius pignoris intentanda eſt, eſt

est tantum utilis non directa, *Sande. lib. 3. tit. 12. definit. 24. & seqq. Argentræus ad consuetud. Britann. art. 126.*

Ut actiones ab hæredibus. &c. Tit. 11. Lib. 4.

Possuntne actiones ab hæredibus & contra hæredes incipere?

Possunt hodie, *l. unic. C. h. t.*

De hæreditariis actionibus. Tit. 16. Lib. 4. Cod.

Quomodo conveniendi sunt hæredes?

Si personales sint actiones, pro rata hæreditatis parte, non habita ratione emolumenti, *l. 2. C. h. l. 1. C. si cert. petat.* sc. qua sunt rei persecutoriæ, & res, sive obligatio divisionem patitur, *l. 2. §. 1. & seqq. ff. de Verb. Oblig.* Reales vero dantur adversus hæredes qua possident, adeo ut & unus in solidum, si possideat, conveniri possit, *l. 2 C. h.*

Ex delictis defunctorum in quantum hæredes conveniantur. Tit. 17. Lib. 4. Cod.

In quantum tenentur hæredes ex delictis defunctorum?

Non solent actiones ex delictis dari adversus hæredes, nisi quid ad eos pervenerit, *l. un. C. h. l. 5. ff. de calum.* vel nisi lis fuerit cum defuncto contestata. hoc enim casu ad pœnam pecuniariam ex delicto [a] in solidum tenentur hæredes, *l. 87. & 139. D. de Reg. Iur.* illo tantum, quatenus pervenit, *d. l. unic.*

[a] Jure Canonico datur actio in solidum etiam ex delicto, licet ad hæredes nihil pervenerit, & litiscontestatio non sit facta, *c. 5. extra de rapt.* quod receptum esse in Gallia docet *Papon 4. tit. 11. arrest. 4. Autumnus h.* quod non est iniquum si vires patrimonii hoc ferre possint, Vide *Christin. vol. 3. dec. 22. n. 3.*]

Quid juris, si judicio publico agatur?

Si ad pœnam corporalem instituatur accusatio, post mortem ea nec institui, nec peragi poterit ante instituta. Si ad pœnam pecuniariam, secus est. vid. & confer *l. 20. D. de accusat. l. 2. D. ad L. Iul. repet. l. fin. D. ad L. Iul. peculat.*

Quid.

Quid, si defunctus dolose in contractu versatus fuerit?

Siquidem instituatur actio ex contractu persecutoria rei tantum, hæres in solidum tenetur, *l.* 12. 49. *D. de obl. & act. l.* 7. *s. datur. D. depos. l.* 152. *s. f. l.* 157. *s. f. D. de Reg. Iur. l.* 17. *C. de negot. gest. l.* 1. *C. de hered. tut.* Si ob dolum ad pœnam agatur, non in solidum, sed in quantum pervenit, *s.* 1. *Inst. de perpet. & temp. act.* vel in solidum, si lis sit contestata, *d. s.* 1. *l.* 26. *& seq. D. de dolo malo.*

De formulis & impetrat. act. sublatis. Tit. 58. Lib. 2. Cod.

Suntne hodie formulæ & impetrationes actionum observandæ?

Nullatenus, *l.* 1. *& 2. C. h.* ne videantur leges magis verbis, quam rebus esse impositæ, *l.* 2. *in f. Cod. Comm. de legat.*

Licetne ergo confuse litigare?

Quamvis formulæ quoad aucupationes syllabarum sint amputatæ, *l.* 1. *C. h.* tamen desideratur, ut non aliter actio instituatur, quam eo modo, qui conveniat rei & proposito negotio, *l.* 2. *C. h.*

De Litiscontestatione. Tit. 9. Lib. 3. Cod.

Cum de personis judicium constituentibus hactenus sit dictum, dic, quo actu judicium inchoetur?

Litis contestatione. (a) Quæ nihil aliud est, quam controversiæ facta ab actore narratio, & ad eam rei contradictio, *l. un. C. h. l.* 14. *s.* 1. *C. de judic.* Hæc omnino est necessaria, adeo ut omissa sententiam reddat ipso jure nullam, *arg. l.* 1. *C. h.*

(a) Etsi quidem litiscontestatione judicium ipsum rectè inchoatum dicitur, tamen ut lis dicatur pendere, videtur J. Canonico sufficere citatio legitimè facta, & quæ habet veram causæ expressionem, *clement. final. ut lite pendente &c.*, & id plerisque in locis solet observari.]

Quomodo distinguitur?

Distinguunt eam nonnulli in affirmativam & negativam. sed re vera tantum est negativa; semper enim

enim contradictio desideratur, *d. l. un. & l.* 14. *§.* 1. *l.* 73. *D. de procurat.*

Quomodo sit legitime litiscontestatio?

Siquidem narrationem litis præcedentem contradictio subsequatur, quæ certa sit Nec necesse est, ut in continenti subsequatur: sufficit enim, & eam fieri ex intervallo, *arg. d. l. un. & d. l.* 14.

Qui sunt effectus litiscontestationis?

Varii. 1. Actionem temporalem perpetuat, *l.* 139. *ff. de Reg. Iur. l.* 9. *§.* 3. *ff. de jurejur.* 2. Efficit, ut actio, quæ morte alias extingueretur, etiam adversus hæredem competat, *l.* 87. *de Reg. Iur.* 3. Interrumpit usucapionem: Ex bonæ fidei possessore, malæ fidei facit, *l.* 10. *Cod. de acq. poss. l.* 7. *C. de præscript.* 30 *annor. l.* 22. *C. de rei vind.* 4 Inducit novationem, *l.* 29. *junct. l.* 11. *§.* 1. *ff. de novat.* 5. Facit rem litigiosam in actionibus personalibus, *arg. l.* 2. *C. de litig.* uti citatio in realibus, *Nov.* 112. *c.* 1. 6. Transfert periculum rei in adversarium, maxime, si prædo sit, & justam contradicendi causam non habeat, *l.* 40. *ff. de petit. hæred.* 7. Parit usuras tam in stricti juris, quam bonæ fidei judiciis, *l.* 35. *ff. de usur. junct. l.* 32. *§.* 2. *eod.* 8. Facit curatorem vel procuratorem dominum litis, *l.* 11. 23. *C. de procurat.* 9. Præcludit viam dilatoriis exceptionibus, *l. pen. C. de except.* nisi post emerserint, vel reus de iis servandis fuerit protestatus. 10. Impedit, quo minus cedens liberare possit eum, contra quem cessa est actio, *l.* 3. *C. de deleg.* 11. Impedit, quo minus creditor, qui cum pluribus fidejussoribus in partes viriles litem contestatus, post deprehendit aliquos non esse solvendo, in eos, qui solvendo sunt, petitionem redintegrare possit, *l.* 16. *C. de fidejuss.*

Sunt ne nonnulla, quæ impediunt litiscontestationem?

Sunt varia: ea sc. quæ ab ingressu judicii quem removent, & non permittunt causam in dubium vocari, *c.* 1. *&* 2. *hic in* 6. uti sunt exceptiones transactionis, rei judicatæ, litis per jusjurandum finitæ, & similes.

De

De pœna temere litigantium. Tit. 16. Lib. 4. Inst.

Suntne certi modi, quibus litigantes coercentur, ne temere ad litigandum procedant?

Sunt varii. 1. Est infamia. 2. Pœna pecuniaria. 3. Iurisjurandi religio.

Quæ est pœna infamiæ?

Non ex omnibus actionibus, sed ex quibusdam damnati fiunt [a] infames: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo, item tutelæ, mandati, depositi, directis ob dolum, non contrariis, item pro socio, §. 2. *Inst. hic. l.* 1. *ff. de his qui not. infam.* Insignis enim est malitia, non tantum committere delictum, sed & actum, dolo malo gestum, ad extremum litigando in judicio tueri.

[a] Hodie judicia civilia non infamant, quia solent Judices addere clausulam in judicando quod servent famam, *Zypæus ad tit. ex quibus causis infam. &c.* imo & videtur hodie infamiam veram cessare, licet in specie talis clausula non sit adjecta.]

Quæ est pœna pecuniaria?

Condemnatio in expensas & litium damna, §. 1. *in f. Inst. hic. l.* 79. *princ. ff. de judic.* quinimo & in mulctam extraordinariam, si manifesta sit calumnia.

De plus petitionibus. Tit. 10. Lib. 3. Cod.

Quibus modis plus petitur?

Variis. re, si major summa: loco, si incommodiori loco: tempore, si ante tempus: causa, si simpliciter, quod alternative debetur, petatur, §. 33. *Inst. de act. l. f. C. h.*

Quæ est pœna plus dolo malo petentium?

Qui tempore plus petit, tenetur duplicare inducias pacto concessas, quæ sunt inter diem petitionis & eum diem quo solvi debet, *d.* §. 33. *& l.* 2. *C. h.* Qui vero aliis modis plus petit, reddere tenetur triplum damni, quod propter hanc rem passus est adversarius, sive nomine sportularum, sive ex alia causa, *d. l.* 2.

Quid, si tutores vel curatores plus petant?

Nullum ex eo sentiunt damnum pupilli vel minores, sed ipsimet tutores vel curatores, *l.* 1. *C. h.*

Quid, si per errorem plus petitum sit?

Potest is error, ubi cognitus fuerit, ad sententiam usque in eodem judicio corrigi, *§.* 34. *&* 35. *Inst. de actionib.* Solet enim ignorantia in talib. à pœna excusare, *l.* 29. *D. mandat.* Is enim tantum in pœnam plus petitionis incidit, qui dolo malo plus petit, *l.* 3. *C. h*

An ergo nunquam licet ante diem agere?

Etsi quidem ordinario non liceat (*a*) petere, quod in diem debetur, nisi cum dies (*b*) venerit, & vexari non debeat reus ante tempus: tamen audiendus est creditor, si ex causa agat, ut adveniente die sibi solvatur, *arg. l.* 16. *D. de petit. hæred. l.* 1, *C. de sentent. quæ sin. cert. quant.* Quod magnum habet usum in actione redituum, & aliis causis. Deinde, & ante diem potest agi ex justa causa ad cautionem, licet debitum exigi nequeat, *l.* 41. *D. de judic. l.* 2. *de evict. l.* 31. *D. pro socio.* Quod non tantum in bonæ fidei judiciis, secundum, *Dd. Ll.* sed & in stricti juris actionibus ob æquitatem rei admitti debet.

(*a*) In hac re secundum praxin sic distingui oportet, ut si quis simpliciter & tantum ad solvendum id quod in futurum debetur, is male agat, nisi ex justa causa, qualis est dilapidatio, actionem instituat tantum ut sibi caveatur, ad similitudinem legatorum, quæ certis demum diebus sunt præstanda, huc faciunt *l.* 41. *l.* 2. *l.* 38. supra allegatæ. Si a. quis connectat debitum anterius non solutum suis diebus, cum iis quæ posteà sunt solvenda, rectè agit & ob futurum.]

De Jurejurando propter calumniam dando. Tit. 59. Lib. 2. Cod.

Quomodo juramento coercentur temere litigantes?

Jurare debent de (*a*) calumnia: hoc est, jurato declarare, se causam bona fide agere & acturos esse.

(*a*) Jusjurandum de calumnia non observatur in Galliis, *Autumnus h.* nec in Saxonia, *Wesenb. de Iurejurando n.* 9. aliquis tamen apud nos est ejus usus, *Gudelin,*

delin. lib. 4. de I. N. cap. 8. in fine. Sande lib. 1. tit. 9. defin. 2. Gail lib. 2. obs. 46. & lib 1. obs. 83.]

Qui debent jurare?

Non tantum actores, verum etiam rei, *Auth. hoc sacr. & Auth. in ifto. C. h. t.* Imo & ex causa (a) Advocati & Procuratores.

(a) Hodie apud nos Advocati, procuratores non ad singulas causas jurant, sed initio officii, & hic in Hollandia etiam singulis annis secundum *instruct. Curiæ Holland. art. 71. Merulam lib. 4. tit. 44. c. 3. n. 1.* Id autem fit subinde in judiciis, ut si advocati vel procuratores sint suspecti, cogantur specialiter jurare de malitia.]

Nullisne ergo remittitur?

Remittitur (a) parentibus in causis liberorum, *l. 7. §. 3. ff. de obseq. parent.* Et est indultum nonnullis, quos dignitas, sexus, verecundia, vel morbus impedit, ut domi suæ jurent, adversario vel procuratore ejus præsente, *l. 2. §. 1. C. h.*

(a) An remitti possit tractat *Gail lib. 1. obs. 86.*]

Quid, si actor vel reus in judicium venire nequeat?

Potest procurator ex speciali (a) mandato in animam mandantis jurare, *c. f hic in 6.* nisi Iudex ex speciali causa voluerit personas principales præstare jusjurandum.

(a) Hæc confirmantur à *Gail. lib. 1. obs. 83. & Berlich. part. 1. conclus. 31. n. 14. & seqq.*]

In quibus causis præstatur?

In omnibus: sive summarie, sive ordinarie agatur, *l. 1. & 2. C. h.* Non vero in (a) criminalibus judiciis facile exigendum est ab accusatis: ne perjuriis detur occasio, & quis se prodere cogatur, *arg. c. 19 caus. 2. q. 1.* Accusatoribus recte imponitur, quia nusquam aliter constitutum, & hodie inscriptiones in crimina cessant.

(a) *Wesenb. C. h. n. 7. Sichard. in rubric. C. h. t. n. 5.* Pari modo nec in matrimonialibus, quia ea etiam sunt summi momenti, & comparantur criminalibus, *Berlich. d. conclus. n. 30.*]

Quid, si omissum sit hoc juramentum?

Non vitabitur per hoc processus: omitti enim potest ex-

expresse vel tacite: sic tamen, ut Iudex non impediatur deferre, quoties res postulat, *l. 2. §. 4. C. h.*

De ordine Judiciorum. Lib. 3. C. Tit. 8.

Quis ordo debet servari in actionibus, sive judiciis, si plures oriantur quæstiones?

Sunt hic varia observanda. Præferri enim debet actio, quæ alteri facit præjudicium: sic, qui judicio familiæ erciscundæ acturus est, si ei de statu controversia fiat, prius præjudicialem action. movebit *l. 2. C. h.* quo facit textus in *l. 54 ff. de judic. l. 16. & 18. de Except. l. 7. ff. de petit. hæred.* Vnde etiam ordinario causa momenti sive possessionis, proprietatis quæstioni præfertur, *l. 3. C. de judic. l. 13. Cod de rei vind. §. 4. Inst. de interd.* Deinde, major quæstio præfertur minori, *d. l. f. C. h.* Quæ vero major habenda, æstimabit Iudex. Hinc regulariter prius de criminali, quam civili causa agendum, *l. f. C. h.*

Cur dicitur regulariter?

Quia arbitrio judicis committitur, ut aliquando civilis præponatur, *arg. l. quoniam C. ad L. Iul. de adulter. l. 8. de plagiar.* ac præterea, quia sæpe cumulatur civilis cum criminali, cum res exigit, *l. 3. C. h.*

DE CONCVRSV ACTIONVM.

Quando actiones dicuntur concurrere?

Cum duæ pluresve actiones personales, vel reales, aut mixtæ, eidem actori adversus eundem reum competunt ex una vel pluribus causis, *l. 10. D. act. empt. l. 56. D. de furt.* & singulæ exerceri possunt.

Suntne aliquæ regulæ observandæ in concursu?

Sunt variæ. Concurrunt vel mere rei persecutoriæ solæ, vel pœnales solæ, vel pœnales cum persecutoriis, vel mixtæ solæ, vel mixtæ cum persecutoriis rei, vel mixtæ cum pœnalibus. In hisce omnibus diversa jura obtinent.

Quæ est prima regula?

Si concurrant mere rei persecutoriæ ex eadem causa, una tantum licet experiri, *l. 43. §. 1. D. de Reg. Iur. l. 18. 34. §. 1. D. de oblig. & act. l. 38. §. 1. D. pro socio.* Quod enim

enim semel nostrum factum est, amplius nostrum fieri non potest, &, ut bis idem exigatur, bona fides non patitur, *l.* 3. §. 4. *D. de acq. poss. l.* 57. *D. de Reg. Iur.*

Annon debet hæc regula limitari?

Debet. 1. Quoties dubitatur utra actio competat, *arg. l.* 1. §. 4. *D. quod legat. l.* 16. *C. de inoff.* 2. Quoties in actione altera. qua non est actum, quid amplius est, vel quid peti possit, cujus ante non est facta mentio, *l.* 43. *l.* 47. *D. pro soc. l.* 28. *D. de act., empt. d. l.* 34. §. 2. *D. de oblig. & act.* Et sic consumi dicuntur victoria & condemnatione sive consecutione potius, quam electione sive institutione sola.

Qua est secunda?

Si rei persecutoriæ solæ concurrant ex diversis causis, singulis uti permissum est. quod explicandum est in actionibus realibus, non, ut quis sæpius eandem rem possit obtinere; quod fieri jure non potest: sed ut, quod non obtinuit ex priori causa, id obtineat per posteriorem. Ergo interest, an simpliciter quis rem suam petierit, an adjecta causa. si simpliciter, rursus non potest agi, *l.* 11. §. 1. 4, 5. *l.* 12. 13, 14, 15. *pr. &* §. 2. *l.* 27. *D. de except. rei judic.* Si causa adjecta, non nocebit, si post ex alia causa experiatur, *d. l.* 11. §. 2. *& l.* 14. §. 2. verum, in actionibus in personam, singulas obligationes singulæ causæ sequuntur: nec ulla earum alterius petitione vitiatur, *d. l.* 14. §. 2. Adeo ut non tantum post unius rejectionem, altera uti liceat, *l.* 28. *D. de liberat. leg. l.* 93. §. 1. *D. de leg.* 3. verum etiam post condemnationem ex alterutra, sive ejusdem generis actiones sint, *l.* 10. *D. de act. empt.* sive diversi, *d. l.* 18. *D. de oblig. & act.* Quin etiam non tantum licet instituere diversas actiones, sed etiam restaurare ac repetere easdem, ob certas causas: ut si justo errore deceptus priorem moverit, *l.* 13. *D. de inst. act. l.* 1. §. *f. D. quand. de pecul. l.* 4. §. *f. D. Quod cum eo qui.* si in priori judicio temporalis fuerit exceptio, *d. l.* 1. §. *f. l.* 15. *ff. de obl. & act.* Vel, si generali actione peracta, postea ob rem particularem eadem actione agatur.

Qua

Quæ est tertia?

Si mere pœnales plures concurrant, omnibus experiri licet, sive ex uno delicto & facto, sive ex uno facto & pluribus delictis, sive ex pluribus delictis & factis nascantur. hoc addito temperamento, ut, si ex pluribus factis & delictis nascantur, singulis in solidum possit agi: nullius debet dari impunitas, *l. 2. ff de privat. delict. l. 27. 32. §. f. D. ad Leg. Aquil.* si ex uno facto & uno vel pluribus delictis nascantur, possit agi omnibus, *l. 1. §. 4. ff. de publ. & vectig. l. 43. §. 1. de Reg. Iur. l. 30. 32, 34, 35. de oblig. & act.* sic tamen, ut consumantur, qua in posteriori non est quid amplius, & liceat omnibus agere, si ante leviori sit actum, *l. 41. §. 1. ff. de oblig. & act. d. l. 34. eod. l. 1. ff. de vi bon. rapt.* Adeoque erunt partes Iudicis, ut, quod plus est in reliqua actione, actori adjudicet. Quinimo & aliquando ex justa causa eadem actio, si ante minus peritum fuerit quam peri poterat, potest repeti, *l. 26. ff. ad leg. Aquil.*

Quæ est quarta regula?

Si concurrat rei persecutoria cum pœnali, neutra alteram tollat. vid. *l. 7. §. 1. de condict. furt. §. f. Inst. de oblig. q. ex delict. & aliis casibus expressis l. 45. ff. pro socio. l. 44. §. 2. de oblig. & act. l. 29. ff. depos. l. 42. ff. locat. l. 2. §. 1. ff. de tut. & ration.* Sunt enim hæ actiones ex causis diversis, & complectuntur diversas res, adeo ut exceptio rei judicatæ non possit obstare, nec objici æquitas, quæ vetat bis idem exigi.

Quæ est quinta?

Si concurrat mixta cum rei persecutoria potest postea altera earum proponi, si una quis egerit & obtinuerit, qua altera plenior est, *l. 7. §. 1. ff. commod. l. 34. §. f. de obl. & act. l. 47. 50. ff. pro socio.*

Quæ est sexta regula?

Si mixtæ concurrant cum pœnalibus vel inter se, hactenus consumuntur, qua vel idem vel tantundem iis petitur, *l. 1. ff. de vi bon. rap. l. 14. §. f. l. 15. ff. Quod met. caus. l. 2. §. 3. ff. de priv. delict.*

Annon eget hæc regula temperamento?

Eget omnino; nam tunc tantum procedit cum ex uno

uno facto plura delicta nascuntur, *l.* 1. *§.* 22. *ff. de tutel. & rat. redd.* Sin autem sint plura delicta, singulis tota pœna petitur: nunquam enim delictum ob aliud delictum non punitur, *l.* 2. *ff. de privat. delict.*

De [a] Cumulatione actionum.

Quæ est actionum cumulatio?

Est plurium actionum unius vel plurium rerum nomine in eodem libello coacervatio.

[a] Pro regula notatur quod cumulatio sit permissa, *Zangerus de except. part.* 2. *c.* 19. *n.* 2. per *l.* 11. *D. de jurisd. Menochius* 6. *præsumpt.* 16. *n. ult.* itaque qui allegat prohibitionem cumulationis, eam probare debet, *Cravet. consil.* 845. *n.* 6. De materia cumulationum vide *Gail lib.* 1. *obs.* 63. & *Dynum in cap. nullus pluribus de Reg. Iur. in* 6.]

Sunne nonnullæ regulæ de prohibita cumulatione?

Sunt. Et prima est: Non conceditur cumulatio, cum una actio ita se habet ad alteram, ut possibile sit, absolutoriam latam in una parere exceptionem rei judicatæ in altera, *l.* 16. 18. *D. de except. l.* 11. *§.* 4. *D. de except. rei jud.*

Quæ est secunda regula?

Non conceditur etiam cumulatio, cum plures actiones sic se habent, ut una electa, altera tollatur, *l.* 9. *§.* 1. *D. de tribut. act. l.* 6. *D. de except. rei jud.* Eaque regula non tantum procedit, cum electio actionum datur; sed & cum actiones sibi invicem sunt contrariæ, *l.* 1. *C. de furt. arg. l.* 14. 16. *C. de inoff. testam.*

Quæ est tertia?

Cum actione, quæ præjudicium parit, & quam ex ordine præcedere oportet, non potest ea cumulari, quæ necessario sequi debet, quando est diversus agendi finis, diversumque petitur.

Tit. 2. D. De inofficioso testamento. 28. Lib. 3. Cod. 18 Lib. 2. Inst.

Cum hucusque in genere sit actum de præparatoriis judiciorum, ipsisque judiciis; & methodus exigat, ut de ipsis actionibus singulis agatur. Quomodo ergo distinguuntur actiones?

Sunt vel in rem, vel in personam, vel mixtæ. In rem, vel universales, vel speciales. Universales, quibus rerum universitas petitur; qualis est petitio hæreditatis, quæ vel inest querelæ inofficiosi, vel directo ex sua causa instituitur. Speciales; ut rei vindicatio, confessoria, negatoria.

Quid est querela inofficiosi?

Remedium extraordinarium, sive actio, qua certæ personæ, quibus id jure speciali datum est, conqueruntur se inique esse defuncti testamento exhæredatos.

Quibus datur querela?

Datur parentibus, liberis, & certo casu fratribus.

Quibus liberis?

Liberis utriusque sexus, *l.* 1. 3, 5. *ff. hic. l.* 7. 15. *C. h.* sive sint sui, sive emancipati, *pr. & §.* 1. *Inst. h. junct. Nov.* 115. *c.* 3. non tantum legitime natis; sed & legitimatis per subsequens matrimonium: per rescriptum Principis legitimatis non aliter, quam si legitimi liberi non sint, *arg. Novell.* 89. *c.* 9.

Quid juris in adoptatis?

Arrogati, qui quartam habent, à querela removentur, *l.* 8. *§* 15. *ff. h.* reliqui vero adoptati, qui transeunt in potestatem patris adoptivi, recte querelam hanc instituunt, *§.* 2. *Inst. hic.* at adoptati ab extraneo, hanc movere nequeunt, *l.* 10. *C. §.* 2. *Inst. de adopt.*

Quid juris in naturalibus tantum, spuriis, & damnato coitu natis

Ex damnato coitu nati, nec contra matris, nec contra patris testamentum quid movere possunt, quia non succedunt ab intestato. Spurii vero, quia patrem certum demonstrare non possunt; & naturales tantum, quia ipsis à patre nihil præter alimenta præstari debet,

debet, conqueri de paterno testamento nequeunt: sed recte de matris. *per l. 29. §. 1. ff. h. l. 2. 8. ff. unde cognati.* verum adversus matris illustris, si concurrant cum liberis legitimis, testamentum non audiuntur. *arg. l. 5. Cod. ad SC. Orfit.*

Quid, si pater nec legitimos liberos, nec legitimam uxorem reliquerit, sed tantum naturales; competitne eo casu ipsis querela?

Non. quia tantum ipsis est concessum, ut ad duas uncias succedant ab intestato. *Novell. 89. c. 12. §. 4.* & nusquam legitima ipsis tribuatur. unde nec querelam habent. *arg. Nov. 18. c. 1. in fin.*

Quibus parentibus datur?

Illis, qui ab intestato essent successuri, sine distinctione sexus vel potestatis.

Quibus fratribus?

Tantum germanis & consanguineis, eoque demum casu, quo turpes personæ sunt institutæ hæredes. *l. 1. D. l. 27. C. h.* Absurdum enim esset, turpitudine notatos præferri fratribus honeste viventibus. Cæteris vero cognatis & uterinis fratribus non competit. *d. l. 27.*

Quæ sunt hoc casu turpes personæ?

Quæ vel facti vel juris infamia sunt notatæ. *d. l. 27. C. h.* Qua in re & judices convenit esse proniores, ut etiam infamiam facti admittant notabilem aliquam: cum exhæredationes & fratrum exclusiones sint odiosæ. *arg. l. 19. D. de lib. & posthum.*

Daturne etiam hæc querela heredibus exhæredatorum?

Communiter statuitur, ad suos indistincte transmitti. *l. 5. 34. 36. §. 2. C. h.* Ad extraneos vero non aliter, quam si fuerit præparata. *arg. d. Ll. & l. 6. C. de transact.* Verum æquitati & rei ipsi convenientius defendetur, querelam ad liberos simpliciter; ad alios non, nisi præparata sit, transire.

Quando dicitur præparata?

Cum vel denunciatio, vel editio actionis, multo magis cum litis contestatio est facta *l. 7. ff. h. t.* Sin autem mutaverit is, cui querela inofficiosi competit, voluntatem, præparatio dicetur sublata. *l. 15. §. 1. ff. h.*

Con-

Contra quos detur?

Contra omnes hæredes ſcriptos, vel etiam viva voce nuncupatos *l.15.ſ.f.l.17.24.29.ſ.f. D.l.31.C.h.* non tantum directos, ſed & fideicommiſſarios. *l. 1. C. hic.* quinimo & illos, qui hæredum locum obtinent. *l. 10. C.h.* modo adita ſit hæreditas. *l. 8. ſ. 10. ff. l. 36. C. h.*

Coram quo Iudice inſtituenda eſt?

Coram eo, ſub quo hæres domicilium habet. *l.29. ſ.f. D.h.l. 19. D. de judic.* aut ſub quo hæreditas eſt ſita. *arg. l.3. C.ubi in rem act.* & aliquando in foro exhæredati, ſi is conveniatur ad hæreditatis, quam poſſidet, reſtitutionem: poteſt enim per modum contradictionis ſive reconventionis querelam adverſus petentem movere. *l. 8. D. h.* cum enim ipſi datur actio, multo magis exceptio, *l.156. ſ.1. D. de R. Iur. c. 71. cod. in 6.*

Quomodo inſtituitur querela?

Olim opus erat colore, quaſi non ſanæ mentis fuiſſet teſtator. *pr. Inſt. l. 5. D. h.* Sed hodie actor, cum narravit, ſe à defuncto patre, filio, vel fratre exhæredatum immerito, reumque adiiſſe hæreditatem, petit, teſtamentum declarari inofficioſum, vel exhæredationem, non juſta vel non vera ex cauſa factam, reſcindi quoad inſtitutionem hæredis. Cui deinde additur petitio hæreditatis, hoc modo: Ac conſequenter contendit actor, ſe declarari hæredem ab inteſtato ex aſſe aut pro parte, & pro ea, ex qua hæres eſt, ſibi hæreditatem adjudicari, reumque condemnari ad eam reſtituendam cum omni cauſa.

Quis eſt hujus actionis hodie effectus?

Ut teſtamentum (a) reſcindatur quoad hæredis inſtitutionem, manentibus legatis & fideicommiſſis ſalvis, *Novell. 115. c. 3. inf. & c. 4. Auth. ex cauſ. Cod. de liber. præter.*

(a) Olim in totum *l. 8. ſ. ult. D h.* Hodie jus hic allegatum viget.]

Quid, ſi pater per querelam filium, qui inſtituit honeſtam perſonam, reddiderit inteſtatum, debetne & frater cum ipſo admitti?

Non admittetur, licet aliàs ſuccedat ab inteſtato:

quia, cum recte est exclusus, non poterit ex accidenti & alieno ac adventitio jure in fraudem legis admitti, *arg. l. 6. ff. qui, & à quib. manum.*

Debetne dicto casu pater in solidum succedere?

Tantum in eam portionem, quam habiturus esset ab intestato: reliquum vero, quod fratribus ab intestato cederet, manet penes hæredem scriptum; quia id in querela inofficiosi receptum, ut pro parte quis intestatus fieri possit, *l. 15. in f. l. 17. D. h.*

Suntne casus, quibus querela cessat?

Varii. 1. Si testamentum [a] militare sit, *l. 8. §. 3. & 4. D. h.* 2. Si sit testamentum factum à patre filio [b] impuberi, *d. l. 8. §. 5.* 3. Si legitime filius sit exhæredatus, *Nov. 115. c. 3.* 4. Si testator sit testatus de peculio castrensi vel quasi, *l. f. §. 1. C. h.* 5. Si filius post obitum testatoris approbaverit testamentum, vel expresse paciscendo cum heredibus, *l. 35. §. 2. C. h.* vel tacite agnoscendo legatum, *§. 4. Inst. h.* suo nomine, *§. 4. & 5. Inst. h.* 6. Si alia quadam ratione exheredatus pervenire possit ad hereditatem, *§. 2. Inst. eod.* 7. Si institutus fuerit quis ex legitima, vel etiam minima aliqua ejus parte, sive etiam certa re, *§. 3. Inst. l. 30. C. h.* [c]

[a] Videtur hoc esse sublatum in Galliis, ut notat *Antumnus in l. 9. C. h.* quod maxime valere debet ex ratione naturali, quæ jubet ut, licet liberi non possint proponere querelam, tamen debeant consequi suam legitimam. [b] Hæc causa in Hollandia & omnibus locis, in quibus patria potestas secundum formam J. Romani non est recepta, non valet; In Frisia a. viget Ius Civile. [c] Octavus potest esse casus, si parentes bona mente liberos suos exhæredaverint, sc. cum hoc agunt ut liberis suis consulant, non obsint, *l. 18. D. de liberis & posth. l. 16. §. 2. D. de curat. furios. l. 12. §. 2, D. de bonis libert. Sande lib. 4. tit. 3. definit. 3.* & heres tali modo gravatus non potest deducere Trebellianicam, quia magis curator quam hæres censetur.]

Quid, si filius pactus sit cum patre testatore, quod non sit moturus controversiam adversus testamentum?

Ejusmodi pactum non obstat, *l. 35. §. 1. C. h.* quia præ-

præstat magis, filios meritis ad paterna obsequia, quam pactionibus astringi, *d. l.* 35. *s.* 1. imo nec obstat pactum, licet pater filio quid eo nomine donaverit *d. l.* 35. *s.* 1.

Quid, si filius agnoverit legatum, quo minus legitima portione ei relictum est?

Testamentum quidem valebit; sed, si non adjecerit filius, nullam sibi superesse de legitima quæstionem, nullum sibi facit præjudicium: semper enim agere potest ad supplementum legitimæ, *d. l.* 35. *s.* 2. *C. h.*

Quid, si filius sit institutus ex re certa, debeine ea esse contentus?

Nequaquam: potest enim æque agere ad supplementum legitimæ, *l.* 30. *C. h.* Non enim patri aliter permittitur testari, quam ut liberis detur vel postea suppleatur legitima.

DE LEGITIMA.

Quid ergo est legitima?

Est portio portionis ab intestato debita iis, quibus, si exheredentur, querela inofficiosi datur; ex ratione naturali introducta, jure verò civili plene constituta & definita.

Quanta portio hereditatis est legitima?

Fuit olim quarta. Iure vero novissimo, si liberi sint quatuor væl pauciores, est triens; si quinque vel plures, est semis. Quod augmentum etiam in parentibus, vel fratribus locum habere, indicat *Nov.* 18. *c.* 1. *in fin. junct l.* 1. 15. *ff. l.* 27. *C. h.*

Faciuntne hic etiam exhæredati partem?

Nullo modo: habentur enim pro [*a*] mortuis, *arg. l.* 17. *ff. h. l.* 1. *s.* 5. *ff. de conjung. cum emanc.*

[*a*] Quæritur an & filia quæ renunciavit hæreditati paternæ, sit numeranda inter liberos? Resp. Numerandam eam esse docet *Gail lib.* 2. *obs.* 122. *n.* 17. quia ea non pro mortua haberi potest. Quæritur secundo, an sub generali renunciatione hæreditatis etiam comprehendatur renuntiatio legitimæ? Negat *Mynsing. cent.* 1. *obs.* 36. *Everardus cons.* 56. *Grassius recept. sentent. s. legitima n.* 9.]

Quid debet observari circa legitimam?

1. Ut non titulo legati, sed institutionis, quia honorabilior est, relinquatur, *Nov.* 115. *c.* 3. 2. Ut non gravetur (*a*) modo, fideicommisso, (*b*) conditione, aut mora. *l.* 30. 32 *C. h.*

(*a*) Licet etiam piæ causæ vel Deo quid relinquatur, *Gail lib.* 2. *obs.* 119. non enim placet Deo ut liberi sine causa ab hæreditate arceantur, *causa* 17. *Q.* 4 *Can. fin.* (*b*) Id autem hic est observandum, quod ex fideicommisso, quo est testator est oneratus ab alio, liberi testatoris legitimam detrahere non possint, quia bona fideicommisso gravata non sunt gravati, sed fideicommissarii, *Berlich. part.* 3. *conclus.* 11. *n.* 19.

Estne legitima hæreditatis vel bonorum quarta portio?

In se est pars hereditatis, sed ratione computationis est bonorum. Non enim aliter computari potest, quam ære alieno & impensis funeris deductis. *l.* 8. *s.* 9 *ff. h.*

Estne ergo ulla ratio, fideicommisso onerandi legitimam?

Variæ sunt propositæ, verum non satis legibus convenientes. Cæterum, si pater sic caverit testamento: *Volo. ut liberi, priusquam ad divisionem procedant, eligant, vel solam legitimam non oneratam, vel totam suam portionem, universali onere fideicommissi, non tantum in bonis supra legitimam, sed & in legitima gravatam.* Liberi eo casu tenentur, priusquam hæreditatem dividant declarare, utrum legitimam solam sine gravamine, an totam portionem cum onere velint, & sic non tam pater quam liberi sua electione legitimæ onus imponunt. Licet enim pater directo non (*a*) possit, hoc tamen modo per indirectum efficit. Multa quippe oblique fieri possunt, quæ directo facta non valent. *arg. l.* 1. *ff. de auth. tut.*

(*a*) De statutis dubitari potest, an & per ea legitima possit tolli? Resp. Magis placet quod minui, non autem tolli queat, *Berlich. part.* 3. *conclus.* 18. *n.* 15. *& seq. Gail lib.* 2 *obs.* 123. *Mynsing.* 5. *obs.* 43. Etiam de eo dubitatur, an quis legitimam potest acceptare, cum

ipsi

ipsi plus relictum est, & reliquum omittere? Negandum id est ob *l.* 1, 2. *D. de acquir. vel omitt hæred. Fachinæus lib.* 4. *c.* 55. *Trentacinq. de subst. p.* 1. *c.* 10. *n.* 24.]

Quamdiu durat querela, vel actio ad supplementum?

Querela quinquennio tollitur, *l.* 8. *s. f. D. l.* 34. *in f. C. h.* condictio vero ad supplementum legitimæ perpetua est, quia est actio personalis ex lege, quæ 30 demum annis (*a*) præscribitur, *l.* 3. *C. de præscript.* 30 *vel* 40 *annor.*

(*a*) Vide *Christin. vol.* 2. *decis.* 169. *n.* 8.

De inofficiosis donationibus. Tit. 29. Lib. 3. Cod.

Quid, si parens donationibus immensis facultates exhauserit ante obitum?

Datur (*a*) querela inofficiosæ donationis, sive consilio fraudandæ legitimæ, sive non fraudandæ, sit facta. Per hanc liberi agunt, ut donatio inofficiosa declaretur & rescindatur, & consequenter, legitima libera adjudicetur, *l.* 1. *& tot. tit. C. h.*

(*a*) Quid si Pater usque ad legitimam donavit bona, & reliquum dilapidavit postea, vel phasmate vel alio casu fortuito reliqua bona sint sublata? Resp. priori casu subvenietur liberis, non a. altero; Vide *Christin. vol.* 2. *decis.* 171. *n.* 9, 10.]

In quibus convenit hæc querela cum inofficiosi, & differt ab ea?

Convenit, 1. Quod utraque occurrat inofficiosis parentum actionibus. 2. Quod utraque non detur, nisi post obitum; quia testamentum vires demum post mortem accipit; & legitima est portio heredi atis, quæ non potest esse vel peti ex bonis viventis, *l.* 1. *ff. de hæred. vel act. vend. l.* 1, *s. Si impuberis, ff. de collat. bon.* 3. Quod utraque non detur, cum remedio alio quis uti possit. *s.* 2. *Inst. de inoff. test. junct. l.* 4. *&* 6. *C. h.* 4. Quod utraque cesset, si filius approbaverit voluntatem patris, vel expressa voluntate, vel tacita per lapsum quinquennii, *l.* 35. *s.* 2. *C. de inoff. junct. l.* 6. *l. f. C. h. l.* 8. *s. f. D. de inoff.* Differt vero hæc querela inofficiosi, quod 1. hæc sit ex contractu, que-

rela inofficiosi, ex testamento. 2. Quod hac tantum petatur legitima, *l.* 1. *&* 2. *C. h.* querela inofficiosi, tota portio hæreditatis, salvis legatis, *Novell.* 115. *c.* 3. *in fin*

Quando debet quantitas patrimonii spectari?

Non tempore donationis, sed mortis: cum agatur de re, quæ demum post obitum petenda & æstimanda est.

Imo videtur quod in totum revocari debeat donatio. 1. *per l.* 8. *C. de revoc. donat.* 2. *quia querela hæc ad exemplum inofficiosi, l.* 2. *l. f. C. h. quæ totam institutionem tollit, introducta est?*

Nihil ex locis dictis sequitur. Quia *in d. l.* 8. non agitur de inofficiosa [*a*] donatione, quæ in odium liberorum erat facta; sed de ea, quam fecit pater liberos non habens, isthac sc. mente, ut revocetur, si postea liberos suscipiat. Deinde, querela hæc ad similitudinem inofficiosi testamenti constituta est, ut sit una vel similis causa, *d. l.* 2. *& f.* in omnibus, in quibus lex aliter non constituit. Lex autem voluit jus dici aliter in donatione, quam inofficioso testamento in hac specie, uti supra probatum.

[*a*] Accedit quod donatio inofficiosa à patre non potest revocari, sed tantum à liberis, quod & observat *Christin. d. decis.* 171. *n.* 12. cum a. supervenerunt liberi, pater ipse præcipuè revocat, quia videtur non cogitasse de liberis *d. l.* 8.]

Quibus casibus cessat hæc querela?

Fere omnibus, quibus inofficiosi; uti, si salva sit relicta quantitas legitimæ, vel, si liberi sint ingrati, &c.

De inofficiosis dotibus. Tit. 30. Lib. 3 Cod.

Quid, si immoderatis dotibus parens exhauserit facultates suas?

Eo modo potest querela institui, quo ob inofficiosam donationem, *l. un. C. h.* Scilicet, si actum sit, ut qui dotem accepit, eam lucretur, & post mortem parentis non sit dos conferenda.

Quid,

Quid, si per alios contractus parens patrimonium dissipaverit?

Siquidem id fuerit factum in fraudem legitimæ, & alii lucrum sine onere senserint, liberis est favendum, *l f. D. Si quis in fraud. patron.* Sin autem lucrum alii, in quos bona sunt translata, non percipiant, aliorum causa erit melior, *arg. l. 8. §. 9. ff. de inoff. testam.*

Tit. 3. De petitione hæreditatis. 31. Lib. 3. Cod.

Quid est petitio hæreditatis?

Est actio in rem universalis, qua actor petit hæreditatem delatam sibi restitui ab eo, qui eam possidet, *arg. l. 178. §. 2. vers. petit D. de V. S.*

Annon rectius dicitur mixta, l. 7. C. h.?

Sua natura est in rem: verum, qua habet ex accidenti præstationes quasdam personales, ut puta, nomine eorum quæ à debitoribus sunt exacta, vel si quæ sint à possessore soluta, distracta; si fructus percepti, *l. 25. §. 18. junct. §. 1. ibid. & l. 31. inf. D. h.* & mixta dici potest.

Quomodo distinguitur?

Datur vel directo hæredi; quæ est vel civilis vel prætoria: vel obliquo; quæ est fideicommissaria.

Quibus ergo datur civilis?

Datur vero hæredi, sive ex testamento, sive ab intestato, *l. 1. 2. & 3. ff. h.* sive suo nomine & per se, sive per alios effectus sit hæres, *d. l. 2.* Nec tantum hæredi ex asse, sed & ex parte, *l. 10 §. 1. ff. h.*

Quid, si quis ex certa re sit institutus?

Si solus sit nominatus hæres, ei hæc actio competit: quia rejicitur rei mentio, & habetur pro instituto ex asse, *l. 1. §. 4. ff. de hæred. inst.* Si cum aliis scriptis vel simpliciter vel ex partibus hereditatis concurrat, erit loco legatarii, *l. 13. C. eod.* & propterea actio hæc ei denegabitur. Sin autem alii, cum quibus vocatur, sint quoque vocati ex certis rebus, competet & huic & aliis hæc actio, *arg. l. 9. §. 13. ff. eod. l. 35. D. de hæred. instit.*

Quid, si quis ex testamento adierit, & ejus vires ignoraverit, posteaque petere velit hæreditatem ab intestato?

Etsi quidem necessario nemo teneatur in libello exprimere, utrum ex testamento, vel ab intestato petat; tamen, si quis de facto ex testamento petierit, cum ignoraret vires testamenti, non prohibetur legitimam hæreditatem vindicare, *l.* 8. *ff. l.* 3. *C. h. l.* 19. *vers. cæterum. ff. de inoff. l.* 97. *in fin. D. de acq. hæred.*

Contra quos datur hæc actio?

Contra eos, qui possident vel pro hærede, hoc est, bona fide putant, vel ex causa aliqua contendunt se hæredes esse, *l.* 11. *ff. h.* vel pro possessore; quales sunt prædones, qui interrogati cui possideant, quia possidemus, responsuri sunt, *d. l.* 11. *§.* 1. *l.* 12. 13. *ff. h.* Nec distinguitur, utrum totam hæreditatem, an partem etiam minimam hæreditatis jure detineant, *l.* 9. *&* 10. *ff. h.* Quinimo & contra debitores hæreditatis, qua contendunt ratione ejus debiti esse hæredes, *d. l.* 13. *§. f. l.* 14. 15, 16. *junct. l.* 41. *ff. h. t.*

Annon & utiliter dari potest adversus illos qui non possident?

Potest; uti, si quis sese liti obtulerit: habetur enim pro possidente, *d. l.* 13. *§.* 13. *l.* 45. *D. h.* sc. ut teneatur, quanti interfuit actoris, non decipi, *d. l.* 45. *junct. l.* 32. *D. de dol. mal.* Pariter &, qui dolo desiit possidere, hac actione quasi possidens tenetur, *d. l.* 13. *§* 14. *l.* 25. *§.* 8. *D. hic.*

Datur ne etiam contra emptores hæreditatis?

Expressi sunt casus, *d. l.* 13. *§.* 4. *& seqq.* ut si venditor non extet; si modico vendiderit bonæ fidei possessor, sive sponte, sive ex jussu testatoris; si quis sciens alienam emerit hæreditatem; si à fisco quis emerit, *d. l.* 13. *§.* 7. 8. *&* 9. Quibus addi debent similes casus, quibus æquitas hanc dari postulat, & emptor hæreditatem possidet, tanquam universitatem à se emptam; alias vero debet dari ordinaria vindicatio, *l.* 2. *§. emptor. C. h.*

Quæ res veniunt in petitionem hæreditatis?

Non tantum hæreditaria corpora; sed & aliæ omnes

res,

res, quarum periculum ad hæredem pertinet: uti res pignori datæ defuncto, vel commodatæ, depositæve. Etiam illæ, in quibus possessor retentionem tantum habuit: uti late hæc explicantur, *l.* 19. 20. *D. h.* Quinimo & eæ res, quas postea cœpit possessor possidere, *l.* 4. *l.* 18. *§ pen. l.* 41. *ff. h.*

Qua forma actio hæc instituitur?

Actor, postquam narravit defuncti hæreditatem sibi delatam, vel ex testamento, vel ab intestato, adversariumque possidere, petit, se declarari hæredem, & reum condemnari, ut hæreditatem in totum vel pro parte sibi restituat cum omni causa.

Quid denique est effectus hujus actionis?

Ut interim nihil distrahatur, nisi sint, quæ servando servari non possunt, vel ad causam funeris pertinent, similemque rationem habent, *l.* 5. *ff. hic.* Quinimo prohibendus est possessor, antequam iis inchoetur, aliquid ex hæreditate distrahere: nisi maluerit cavere pro omni quantitate hæreditatis, vel rerum ejus restitutione, *d. l.* 5. Deinde, ut, si condemnetur reus, restituat omnem rem & fructus: eique rursus restituantur, quæ nomine rerum hæreditariarum aliquo modo absunt; uti, si quid erogaverit, *l.* 19. & 20. *D. §.* 2. *C. h.*

Quid, si legata sint solvenda pendente hac actione?

Consultum est hæredi, non aliter solvere, quam accepta cautione de restituendis iis cum usuris, *l. f. pr. C. h.*

Quid, si possessor quid ex rebus hæreditariis dilapidaverit, donaverit?

Bonæ fidei possessor si ex hæreditate sumtum quem fecerit, quid dilapidaverit, perdiderit, donaverit, dum re sua se abuti putat, non præstabit hæredi, *l.* 25. *§.* 11. *ff. h. junct. l.* 1. *C. h.*

Quos fructus tenetur possessor restituere?

Bonæ fidei possessor, sive sint fructus naturales, sive industriales, non tenetur nomine [a] fructuum quos percepit, nisi, qua locupletior ex iis est factus, *d. l.* 1. *C. h.* Malæ fidei autem possessor non tantum de perceptis, sed & iis, quos percipere potuit, tenetur, *l.* 1. *C. h.*

Præstat quoque usuras rerum venditarum, *l.* 1. *C. h.* maxime, post motam controversiam, *d. l.* 1. *l.* 20. *§.* 12. *ff. h.*

[*a*] Quæritur an Judex in fructus possit condemnare qui non sunt petiti? Resp. Affirmandum id est, quia cum de re restituenda agitur, tacite & inclusive etiam de restituendo fructu agi videtur, *l.* 75. *D. de V. signif. l. ult. D. eod.* id & in praxi receptum est, ut notat *Carpsovius part.* 1. *constit.* 26. *defin.* 8. Vide *Mynsing. cent.* 4. *obs.* 55.]

Quando bonæ fidei possessor in mala fide constituitur?

Non tantum per litis contestationem, sed & per denunciationem sibi factam, *l.* 20. *§.* 11. *l.* 25. *§.* 7. *ff. h.* nec refert, à quo fuerit denunciatum, *d. l.* 20. *§.* 11. *in fin.* Quanquam enim litis contestatæ in SConsulto fiat mentio, tamen & idem ad controversiam motam est referendum, *d. l.* 25. *§.* 7.

Quid statuendum de impensis?

Bonæ fidei possessor deducit omnes impensas necessarias & utiles, sive res extet sive non extet, *l.* 38. *l.* 39. *ff. h.* Non vero ita voluptarias, *d. l.* 39. Malæ fidei vero possessor deducit quoque necessarias, *d. l.* 38. *l.* 4. *C. h.* & utiles, modo res extet & melior sit reddita, *d. l.* 38. *in f. l.* 6. *§.* 5. *ff. de negot. gest.* Non autem voluptarias, *d. l.* 39. Interim vero tollere potest, si id fieri queat sine detrimento rei, *d. l.* 39. *§.* 1.

Quot annis tollitur hæc actio?

Etsi in rem sit, tamen non tollitur decem annis, sed longissimo [*a*] demum tempore, *l.* 7. *C. h.*

[*a*] Ita in Galliis receptum esse docet *Autumnus collat. ad l.* 7. *C. h.* In foro Saxonico requiruntur 31. anni 6. septimanæ, *Carpsov. part.* 2. *constitut.* 3. *def.* 10. *n.* 7. In Germania Superiori & in Frisia sequimur Jus Civile, ut testatur *Gail lib.* 2. *obs.* 120. *n.* 16. In Hollandia, Zelandia, & diœcesi Ultrajectina requiritur tertia pars 100 annorum, *Grotius lib.* 2 *sect.* 7. *in fine. Radeland. decis.* 47. *n.* 6. *Goris adversar.* 9. *n.* 12.]

Tit. 4. Si pars hæreditatis petatur.

Quid, si partem hæreditatis quis petat?

Qui hæreditatem vel partem petit, is non ex eo, quod

quod possessor occupavit, sed ex suo jure jus metitur, *l.* 1. *§.* 1. *ff. h.* Nec, qui partem petit, hoc consequitur hac actione, ut à communione discedatur, sed incumbit judici, ut partem pro indiviso restitui jubeat, *l.* 7. *ff. h.*

Quid, si ex parte sim petiturus, cohæres autem meus possideat cum extraneo, cohæres vero tantum suam partem, à quo petam?

Ab extraneo, licet cohæres pro indiviso suam partem possideat, *d. l.* 1. *§.* 3. *ff. h.*

Quam partem petet hæres, si aliqui deliberent; vel filius, si uxor patris sit prægnans?

Siquidem aliqui deliberent, petet hæres tantam partem, quanta deberetur, si alii adiissent; salvo sibi reliquo, si postea non adeant, *l.* 2. *ff. h.* Et, si vidua patris sit prægnans, filius petet illam partem, quæ deberetur, si tres filii posthumi patri nascerentur, *l.* 3. *ff h.* Manet autem filio salva actio in posterum, si non tot nascantur, ut integram suam portionem consequatur.

Tit. 5. De possessoria hæreditatis petitione.

Quæ est possessoria hæreditatis petitio?

Quæ datur illis, quibus est edicto [a] prætoris bonorum possessio concessa. Eaque non competit, uti interdictum, ad solam possessionem; sed habet eundem effectum, quem civilis petitio hæreditatis, *l.* 1. 2. *ff. h.*

[a] Cum hodie Jus Prætorium cum Jure Civili in eandem consonantiam sit redactum, non est distincta petitio possessoria hæreditatis à civili ejus petitione, *Baro ad tit. instit. de bonor. possess. Autumnus h.*]

Tit. 6. De fideicommissaria hæreditatis petitione.

Quæ est fideicommissaria hæreditatis petitio?

Quæ datur iis, quibus ex fideicommisso est restituta hæreditas, *l.* 1. *ff. h.* contra illos, qui pro hærede vel possessore possident; non autem adversus eum, cujus est restituere hæreditatem, *l.* 4. *§.* 1. *ff. h.* Hæc eodem effectu est prædita, quo civilis petitio hæreditatis.

Lib. 6. Digestorum.

Tit. 1. De rei vindicatione. Tit. 32. Lib. 3. Cod.

Quid est Rei vindicatio?

Specialis in rem actio, qua Dominus rei specialis agit adversus possessorem ad restitutionem.

Quibus datur hæc actio?

Directa datur iis, qui vel jure gentium, vel jure civili sunt domini, *l.* 23. *C. h.* Etsi ab iis dominium abire speretur; uti, si conditio legati vel libertatis extiterit, *l.* 66. *D. h. l.* 205. *D. de Reg. Iur.* Datur & marito, constante matrimonio, *l.* 9. *C. h.* Uxori autem soluto matrimonio *l.* 3. *C. h.*

Contra quos datur?

Directa contra possessores, omnesque, qui suo vel alieno rem tenent nomine, restituendique habent facultatem, *l.* 9. *D. h.* Utilis, 1. contra eos, qui judicialiter sunt confessi se possidere, litique se obtulerunt, licet non possideant, *l.* 45. *ff. de pet. hered. l.* 7. *l.* 25. *l.* 27. *D. h. l. pen. D. de dol. l. fin. si usufr. pet.* nisi actor non ignoret eos non possidere, *d. l.* 25, 26. *D. h.* vel ii, qui se obtulerunt, negent, ante litem contestatam, se possidere, *d. l.* 25. 2. Contra eos, qui dolo malo desierunt possidere, *l.* 69. *ff. h. l.* 131. 150 *ff. de Reg. Iur.*

Quid, si quis desierit possidere lata culpa?

Siquidem ante litem inchoatam possidere desierit, non debet conveniri & condemnari, tanquam possessor. Etsi enim doli nomine veniat plerunque lata culpa, *l.* 226. *ff. de Verb. Signif* non tamen id hoc casu, quo agitur de summo præjudicio, recipiendum est. Interim, post litem contestatam desinens possidere lata culpa, condemnandus est, *l.* 36. *§.* 1. *ff. h.* sic tamen, ut, si desideret, cum litis æstimationem solvit, ipsi cedi debeant ab actore actiones, *l.* 63. *ff. h.*

Debetne distingui, si dolo quis desierit possidere, inter litem contestatam & non contestatam?

Sic plerisque videtur; sed reclamant textus, *in l.* 27. *§.* 3. *l.* 36. *ff. h.*

Quid,

Quid, si reus casu fortuito post litem contestatam possessionem amiserit?

Absolvetur: modo non fuerit in mora, postquam intellexisset, sibi nullam causam esse contradicendi; & aliter apud ipsum non perierit, quam apud actorem periisset, *l.* 14. *s.* 1. *ff. depos. l.* 12. *s.* 3. *ff. ad exhib. l.* 5. *ff. si cert. petat. l.* 40. *ff. de petit. hæred. l.* 15. *s f. l.* 17. *s.* 1. *l.* 21. *l.* 36. *pr. & s.* 1. *l. pen. ff. h. l.* 6. *s.* 3. *ff. de pignor.* Itaque, si actor rem fuisset dimicaturus, si possedisset, etiam is casus, quem mora præcessit, imputabitur reo, *d. Ll.*

De quibus rebus datur hæc actio?

De quibuslibet rebus, corporalibus & singularibus, *l.* 1. *ff. h.* mobilibus & immobilibus, etiam si sub eodem genere species plures petantur; veluti, si petatur grex, armentum, equitium, *d.l.* 1. *s. f. l.* 2. *l.* 3. *ff. h.* Imo omnes, quæ non prohibentur. Ast tignum, alienis ædibus junctum, res sacræ, exque omnes, quæ non sunt in commercio, hac actione non petuntur.

Quomodo debet hæc actio institui?

Debet exacte designari res, & utrum actor totam, vel partem, & quotam quis petat. Itaque in rebus, quæ constant pondere, pondus, in signatis, numerus, in iis, quæ mensurantur, mensura exprimetur, *l.* 6. *ff. h.* adeo ut manifeste constare debeat, qualis quantaque sit res. Debet præterea allegari à parte actoris [a] dominium; à parte rei possessio, *arg. s.* 1. *Inst. de action.* Imo & utile est, causam dominii adjicere, ne, si ex alia deinde agatur causa, obstet exceptio rei judicatæ, *l.* 14. *s.* 1. *& 2. ff. de except. rei jud.* Et tandem actor petet, se dominum declarari, & adversarium condemnari ad rem restituendam cum omni causa.

[a] Dominium rerum immobilium hodie recte probatur per ligitimam coram judice rei sitæ factam traditionem, *Grotius l.* 2. *p.* 5. cui rei addi potest probatio solutionis quadragesimæ, ut est in placito de quadragesima *art.* 11. traditiones autem ex causa dotis sufficiunt secundum modos ex J. Civili, *Neostad. decis.* 8. *Zypæus h.*]

Quos

Quos igitur fructus restituet possessor?

Bonæ fidei possessor non tenetur de [a] consumptis, licet sit factus locupletior, *§.* 35. *Inst. de rer. divis. l.* 48. *pr. ff. de acquir. rer. domin.* Verum de perceptis, qua locupletior est factus, *arg. d. §. & d. l.* Extantes vero cogitur omnes restituere, *l.* 22. *C. h.* Malæ fidei possessor, non tantum de perceptis, sed & quos percipere potuit, tenetur, *l.* 5. *C. h.*

[a] Idem etiam est definitum apud *Sande lib.* 3. *tit.* 15. *def.* 1.]

Quid juris est de impensis?

Bonæ fidei possessor via retentionis, oppsita exceptione doli, sumptus in rem factos sibi servat, qua fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedunt, *l.* 48. *ff. h. t.*

Quos igitur sumptus bonæ fidei possessor recuperat?

De necessariis nullum est dubium, quin eos etiam malæ fidei possessor recuperet, *l.* 5. *C. h.* In utilibus [a] ex personis & causis constituendum Finge, & dominum idem facturum fuisse: reddat impensam, qua pretiosior res est facta, &, si plus pretio fundi accessit, solum, quod impensum est: adeo, ut semper minimum præstari debeat, ut, si meliorationes superent impensas, impensæ solvantur; si impensæ meliorationes, præstentur [b] meliorationes, *l.* 38. *ff. h. l.* 58. *ff. de legat.* 1. *l.* 29. *§.* 2. *ff. de pignor.* Quod tamen sic accipe, ne possessor, qui in bona fide est, damnum patiatur, *arg. l.* 14. *ff. de condict. indebit.* Finge, pauperem esse dominum, sufficit permitti tollere sine detrimento rei, *d. l.* 38. sc. nisi pauper vendere velit, *d. l.* 38. *in fin.*

[a] Malæ fidei possessor etiam utiles hodie potest repetere, ne dominus locupletetur cum alterius jactura, *Autumnus in l.* 5. *C. h. Zypæus h. verf. rigide* [b] Hac de re agit egregie *Sande lib.* 3. *decis.* 15. *def.* 2. *& seqq.*]

Quid ergo de voluptuariis dicendum?

Tollere eos potest etam malæ fidei possessor, vel repetere, si dominus non sit paratus permittere ut tollantur, *d. l.* 38. *& l.* 9. *ff. de impens.* sc. ut dominus tantum det, quantum his ablatis habiturus est possessor, *d. l.* 38. *verf. constituimus.* Cæterum, bonæ fidei possessor

sor etiam eos deducere potest, quatenus cedunt in utilitatem domini, *arg. d. l. 38. junct. l. 14. ff. de condict. indeb.*

Quid, si possessor restituerit possessionem sine mentione impensarum?

Existimant aliqui, nullam actionem [a] dari, *per l. 48. ff. h. l. 33. ff. de condict. indeb. l. 14. ff. de except. doli.* Sed id nimis durum est. Quapropter ex æquitate, cum sæpe extra id, quod agitur, detur actio, propter utillitatem rei, putamus concedendam esse actionem utilem negotiorum gestorum, *l. 5. C. h. l. 6. §. 3. ff. de negot. gest.* vel condictionem sine causa, quæ generalis est, *l. 1. 3. ff. de cond. sin. caus.*

[a] Bonæ fidei possessor non tenetur possessionem rei quæ vindicatur tradere domino, nisi dominus solverit impensas liquidas, vel de liquidis caverit se soluturum: Ratio est in *l. 5. ff. de Statuliber.* & comprobatur à *Sande lib. 3. tit. 15. definit. 5.*]

A quo tempore fructus à bonæ fidei possessore percepti, sunt compensandi cum impensis?

Omnes [a] percepti, etiam ante litis contestationem, *d. l. 48. l. 65. ff. h.* Imo etiam consumti, *d. Ll.* scil. ut compensentur cum illis impensis, quæ eo tempore, quo percepti sunt fructus, factæ erant, *arg. d. Ll.*

[a] Imo & omnes percepti ex meliorationibus, *Sande d. tit. 15. defin. 3.*]

Quid, si tamen reus nolit rem restituere?

Si non animo frustrandi petat dilationem, modicum tempus, ex judicis arbitrio, ipsi concedendum est: modo præstat cautionem, *§. 2. Inst. de off. jud.* Sin ex contumacia nolit restituere, manu militari res ab ipso est auferenda: &, si non possit restituere, siquidem dolo fecit, præstaturus est, quantum adversarius juraverit in litem, sine ulla taxatione: si vero nec possit restituere, nec dolo fecerit, quanti adversarii interfuit, condemnandus est, *l. 68. ff. h.*

Tit.

Tit. 2. De Publiciana in rem actione.

Quæ est actio Publiciana?

Est actio in rem Prætoria, quæ datur ei, qui à non domino bona fide & ex justa causa rem accepit, & nondum usucepit, adversus quemvis possessorem, modo possessor non sit ipse dominus, *l. pen. & f. D. h. t.* ad rem, quam amisit, recuperandam cum omni causa.

Quæ debent concurrere, ut hæc actio locum habeat?

1. Ut autor, à quo res actori acquisita est, non fuerit dominus, *§. 4. Inst. de act.* 2. Ut actor bona fide & ex justo titulo rem sibi comparaverit, *d. §. 4.* 3. Ut res non sit usucapta, *d. §. 4.* 4. Ut res fuerit actori tradita, *l. 1. 2, 3. D. h.*

Quomodo ergo actor instituet actionem?

Cum narravit, se ab eo, quem putabat dominum, rem juste comparasse, & sibi fuisse traditam, petet, ut declaretur quasi dominus, adversariusque condemnetur ad rem restituendam cum omni causa.

Quid, si pretium nondum sit solutum?

Dabitur æque hæc actio, modo res animo dominii transferendi sit tradita, *l. 8. D. h.*

Tit. 3. Si ager vectigalis, hoc est, emphyteuticarius petatur.

Possuntne & agri vectigales actione in rem peti?

Possunt omnino. Sunt autem vectigales, quibus uti licet, quamdiu vectigal pendatur, *l. 1 pr. h.* Qui itaque in perpetuum fundum fruendum conduxerunt à municipibus, quamvis non efficiantur domini, tamen competit iis actio in rem adversus possessorem quemlibet, imo & ipsos municipes, modo vectigal actores solvant, *l. 1. §. 1. l. 2. D. h.*

Procedit ne hæc tantum in perpetuis?

Et in perpetuis, & in temporalibus: modo tempus non sit nimis breve, *l. 3. D. h. junct. l. 1. §. quod ait. D. de superfic.*

Datur ne & actio in rem aliis utilibus dominis?

Non est dubitandum quin & superficiariis, *l. 73.*

§. 1. &

§. 1. & *Ll. seqq. D. de rei vind.* aliisque similibus detur. sic & vasallis, *c.* 1. §. *rei autem. De investit. de re alien.* adeoque ratione sui juris, non directi dominii agant.

PANDECTARUM

LIBER VII.

Tit. 1. De Usufructu, & quemadmodum quis utatur, fruatur. Tit. 33. Lib. 3. Cod. & 4 Lib. 2. Inst.

Danturne & nomine servitutum actiones in rem?

ETsi proprie in servitutibus, quia sunt res incorporales, *l.* 3. *D. de acq. possess.* non sit possessio, sc. vera, est tamen talis, quæ consistit in usu: unde & res incorporales quasi possideri dicuntur, *l.* 3. *D. h. l. fin. D. de servit.*

Quid est servitus?

Jus, quo res aliena personæ vel rei nostræ utilitatem præstat.

Cur dicitur aliena?

Quia nemo jure servitutis utilitatem ex re sua accipit, & nulli res sua servit, *l.* 5. *D. si usufr. pet. l.* 26. *D. de servit. præd. urban.*

Quotuplex est?

Est vel personalis, vel realis. Personalis, cum res personæ inservit. Species servitutum personalium sunt ususfr., usus, habitatio, & aliæ similes.

Cur dicitur, & aliæ similes?

Quia multæ sunt, uti iter, aquæ haustus, qua ad personam certam referuntur, quæ sunt personales.

Quid est ususfructus?

Est Jus servitutis personalis, alienis rebus utendi fruendi. salva rerum substantia, *l.* 1. *D. h.*

Quomodo distinguitur à commodato & conductione?

Commodatum & conductio sunt contractus, nec perso-

personam directo afficiunt, nec cum persona extinguuntur: usufructus vero est servitus, quæ constituitur personæ per contractum, vel alium modum, & cum persona extinguitur.

Valetne distinctio usufructus in causalem & formalem?

Potest quidem doctrinæ causa retineri. verum usufructus, acceptus pro servitute, non est alius, quam formalis; cum hic tantum designet jus utendi fruendi alienis rebus salva substantia: ille vero nihil aliud sit, quam emolumentum, quod ex re sua quisque consequitur. Is itaque servitus dici non potest, cum in re propria nulli sit servitus, *l. 5. D. si. usufr. petat.*

Quomodo accipiendum est, quod usufructus sit pars dominii, l. 4. D. h. cum in l. 25. D, Verb. signif. id negetur?

Dominium est vel plenum, in quo est usufructus; hoc modo usufructus est pars dominii, *d. l. 4. D. h. l. 126. §. 1. D. de verb. oblig.* vel nudum, à quo usufructus, alteri constitutus, separatur; hoc modo, nec pars dominii est, nec dici potest. Unde tandem fit, ut causalem dicamus esse partem dominii, non formalem: quia formalis proprietati opponitur, *§. 1, junct. §. f. Inst. h.*

Quibus modis constituitur usufructus?

Constituitur, vel ex facto hominum, vel à sola lege. Ex facto hominum: 1. Per testamentum, *§. 1. Inst. h.* 2. Per contractum, *d. §. 1.* 3. Per Iudicem, in judiciis divisoriis, cum alteri proprietas, alteri usufructus adjudicatur, *l. 6. §. 1. D. h. l. 16. §. 1. D. fam. ercisc. l. 6, §. 10. D. comm. divid.* 4. Per usucapionem, decennio, inter præsentes, vicennio inter absentes, *l. f. C. de præscr. long. temp.* A sola lege. uti si patri in bonis filiifam. adventitiis constituitur, *l. 6. & f. Cod. de bon. quæ lib.* vel matri, quæ transiit ad secunda vota, in bonis, quæ ex successione liberorum prioris matrimonii ad eam pervenerunt, *l. 3. §. 1. Cod. de secund. nupt.*

In quibus rebus constituitur?

In omnibus fruitioni accommodatis, sive sint mobiles, sive immobiles, §. 3. *Inst. l.* 28. 41. *D. h.* vel in omnibus bonis, vel in bonorum parte etiam incerta, *l.* 29. 43. *D. h.*

Quomodo relinquitur?

Pure, vel sub conditione, *l.* 9. §. 4. *D. ad exhib. l.* 16. *D. quib. mod. usus fr. amitt.* etiam ad tempus, *l.* 16. §. 2. *D. fam. ercisc.* vel ex die, *l.* 4. *D. h.* tam pro parte divisa, quam indivisa, *l.* 5. *D. h.*

Quid, si usufructuarius omnium bonorum habuerit potestatem alienandi vel bona minuendi?

Non videtur relictus esse usufructus, sed proprietas cum onere [a] restituendi superfluum, adeo ut diminuere possit; non tamen in totum, sed tantum ad tres quadrantes, & quadrantem teneatur restituere, & de eo restituendo cavere, nisi cautio fuerit remissa, *Nov.* 108. *c.* 1. *junct. praef. ibid.* Imo & quartam, quam restituere debet, imminuere potest ex justa causa, vid. redemptionis captivorum, dotis, sponsalitiæ largitatis, *d. Nov.* 108. *c.* 1. *in fin.* si quidem aliam non habuerit substantiam.

[a] Idem & recte notat *Sande lib.* 5. *tit.* 3. *definit.* 4. debet a. usufructuarius, cui tam ampla potestas est data, inventarium facere; nam in tali amplitudine bona fides semper includitur, & bona fides non patitur ut inventarium non fiat, quod enim possit imminuere is, cui eo modo usufructus est relictus, id semper intelligitur sine fraude, *l.* 54. *D. ad SC. Trebell.* in verbis *Fideicommissi enim verbis bonam fidem inesse constat.* & deinde *viri boni arbitrium inesse creditur*, *Sande d. tit.* 3. *def.* 4. *Gail lib.* 2. *obs.* 145. pariter & usufructuarius cautionem præstare tenetur sc. in quantitatem quæ ex fideicommisso poterit peti *d. l.* 54 *in fine.*]

Annon ?, cui eo modo usufructus est relictus, tenetur conficere inventarium?

Æquius, est, ut, licet testator ipsi hoc remiserit, conficiat sumptibus petentis, *arg. l.* 54. *pr. versic. si non intervertendi. D. ad SC. Trebell.*

Qua

Quæ emolumenta habet usufructuarius?

Omnem fructum, sive res fuerit mobilis sive immobilis, *l.* 7. *D. h.* & quicquid dominus habere potest, *d. l.* 7. *versic. unde. l.* 59. *§.* 1. *D. h.* adeo ut, quæ domino in recognitionem vel feudi, vel emphyteuseos jure præstari solent, lucro usufructuarii cedant.

Quid, si sylvæ ususfructus sit legatus?

Si sylva fuerit cædua, i in hoc habeatur, ut cædatur, & quæ succisa ex stirpibus sive radicibus renascatur, *l.* 30. *D. de Verb. Signif.* potest eam usufructuarius succidere, quoties rami, virgulta, vel arbusta mediocri quantitate sunt renata; eaque potest, licet defunctus non soleret, vendere, *l.* 9 *§. fin. D. h.* & pedamenta & ramos ex arboribus sumet, *l.* 10. *D. h.* Si sylva non sit cædua, uti, quæ ex arboribus frugiferisconstet, & ad hoc habetur, ut ex fructibus utilitas quæratur; tantum ex ea succidere licet, quantum in vineam sufficiat, modo non fundum deteriorem reddat, *d. l.* 10. nec grandes arbores cædat, *l.* 11. *D. h.*

Quid, si ex sylva non cædua arbores evulsæ, vel per tempestatem ejectæ?

Amputare potest usufructuarius, quantum usui villæ suffecerit, modo non succidat in materiam lignorum, *l.* 12. *D. h.* Sed debet dominus eas tollere, *l.* 19. *§.* 2. *D. h.* Sin autem fuerint demortuæ, pertinent ad usufructuarium, ita tamen, ut novas substituat, *l.* 18. *D.*

Quid, si seminarii ususfructus sit relictus?

Pertinebit ad usufructuarium: eique vendere & seminare licebit. Debet autem seminarium agri causa paratum renovare, quasi sit instrumentum agri, ut finito usufructu, domino restituatur, *d. l.* 9. *§.* 6. *D. h.*

Quid, si navis ususfructus sit legatus?

Navigatum mittenda est, licet naufragii periculum immineat: navis etenim ad hoc paratur ut naviget, *l.* 12. *§.* 1. *D. h.*

Potestne

Potestne & lapidicinas & cretifodinas instituere?

Potest, [a] si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est: proinde & venas meta lorum inquirere ei permissum, easque, quas pater familias instituit, exercere, si nihil agriculturæ nocebit. Et, si forte in hoc plus sit, quam in vineis, arbustis, vel olivetis, etiam hæc dejicere poterit: siquidem ei permittitur meliorare, *l.* 13. *s.* 4. *& s.* 5. *D. h.*

[a] Siquidem renascantur lapicidinæ & cretifodinæ, quicquid usufructuarius ex iis acceperit, ei cedit; si a. non renascantur, concedetur usufructario tantum usus fructus pecuniæ, quæ redacta est ex venditione eorum quæ usufructuarius percepit, *Sande lib.* 5. *tit.* 3 *def.* 2.]

Quid, si vestimentorum verus usus fructus sit legatus?

Recte iis utetur usufructuarius, non tamen ea locabit, *l.* 15. *s.* 4. *D. h.* Proinde, etsi sint scenicæ vestes, iis tantum in scena utetur, imo & locabit, licet testator commodare, non locare fuerit solitus, *d. l.* 15. *s.* 5.

Potestne usufructuarius ædificium exstruere, vel servitutem imponere fundo?

Nec ædificium ponet in fundo, nisi quod ad fructus recondendos est necessarium, *l.* 13. *s.* 6. *in f. D. h.* Ita nec servitutem imponere potest, quia causam proprietatis deteriorem facere non debet, *l.* 15. *s.* 7. *junct. l.* 13. 4. *D. h.* Recte vero retinet servitutem, licet non acquirat, *d. l.* 15. *s.* 7. [a]

[a] Conferri ad explicationem, *l* 15. *s.* 7. possunt *Pinellus in l.* 1. *C. de bonis matern. part.* 2. *n.* 74. *Busius in d. l.* 15. *s. fin. Connanus lib.* 4 *comment. c.* 4. *n.* 3. *Anton. Faber in Ration. ad d. s. fin.* præstat a. rem explicare secundum sententiam *Busii*, eo sensu, quod proprietarius sine consensu usufructuarii non potest servitutem constituere, nisi eam quæ non sit inutilis usufructuario, ex quo sequitur verba, *d. s. fin.* habere aliquod mendum.

Potestne

Potestne proprietarius servitutem imponere?

Non potest, nisi qua deterior fructuarii conditio non fiat, *l.* 16. *D. h.* Non enim debet proprietatis dominus ita uti, ut deteriorem conditionem usufructuarii faciat, *d. l.* 15. *§.* 6.

Ad quæ onera fructuarius tenetur?

Debet rem usufructuariam reficere, si impensa sit modica, *l.* 7. *§.* 2. *D. h.* nam magna ad dominum pertinet, *l.* 13. *D. de damn. infect.* Quæ autem magna sit, à judice definiendum est. Quinimo, si hæres absente fructuario reficiat, habebit negotiorum gestorum actionem, *l.* 48. *pr. D. h.*

Quid ergo, si usufructuarius paratus sit recedere ab usufructu?

Non est cogendus reficere, & liberatur actione negotiorum gestorum, si proprietarius refecerit, etiam eo casu, quo refectio ad usufructuarium pertinet, *d. l.* 48. *&* 64. Imo & licet derelinquere post acceptum judicium, *d. l.* 64.

Annon & alia onera sustinere debet?

Agnoscit vectigalia, tributa, decimas, quæ ex re præstari debent, *d. l.* 7. *§.* 2. *l.* 27. *§.* 3. *D. h. c. à nobis. x. de decimis.* nisi in constitutione ususfructus aliter placuerit, *l.* 52. *D. h.* Et omnia [*a*] onera rei, quæ ad perpetuam rei causam non spectant, *d. l.* 27. *§.* 3.

[*a*] Æs a. alienum defuncti non exsolvit usufructuarius, ita ut ejus nomine conveniri non possit, *Gail lib.* 2. *obs.* 146. licet etiam usufructuario omnium bonorum sit impositum ut æs solvat, *Sande lib.* 5. *tit.* 3. *def.* 1.]

Quousque fructus ad usufructuarium pertinet?

Quamdiu vivit, siquidem vel ab ipso vel ab alio ejus nomine sint percepti, *l.* 12. *§.* 5. *D. h.* licet nondum sint devecti in horreum, *l.* 13. *D. quib. mod. ususfr.*

Quid, si fructus casu in terram deciderint?

Non sunt fructuarii, *d. l.* 13. nisi ab eo sint loco moti vel congregati, aut alio modo percepti.

Tit. 2. De Usufructu accrescendo.

Quid, si duobus vel pluribus ususfructus ejusdem rei sit relictus?

Si separatim sint relictæ partes, singulis suæ partes debebuntur, & deficientium portiones erunt proprietarii, *l.* 1. *D. h. junct. §. f. Inst. de usufr.* & jus accrescendi cessat, *d. Ll.* &, si non sit specialiter facta partis mentio, dimidia debebitur, *l.* 43. *D. de usufr.* Sin autem conjunctim sit relictus, deficientis vel deficientium portiones aliis accrescent, *d. l.* 1.

Quot modis fit conjunctio?

Tribus, aut re, aut verbis tantum, aut re & verbis simul, *l.* 142. *D. de Verb. Signif. l.* 89. *D. de legat.* 3.

Qui sunt re conjuncti?

Qui disjuncta oratione ad ejusdem rei usumfructum vocantur conjunctim sine partium mentione; hoc modo: *Titio usumfructum fundi Sejani do lego. Cajo ejusdem fundi usumfructum do, lego,*

Imo videtur sic fieri translatio & ademptio, l. 5. *D. de admin. legat.*

Distingui debet. aut enim quis legat hac formula: *usumfructum, quem legavi Titio, Cajo lego.* & est translatio, *d. l.* 5. aut *ejusdem* rei *usumfructum vel eundem usumfructum Cajo lego.* hæc formula est conjunctio, *d. l.* 142.

Imo disjunctio appellatur, §. 8. *Inst. de legat.*

Disjunctim quidem, *d. §.* 8. ratione verborum & orationis: alias recte conjunctim, respectu rei, ad quam duo plurésve vocantur, res legari dicitur.

Qui sunt conjuncti verbis tantum?

Qui una ac continua oratione, ad ejusdem ususfructus partes æquales vocantur; uti, *Titio & Sejo fundi Tusculani usum fructum æquis partibus lego, d. l.* 142.

Qui sunt re & verbis simul conjuncti?

Quos verborum & rei nexus copulat, ut: *Titio, Sempronio, & Cajo, fundi Tusculani usumfructum do lego, d. l.* 142.

Quid, si uni ususfructus, alteri fundus sit legatus?

Etiam inter hos est conjunctio respectu ususfructus, *l.* 3.

l. 3. §. 2. *D. h. l.* 12. *D. de usu & usufr. leg.* 33. *D. de usufr.* ac proprietas pertinebit ad eum solum, cui fundus est relictus, *Dd. Ll.*

Estne in omnibus conjunctionis speciebus jus accrescendi?

De re & verbis conjunctis, quia duplex in iis vinculum est, non est dubitandum, *l.* 1. *D. h. d. l.* 142. Pariter quoque in re tantum conjunctis, nisi quis dicere malit, in iis esse jus non decrescendi, *d. §.* 8. *Inst. de legat. junct. l. un. §.* 10. *&* 11. *D. de caduc. toll.* & in verbis conjunctis, recipiendum est, *arg. l.* 89. D. *de legat.* 3.

Annon unus ex conjunctis alteri præfertur?

Mixtim conjunctis, deficiente mixtim conjuncto, cæteris præfertur: Si re tantum conjuncti concurrant cum verbis tantum conjunctis, ac deficiant re conjuncti, neutri præferentur: si verbis tantum conjunctus deficiat, admittentur soli conjuncti verbis, *l.* 89. *D. de legat.* 3.

Imo videtur in conjunctis verbis tantum non esse jus accrescendi, propter l. 1, 3. *& pen. hic*

Nihil hæ leges probant; quia *d. l.* 1. intelligenda est de casu, quo separatim, non conjunctim, unicuique partis rei usufructus est relictus, hoc modo: *Titio partem dimidiam usufructus fundi Tusculani do lego: Seio alteram dimidiam.* Deinde, in *d. l.* 3. id tantum indicatur, quod sit jus accrescendi, quando in duobus, qui solidum habuerunt: concursu facto, divisus est usufr. At in conjunctione verbali, usufructus non est divisus, sed in ea partium fit mentio pro indiviso tantum, in spem concursus. Denique, *in l. pen.* proponitur casus, quo singulis ab hæredibus, singulis separatim, vel pluribus ex æquis portionibus, sc. à singulis hæredibus, usufructus est relictus; hoc autem casu nulla est conjunctio.

Quid de onere statuendum est?

Conjunctis re & verbis, vel verbis tantum, accrescit pars vacans cum onere adjuncto: conjunctis vero re tantum, sine onere, *l. un. §.* 11. *C. de caduc. tollend.* quia in re conjunctis non tam accrescit, quam non imminuitur

nuitur legatum; & conjuncti consequenter magis retinent sibi integrum legatum, quam partem aliorum acquirunt. E diverso, quia conjuncti mixtim & verbis tantum, magis ex personis deficientium, quam proprie, partes deficientium capiunt, non possunt, dum commodum acceptant, respuere onus impositum, *d. l. un. §. 11. vers. & ideo. junct. l. 177. D. de Reg. Iur.*

Tit. 3. Quando dies ususfructus legati cedat.

Quando cedit dies ususfructus?

Si pure sit relictus, ab adita hæreditate, *l. un. §. 2. D. h.* Si ex die legetur, non antequam dies venerit, *d. l. un. §. 3.* Nec etiam actio de usufructu ante competit, *d. l. un. §. 4.*

Quid, si ususfructus per annos singulos legetur?

Non cedit simul, uti quidem si simpliciter sit legatus; sed per tempora adjecta, adeo ut plura esse legata videantur, *d. l. 1. in pr.*

Tit. 5. Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur.

Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur?

Variis. 1. Morte [a] fructuarii, *§. 3. Inst. de usufr. l. 3. l. pen. Cod. eod.* Nec ad hæredem transmittitur, nisi ita speciatim cautum. Quinimo, si hæredum facta sit mentio simpliciter, hæredes primi intelligentur, & omnes reliqui successores & substituti excludentur, *l. 14. Cod. de usufruct.* non vero finietur morte ejus, qui usumfructum contractu constituit, *l. 3. §. 1. C. eod.* 2. Capitis diminutione, maxima & media, *§. f. Inst. l. pen. §. f. C. eod.* 3. Non utendo per modum & tempus. Per tempus, ut decennio inter præsentes, vel vicennio inter absentes, *d. l. pen. C. & l. pen. C. de servit. l. f. C. de præscript. long. temp.* scilicet, si non utatur intra hoc tempus per se vel per alium. potest enim ad alios transferri, *l. 12. §. 2. D. de usufr.* scil. ut jus ipsius servitutis maneat radicatum in persona usufructuarii. Per modum, si intra tempus lege constitutum non utatur fruatur ad modum præscriptum,

vel, si quis modum, qui pro conditione est, nolit adimplere, *arg. l.* 1, 2. *C. de h. q. sub modo.* 4. Si proprietario sit cessus, vel usufructuario obvenerit proprietas, *§.* 3. *Inst. de usufruct.* Si autem extraneo sit cessus, non finietur ex eo, sed nihil actum est. 5. Interitu rei: est enim ususfructus jus in corpore, quo sublato, & ipsum jus tollitur, *l.* 2. *D. h.* unde, si ædes perierint, ne quidem ususfructus areæ debebitur, quia non areæ, sed ædium ususfructus est relictus, *l.* 1. *§.* 3. *l.* 10. *D. h.* 6. Adjecti temporis vel conditionis existentia, *l.* 5. *l.* 12. *vers. sin autem C. de usufr.*

[a] Licet morte usufructuarii ususfructus amittatur, tamen sumptus in rem facti sunt refundendi, *Peckius de testam. conjug. lib.* 5. *c.* 24. *n.* 7. *Christin. ad LL. Mechlin. tit.* 15. *art.* 5. *n.* 6. & sic si in fructus aliqua impendia sunt facta, & ea sunt hæredibus usufructuarii solvenda ex ratione, *l.* 51. *pr. vers. quia nullus D. Famil. erciscr.*

Quando exspirat ususfructus relictus universitati?

Spatio centum annorum, *l.* 56. *D. de usufr.* nisi universitas ante fuerit sublata: veluti, si civitas baratrum sit passa, *l.* 21. *D. h.* Itaque, si oppidum per tempus sit desertum, jus pristinum retinetur vel recuperatur, *arg. l.* 85. *D. de Verb. Signif. junct. l.* 7. *§.* 1. *D. q. cui usq.*

Quid, si ususfructus annuus sit relictus?

Non amittetur non utendo, quia plura sunt legata, *l.* 28. *D. h.* nisi singuli anni spectentur. potest enim præscriptio fieri ex præteritis, sed non futuris annis, quia in futuris dies interpellat pro homine, & ideo nunquam usumfructum futurorum annorum quis recte possidet, *arg. l.* 14. *Cod. de contrah. stipul.*

Amittiturne etiam ususfructus abusu?

Non ita simpliciter, sed tunc demum, cum ingens infertur damnum, *arg. l.* 9. *§. f. D. de damn. infect. l. ejus. C. de aqua duct. auth. in rem. C. de SS. Eccles.*

Tit.

Tit. 5. De usufructu earum rerum quæ usu consumuntur.

Potestne & utiliter in rebus, quæ usu tolluntur, vel minuuntur, ususfructus constitui?

Propter utilitatem rerum censuit senatus, etiam usumfructum constitui quo SConsulto non id effectum, ut proprie esset earum rerum ususfructus; nec enim authoritate senatus naturalis ratio commutari potest; sed remedio introducto cœpit quasi ususfructus haberi, *l.* 1. & 2. *D. h.*

Quomodo hoc introductum est?

Ut tantundem restitueretur quantum pretii est in ipsis rebus, *s.* 2. *Inst. de usufr.*

Quæ sunt illæ res, quæ usu tolluntur vel minuuntur?

Quarum usus non est, nisi in abusu: quales sunt, pecunia, oleum, frumentum, & similes, *d. l.* 1. & *d. s.* 2.

Quid juris est circa numismata vel vestimenta?

Numismatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti solent, verus ususfructus recte legatur, si testator de speciebus restituendis cogitaverit, *l.* 28. *D. de usufr.* In vestimentis primum spectanda est voluntas testatoris, quam sequi oportet. Si de ea non constet, distinguendum est inter ea, quibus rarissime utimur, ut sunt scenica, & similia; in hisce verus erit ususfructus: & ea, quæ in quotidiano sunt usu; in hisce erit quasi ususfructus, *l.* 15. *s.* 4. & 5. *D. junct. s.* 2. *Inst. de usufr.*

Quid, si pecunia legata, ut post mortem legatarii ad alium redeat?

Licet usus sit facta mentio: tamen legata proprietas censetur sub onere fideicommissi, *l. f. D. h. l.* 15. *D. de aur. & arg.* nisi constet, testatorem imperitia lapsum de usufructu sensisse, *l.* 15. *D. de usu & usufr. leg.*

Sed quid refert, utrum ex causa fideicommissi, an ex causa usufr. restituere quis debeat?

Magna est differentia. usufructuarius cum sibi non possideat, proprietario nullam facit restitutionem: fiduciarius autem ipse interim dominus est, antequam

restituere debeat, Et si fideicommissarius vel nolit acceptare, vel nequeat, quia conditio deficit, manebit fideicommissum apud gravatum & ejus hæredes. *l. un. §. sin autem. C. de caduc. toll.*

Tantumque per legatam quasi ususfructus constituitur?

Videtur statuendum. Sed, re bene perpensa, certum est, etiam constitui per contractum: quia in genere omnes servitutes contractu constitui posse, placuit: & in specie contrarium de quasi usufructu non est traditum.

Annon igitur hoc casu erit mutuum?

Nequaquam: quia in mutuo non est jus personale, quale est in quasi usufructu; sed tantum conventio de restituendo eo, quod mutuo datum est,

Quibus modis finitur?

Morte naturali & civili usufructuarii, *l. 9. & 10. D. h.* non verò non utendo, non interitu rei: quia dominium in usufructuarium est translatum, & res non in specie, sed in genere est restituenda.

Tit. 6. Si ususfructus petatur, vel ad alium, &c.

Quæ actiones nomine ususfructus competunt?

Siquidem ex contractu debeatur, movenda est actio personalis ex obligatione, quæ descendit ex contractu ex quo est alter obligatus: sin autem ex jure constituto sit agendum, proditæ sunt actiones in rem: quibus non agitur adversus eos qui obligati sunt ad servitutem præstandam, sed qui res usufructuarias detinent, & ita usumfructum impediunt. Suntque actiones confessoriæ, vel negatoriæ.

Quæ est actio confessoria?

Qua fructuarii agunt ad restitutionem ususfructus ex re ab alio possessa, sive fuerit ipse dominus, sive alius possessor, *l. 1. & 5. D. h.* cum fructibus perceptis, & omni eo, quod interest, *d. l. 5. §. 7.*

Quare non datur dominis? & si non detur, quomodo domini jus suum persequentur?

Quia dominus in sua re non habet jus servitutis sibi constitutum, hoc est, jus utendi fruendi separatum, *d. l.*

d. l. 5. D. h. &, si re sua uti impediatur pro re nata, vel utetur interdicto Uti possidetis, vel Unde vi, vel rem vindicabit, vel instituet actionem negatoriam,

Quid, si quis desierit possidere, velliti se obtulerit?

Si sine dolo desierit, absolvetur, *arg. l. 6. h.l. 27. §. 1. de rei vind.* Si se liti obtulerit, & quasi possessor actionem acceperit, pro possessore damnabitur, *d. l. 6. & l. 25. D. de rei vind.*

Qua forma proponitur actio confessoria?

Cum actor narravit jus ususfructus recte sibi constitutum, adversariumque id impedire, petit, id jus suum declarari, hoc est, sibi esse jus utendi fruendi, adversariumque condemnari, ut rem restituat cum omni causa, atque patiatur actorem iis rebus uti frui, & de cætero non impediat.

Qua est negatoria?

Hæc datur domino fundi, adversus eum, qui usumfructum sibi usurpat, *§. 2. Inst. de action.*

Quare hæc magis domino datur, quam confessoria?

Quia dominus hic agit de servitute quam alter sibi usurpat & contendit de libertate rei suæ, negando servitutem.

Qua forma hæc actio est instituenda?

Præmissa narratione convenienti, petit actor dominus, ut Iudex declaret, suas res liberas esse ab usufructu, & reo non esse jus utendi fruendi, ac proinde reum condemnari ad restitutionem rerum, cum omni causa, *d. l. 5. §. 5. & seqq. D. h.*

Tit. 5. De Operis Servorum.

Quid juris est in operis servorum?

Operis servorum legatis, secundum nonnulla usus, *l. 5. D. h.* secundum nonnulla ususfructus videtur esse legatus, *l. 3. & 4. D. h.*

Tit. 8. De usu & habitatione.

Quid est usus?

Est servitus personalis, qua datum est jus alienis rebus

bus utendi, in quantum necessitati personæ secundum ejus conditionem & dignitatem sufficit.

In quibus convenit cum usufructu, & ab eo differt?

Convenit, quod iisdem modis in genere constituatur & finiatur, *pr. Inst. h.* Differt in multis. 1. Quod usufructuarius omnes consequatur fructus: usuarius tantum eos, qui inserviant necessitati quotidianæ, 2. Quod usufructuarius omnia possit aliis cedere gratis vel accepto pretio: usuarius nec jus suum cedere, nec quid vendere, nisi nullus sit alius usus, quam per venditionem, *l.* 22. *D. h.* 3. Quod usufructuario possit pro parte jus constitui, *l.* 5. *D. de usufr.* non usuario, *l.* 19. *D. h.* licet plures possint usum habere. unde usus dicitur individuus: ususfructus dividuus, *l.* 24. 25. *D. quib. mod. ususfr. amit. l.* 1. *§.* 9. *D. ad leg. falcid.*

Quid juris est in usu ædium?

Ut usuarius eas habitare, una cum familia, hospites excipere, &, si fœmina sit usuaria, maritus quoque ibi morari queat. & vice versa, *l.* 2. *§.* 1. *l.* 3. *& seqq. D. h.*

Quid, si amplæ domus sit relictus usus?

Licet usuarius non possit occupare totam domum: tamen iis, quæ vacabunt, conclavibus proprietarius non utetur. quia vel licebit usuario aliis temporibus tota domo uti, *l.* 22. *§.* 1. *D. h.* vel recipere usuarius poterit inquilinum, à quo percipiet pensionem, dummodo ipse inhabitet, *l.* 2. *&* 4. *D. hic.*

Quid juris est in fundo?

Potest. 1. in fundo habitare, modo non impediat eos, per quos opera rustica fiunt. 2. Omnibusque fructibus uti ad usum quotidianum, quantum sibi, suis, hospitibus & conviviis sufficiat, *l.* 10. *§. f. l.* 11, 12. *pr. & §.* 1. *D. h.*

Quid juris in jumentis?

Poterit iis uti, non aliis locare. Itaque, si armenti boum usus sit relictus, & ad arandum, & ad cætera, ad quæ boves apti sunt, uti potest, *§.* 2. *Inst. d. l.* 12. *§.* 3. *D. hic.*

Quid

Quid in usu pecudum?

Ut non fœtu, non lacte omni fruatur; sed modico, *d. l.* 1. 2. *s.* 2. sc. quantum moderate sufficiat.

Quomodo hoc accipiendum est: Fructus sine usu esse non potest?

Is, qui fructum, hoc est, usumfructum habet, non potest non habere usum quoad se, *l.* 14. *s.* 1. *D. h.* Si vero usuarius consideretur in abstracto, potest esse usus sine fructu, *l.* 5. *s.* 2. *D. usufr. quemadm. cav.*

Quis reficiet rem, cujus usus est relictus?

Proprietarius, si ex ea accipiat fructus, sive sit hæres, sive legatarius: si proprietarius non percipiat fructus, usuarius reficere cogendus est, *l.* 18. *D. h.*

DE HABITATIONE.

Quid est habitatio?

Est jus habitandi ædes alienas jure servitutis.

In quibus cum usu ædium convenit, & ab eo distinguitur?

Convenit, quod iisdem modis constituatur, quod in hæredes transferri non possit, *l.* 10. *pr. D. h.* Differt, quod plus in habitatione sit, quam in usu: nam, cui habitatio relicta est, ædes alteri locare, quamvis ipse non inhabitet, potest, *s. pen. Inst. h.* Quod habitatio tantum amittatur morte naturali, non civili, *d. l.* 10. *D. h.* nec non utendo pereat, *d. l.* 19.

Tit. 9. Usufructuarius quemadmodum caveat.

Quomodo cavebit usufructuarius?

In vero usufructu & usu duo sunt membra cautionis. unum est, de utendo fruendo ad arbitrium boni viri, hoc est, utendo ita, ut viro bono convenit. alterum est, de re usufructuaria restituenda finito usufructu, *l.* 1. *pr. & s.* 36. *l.* 11. *D. h. l.* 4. *C. de usufr.* In quasi usufructu unicum est, de restituenda re in genere, sive ejus æstimatione, finito usufructu, *s.* 2. *Inst. de usufr.*

Sunne hæ cautiones de substantia?

Nequaquam, sive verus, sive quasi ususfructus petatur;

tatur: quia nonnullis personis remissæ sunt, & usus-fructus vel quasi ante cautionem subsistit, *l. 5. §. 1. D. de usufruct. ear. rer.* Interim tamen necessariæ sunt, quoties hæres eas exigere voluerit. Nec potest quis usumfructum consequi, nisi eas præstiterit, *l. 1. C. de usufruct.*

Possuntne remitti à testatore?

Nequaquam, *l. pen. C. ut in poss. legat.* licet illa cautio, quæ fit fideicommissi causa, recte remittatur, *d. l. pen. l. 1. D. ut in poss. legat.*

Quibus ergo remittitur?

1. Fisco: quia cum is semper locuples censeatur, non solet satisdare, *l. 3. §. 5. D. si cui pr. l. 1. §. 18. D. ut legat. serv. caus. cav.* 2. Patri, in bonis adventitiis filiorumfam. *l. f. §. fin. autem. Cod. de bon. q. liber.* 3. Donatori [a], qui proprietatem reservato usufructu donavit, *arg. l. 28. D. de Reg. Iur. l. 7. D. ut legat. nom. caveat.* 4. Si ex die proprietas alicui legata sit, usus-fructus pure: quia certum est, ad eum, vel ejus hæredem, proprietatem perventuram, *l. 9. §. 2. D. h.*

[a] Vide *Mynsing. cent. 5. obs. 36.* pariter & vasallus qui feudi suo modo usumfructum habet, non solet cavere, *Mynsingerus d. loco.*]

Facitne fructuarius fructus suos ante præstitam cautionem?

Non est dubitandum, modo bona fide nactus sit & ex voluntate proprietarii possessionem rerum usufructuariarum: quia cautio omissa tantum condicitur, non fructus aut usuræ petuntur, *d. l. 5. §. 1. ff. de usufr. ear. rer. l. 5. l. 9. §. 4. ff. ad exhib.*

Sed annon is, qui non cavit, tenetur de percipiendis?

Benignius est, fructus à tempore litis super cautione præstanda contestatæ ad proprietarium pertinere, si tergiversetur usufructuarius, *l 13. pr. ff. de usuf.*

Quomodo debet fieri cautio?

Vel per fidejussores, vel pignora [a]: cautionis enim nomen generaliter accipitur, *l. 1. §. 9. ff. de collat.*

[a] Idem confirmatur à *Mynsingero 6. obs. 48.* & quidem Camera Imperialis admittit proprietario, si usufructuarius sit pauper, usum ad certam pensionem

nem præstandam usufructuario, sc. ex causa necessitatis, cum res non commode aliter potest expediri, *Mynsing. d. loco.*]

Quando dabitur actio adversus usufructuarium, si contra cautionem agat?

Finito usufructu: sed recte faciet proprietarius, si in testatum redigat, quales res sint, cum iis frui incipit usufructuarius, & ab usufructuario exigat cautionem, ut, si non recte iis utatur, committatur statim stipulatio, *l. 1. §. 4. & 5. ff. h.*

Quid, si usufructuarius non possit invenire fidejussores, nec habeat pignora?

Si homo sit frugi, præstabit juratoriam [a] cautionem, *Nov. 112. c. 2. Auth. generaliter C. de episc. & cler.* Si sit vitæ suspectæ, locari præstat rem tertio, vel credi domino, ut is pro fructibus solvat, *l. 7. §. ult. D. qui satisdare cog. arg. l. 5. §. Imperator. ff. ut legat. nom. cav.* Quid vero fieri debeat partibus dissentientibus, ex æquo & bono judex æstimet.

[a] An & quatenus juratoria cautio recipiatur, tradit *Gail lib. 2. obs. 47.*]

PANDECTARUM

LIBER VIII.

Tit. 1. De Servitutibus. Tit. 34. Lib. 3. Cod.

Quæ est servitus realis?

EST, qua res aliena nostræ rei servit, hoc est, utilitatem præstat.

Cur dicitur, utilitatem præstat?

Quia quoties nec hominum, nec prædiorum utilitas versatur, non valet; veluti, *ne per fundum tuum eas aut ibi consistas, l. 15. ff. h. l. 5. §. 1. ff. de serv. præd. rustic.*

Imo videtur, quod inutilis servitus constitui possit. l. pen. ff. h. l. fin. si servit. vind.

Non ea servitus, quæ nec est nec esse potest utilis, sed quæ tantum potentia est utilis, & ex eventu aut in futurum aliquando commodum adferre potest, constituitur, *d. l. pen. & f.* Utile enim & illud dici potest, quod quandoque commodum adfert, *arg. l. 5. ff. si servit. vind.*

Imo & ex amœnitate constituitur servitus, l. 3. ff. de aq. quotid. & æstiv.

Recte, quia ea ratione etiam aliqua est prædii utilitas.

Quibus modis constituitur realis servitus?

1. Contractu, [a] per quem realiter constituitur, si quis, post promissionem, passus sit alterum servitute uti, *arg. l. fin. ff. h. junct. l. 3. ff. de Oblig. & act. 2.* Testamento, per quod immediate acquiritur, *l. 80. D. de l. g. 2.* 3. Præscriptione longi [b] temporis, *l. 2. fin. C. h. l. fin. C. de præsc. long. temp.*

[a] Pro regula notandum in hac materia, quod quælibet res præsumatur libera; itaque qui servitutem allegat, debet probare eam esse constitutam ex modis quibus constitui solet, *Gail l. 2. obs. 69. n. 2, 3.* [b] In Saxonia præscribuntur 31 annis & die, *Carpzov. p. 2. constit. 4. def. 8. Berlich. p. 2. conclus. 6. n. 11.* In Hollandia requiritur lapsus tertiæ partis 100 annorum In servitutibus negativis, ut altius non tollendi, luminibus non officiendi, demum præscriptio procedit à tempore factæ prohibitionis, factæ ab eo qui servitutem allegat, *Gail lib. 2. d. obs. 69.*]

An ergo non desideratur titulus?

Non videtur, *l. 10. ff. si servit. vindic.* Verum contrarium est probabilius, *arg. pr. Inst. de usucap. l. un. Cod. de usucap. transform. l. 24. C. de rei vind. l. 8. in pr. C. de præscript. 30 ann. arg. l. 2. C. h.*

Quid ergo respondendum ad d. l. 10.?

Textus is debet accipi de illo, qui jam præscripserat, is enim non ulterius est inquietandus. Deinde, inferri potest ex eo textu, non desiderari, ut probetur titulus; verum nequaquam is textus rejicit titulum.

lum. Aliud enim est, non probari debere; aliud, non requiri titulum.

Quid dicendum est de scientia domini?

Illam non requiri manifestum est ex *l. fin. C. de præsc long. temp. l. un. C. de transform. usucap. l. 2. C. h. l. 5. §. 3. D. quod vi aut clam.*

Quid, si servitus constituatur, ne aliter sit ejus usus, quam alternis annis?

Tempus præscriptionis duplicatur, *arg. l. 7. D. quemad. servit. amit. l. fin. Cod. h. t. c. de quarta. x. de præscript.*

Quis constituere potest?

Tantum prædii dominus: *servitus enim realis res ipsus earumque dominia afficit. l. 6. pr. D. Comm. præd.* In re vero communi nemo dominorum jure servitutis quicquam, altero invito, facere potest, *l. 26. de urb. serv. pr.*

Potestne ex tempore vel ad tempus constitui?

Servitutes ipso quidem [a] jure, neque ex tempore, neque ad tempus, neque sub conditione, neque ad conditionem constitui possunt: sed tamen, si hæc adjiciantur, per pacti vel doli exceptionem occurretur contra placita servitutem vindicanti, *l. 4. D. h.* Promissio servitutum vero recte admittit diem vel conditionem, *l. 25. §. 10. D. fam. erciscæ.*

[a] Cum hodie pacta honesta producant validam actionem, consequens est quod si dies vel conditio ex pacto adjiciatur, etiam ipso jure ea adjectio robur habeat.]

Potestne modus adjici?

Potest; veluti, quo genere vehiculi agatur, vel non, &c. *l. 2. §. 2.* Sic intervalla dierum ipso jure recte adduntur, *d. l. 4. §. 2.*

Potestne servitus pro parte dominii acquiri?

Servitus realis, quia usus ejus est individuus, pro parte in obligationem non deducitur, *l. 17. ff. h.* sic & dominus rei pro parte, nec aquirere, nec adimere potest, sc. si rei pars sit indivisa, *l. 6. §. si quis partem ff. com. præd.*

Si simpliciter servitus sit concessa, quid juris?

Si per fundum sit concessa, totus fundus servire

censetur in infinitum, qua alter non læditur, *l. 9. D. h. l. 21. D. de servit. rust. præd.* Quapropter, ne quis in infinitum vagetur, solet certa pars assignari, quæ serviat, *l. 13. §. 1. ff. de servit. præd. rustic. l. 22. ff. eod.*

Cujus erit electio, si pars nulla sit assignata?

Videtur electio permitti debitori, modo captio alterius evitetur, *l. 26. ff. de servit. præd. rustic. l. 9. ff. h.*

Quomodo distinguitur servitus realis?

Est vel urbana, vel rustica, *tot. tit. Inst. h.*

Tit. 2. De servitutibus urbanorum prædiorum.

Quæ est servitus urbana?

Quæ prædio urbano constituta est. Est autem prædium urbanum, ædificium ad inhabitandum exstructum, *§. 1. Inst. h. tit.*

Unde æstimatur urbanum prædium?

Non ex loco, sed ex materia sive usu, *l. 198. ff. de Verb. Signif.* sive igitur ædificia sint in oppidis, sive ruri, semper urbana censenda, *d. §. 1. & d. l. 198.*

Stabula suntne urbana prædia?

Si ad usum rusticum, uti ad pecora stabulanda, vel ad fructus fundi condendos, sint exstructa, sunt rustica: si ad merces recondendas, vel alium usum urbanum inserviant, urbana sunt, *d. l. 198.*

Quid statuendum de hortis?

Si sint in ædificiis, vel eorum continentibus, urbana sunt prædia: Sin aliter, magis non sunt urbana, *d. l. 198. junct. l. 4. §. 1. ff. in qui. caus. pign. tac.*

Refer nonnullas species servitutum urbanarum?

Sunt variæ. 1. Altius tollendi, *l. 2. ff. h. §. 2. Inst. de act.* cujus jure vicinus cogi potest ad certam altitudinem ædificare: vel vicinus habet facultatem altius ædificandi præter usitatum ex lege vel statuto morem. 2. Altius non tollendi, per quam Domino prædii dominantis concessum est jus à vicino, ut is vicinus altius ædificare non possit, *arg. d. l. 2.* 3. Ne luminibus officiatur, qua constitutum est jus, ut quis vicini lumina non possit reddere obscuriora, sive id fiat plantatione arborum, sive altiori vel depressiori ædi-

ædificio, sive alio modo, *l.* 15, 17. *ff. h.* cum alias, cui servitus altius non tollendi est constituta, viridariis vel arboribus plantatis offici ejus luminibus possit, *l.* 12. *ff. h.* 4. Luminum. per quam constitutum est jus, lumina, hoc est, fenestras [*a*] habendi in vicini vel communi pariete, *l.* 4 *l.* 15. *l.* 40. *ff. h.* 5. Prospectus. qua quis tenetur in suum locum, aream, vel hortum, prospectum vicini admittere. 6. Ne prospectui officiatur: cum quidem non est datus prospectus in certum locum, sed id jus constitutum, ut vicinus non possit libertatem prospectus etiam in alia loca impedire. 7. Tignum immittendi in alterius parietem, *d. l.* 2. 8. Projiciendi. per quam licet emittere è nostro pariete, ut provehatur quidem supra alienum, non vero in eo requiescat, *l.* 242. *§.* 1. *ff. de verbor. Sign.* 9. Oneris ferendi. per quam vicinus in sua columna vel pariete cogitur onera nostra ferre. In qua receptum est (etsi generaliter verum sit, servitutum non eam esse naturam, ut quis faciat, sed quid patiatur, *l.* 15. *ff. de ser.*) quod columnam restituere debeat columnæ dominus, *l.* 33 *ff. h. junct. l.* 6. *§.* 2. *ff. si serv. vind.* quod verum est, nisi dominus prædii servientis rem derelinquere velit: id enim permittendum est, *d. l.* 6. *§.* 2. Hisce addi possunt aliæ species, quales recensentur in *l.* 2. *& seqq. ff. h.* atque aliis locis.

[*a*] Solet quæri an cuiq; liceat nulla servitute constituta fenestram aperire in suo pariete? Resp. Negat *Duarenus ad pr. tit. de servit. præd. Costalius ad l.* 4. *D. de servit. præd.* per *l.* 40. *ff. h.* 2. quia lumina habendi jus est servitus. 3. quia nemo debet alteri nocere & incommodum adferre. Affirmat a. *Donellus* 11. *comment* 5. & *Connanus* 4. *comment.* 10. cuilibet enim permissum est re sua uti pro libitu, nec injuriam is infert, qui re sua & jure suo utitur: Horum sententia est verior, nec obstat *d. l.* 40. quia ea agit de immissione luminum seu fenestrarum non in suum, sed communem parietem cæcum; & ad rationem secundam dicendum, quod qui in suo aperit fenestram, utatur jure suo, & tantum dominio suæ rei; Ad tertiam, quod nemo alteri noceat, qui in suo quid facit citra directum detrimentum alterius.

An-

Annon etiam iter, & similes, quæ alias rusticæ censentur servitutes, aliquo modo sunt urbanæ?

Sunt omninò. sc. quà debentur urbano prædio. Est enim regula certissima, servitutes ab eo prædio, quod dominatur, denominari. Si igitur iter, vel similes servitutes, ædibus debeantur, urbanæ sunt, quemadmodum & altius tollendi, vel non tollendi, si prædio rustico debeantur, rusticæ sunt.

Tit. 3. De servitutibus præd. rusticorum.

Quæ sunt servitutes rusticæ?

Quarum usus ad prædium rusticum refertur. Species prædiorum rusticorum sunt, fundus, villa, hortus, stabulum, horreum, &c.

Quæ sunt species servitutum rusticarum?

Præcipuæ sunt, iter, actus, via, æquæductus. ad quas accedunt & aliæ, *l. 2. ff. h. t.*

Quid est iter?

Est jus eundi & ambulandi hominis per fundum alienum, sc. ad suum prædium rusticum, *pr. Inst. l. 1. D. h.* non tantum, quà quis pedes, sed & qua eques commeat, *l. 12. D. h.* & sella aut lectica vehitur, *l. 7. ff. hic.*

Quid est actus?

Ius agendi vel jumentum vel vehiculum, *l. 1. 7. ff.* adeo ut, quicquid eundi vel agendi gratia fiat, ad actum referri possit *d. 7.* quique habet actum, etiam iter ex consequentia habere dicatur, *d. l. 1.*

Quid est via?

Est jus eundi, agendi, & ambulandi, & trahendi lapidem, hastamque rectam ferendi, modo fructus non lædantur, *d. l. 1. vers. via. l. 7. D. h.*

Quæ est latitudo harum servitutum?

Actus & itineris non est certa, nisi fuerit à contrahentibus, vel testatore determinata: quod si non factum, & quis certam latitudinem constitui velit, ad arbitrium judicis confugiet, *l. 13. §. 2. D. h.* Viæ verò latitudo certa est, in porrectum octo, in anfractum, id est, ubi flexa est, sexdecim pedum; *d. l. 13. §. 2. junct. l. 8. D. h.* Et, si locus non adjecta latitudine nomina-

minatus sit, per eum qua libet iri poterit. Sin autem in fundo locus non sit demonstratus, una poterit eligi via latitudinis legitimæ: de quo si dubitetur, arbitri officium invocandum est, *d. l.* 13. *§. fin.*

Quid, si nimis angusta constituatur via, ut neque vehiculum neque agi jumentum ea possit?

Est magis iter, quam via, vel actus, sed si jumentum ea duci poterit, non vehiculum, actus videtur acquisitus, *l.* 13. *D. de servit.*

Quid, si pro parte legetur vel adimatur?

Neque legatum, neque ademtio valet, *l.* 11. *in f. ff. hic*

Quid est aquæductus?

Est jus aquæ ducendæ per fundum alienum, ad sui prædii commodum, *d. l.* 1. *vers. aquæductus.* Hac servitute constituta licebit fistulam suam in rivo ponere, quæ aquam latius exprimat, &, quod velit, in rivo facere, dum ne domino prædii aquagium deterius faciat, *l.* 15. *ff. h.*

Potestne per eum locum, per quem alteri via est data, alii aquæductus cedi?

Non potest, *l.* 14. *ff. h.* Nec enim jus quæsitum alteri invito adimi potest.

Quomodo aliæ servitutes, videlicet, jus pascendi in alieno, fructus cogendi, coactosque habendi, pedamenta sumendi, lapides projiciendi, cædendi, provolvendi, exportandi, itineris ad haustum, l. 3. *D. h. calcis coquendæ, lapides eximendi, sylvam cædendi, tugurium habendi, l.* 6. *ff. h. & similes servitutes, sunt rusticæ?*

Non aliter, quam quâ ad utilitatem prædii rustici fuerint constitutæ: aliàs enim, si ad commodum personæ tantum spectent, sunt personales: si ad utilitatem prædii urbani pertineant, sunt urbanæ.

Tit. 4. Communia prædiorum tam urbanorum quam rusticorum.

Quæ sunt communia servitutibus tam rusticorum, quam urbanorum?

Ea sunt varia. 1. Sine prædiis præsentibus aut futuris constitui non possunt, *l.* 1. *§.* 1. *D. h.* Futuro autem ædificio servitus recte acquiritur, *l.* 23. *§.* 1. *D. de servit.*

vit. præd. urb. l. 10. *D. de servit. præd. rustic.* Et quæcunque servitus fundo debetur, omnibus fundi partibus debetur: & ideo, quamvis particulatim venierit, omnes partes servitus sequitur, ita ut singuli recte agant, jus sibi esse: si tamen fundus cui servitus debetur, certis regionibus inter plures dominos divisus sit, quamvis omnibus partibus servitus debeatur; tamen opus est, ut hi, qui partes non proximas servienti fundo habebunt, transitum per reliquas partes fundi divisi jure habeant, *l.* 23 *§.* 3. *D. de servitut. præd. rust.* 2. Vicina[a] debent esse prædia, eo modo ut utilitatem præstare possint, *l.* 5. 7. *§.* 1. *l. f. D. de servit. præd. rust. l.* 7. *§* 1. *D. h. l.* 14. *§.* 3. *D. de alim. legat. l.* 17. *§.* 2. *D. de aqua & aq. pluv. junct. l.* 5. 6. *D. si serv. vind.* Non tamen desideratur, ut prædia sint contigua. 3. Servitutes semper denominantur à prædio dominante, quia semper à potiori fit denominatio. 4 Omnes servitutes reales ab iisdem & iisdem modis constitui possunt, *l.* 5. 16. *ff. h. §. fin. Inst. de servit.* 5. Concessa servitute sunt concessa omnia, sine quibus servitutis usus non est. *l.* 6. *§.* 2. *D. l.* 11. *D. h. Si servit. vind. arg. l.* 2, *D. de jurisd.* 6. Prædium alienatum servitutes sequuntur, *l.* 12. *D. hic.*

[a] Vide *Donell. lib.* 11. *Comment.* 2. *Coras.* 14. *§. fin. ff. de servit.*]

Tit. 5. Si servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.

Quæ actiones nomine servitutum competunt?

Sunt proditæ actiones in rem, quarum quædam confessoriæ, aliæ negatoriæ dicuntur. Confessoriis vindicatur servitus; negatoriis libertas prædiorum.

Quibus dantur hæ actiones?

Directæ tantum veris prædiorum dominis, *l.* 2. *D. h. tit.* utiles etiam aliis, qui jus in re habent; quales sunt creditores, quibus fundus oppigneratus, emphyteutæ.

Quid, si plures agant vel conveniantur?

Singuli possunt in solidum agere, & singuli tenentur in solidum defendere, *l.* 4. *§.* 3. *&* 4. *ff. h.* quia hæc

res divisionem non recipit, *d. l. 4. §. 4. l. 17. sup. D. de servit.*

Cui incumbit probatio in hisce actionibus?

Sive confessoriis, sive negatoriis agatur, semper actor probare tenetur, *l. 15. D. de oper. nov. nunt.*

Habeturne in hisce actionibus ratio fructuum?

Et fructus, & id quod interest, præstari debent, *l. 3. §. 2. 3. l. 6. §. 6. D. h.*

Qua forma instituuntur hæ actiones?

Petit actor in confessoria declarari jus servitutis sibi esse, & adversarium condemnari, ut patiatur actorem ea servitute uti. In negatoria declarari rem esse liberam à servitute, quam reus usurpat, ac consequenter reum condemnari, ne postea servitute utatur, & ut idoneè ejus nomine caveat, *d. l. 15.* adjecta utrobique tam in confessoria quam negatoria clausula de fructibus & eo quod interest.

Tit. 6. Quemadmodum servitutes amittantur.

Quomodo servitutes amittuntur?

Varie. 1. Confusione, quæ fit, cum idem utriusque prædii, & servientis & dominantis, factus est dominus, sc. in solidum, *l. 1. D h.* Nam per partes, licet non possit acquiri ab initio, recte retinetur, *l. 8. §. 1. D. de servit.* ideoque, si quis prædium sibi serviens emerit, tollitur servitus; adeò ut, si denuo vendat, non aliter servitus transeat, quam si servitutis sit mentio facta, *l. 30. D. de servit. præd. urban.* 2. Existentia conditionis sub qua prædium legatum erat; siquidem hæres pendente conditione servitutem imposuerit, *l. 11. §. 1. ff. h.* resoluto enim jure concedentis, resolvitur jus accipientis, *arg. l. 105. D. de condit. & demonstr.* 3. Remissione servitutis, *arg. §. 40. Inst. de rer. divis.* 4. Actu servituti contrario; ut si stillicidii immittendi jus habeam, & permiserim ædificare, stillicidii jus amitto, &c *l. 8. D. h.* 5. Rei interitu: est enim servitus jus prædio inhærens, quo sublato, & ipsa servitus tollitur, *l. 14. D. h.* Sin autem res restituatur, ipsa servitus quasi reviviscit, modo non tantum temporis præterierit,

quo

quo solet amitti servitus, *d. l.* 14. *junct. l.* 23. *&* 24. *D. quib, mod. usufr. amitt.* 6. Negligentia per præscriptionem longi temporis, *l. pen. C. h.* sive omnino nulla, sive alia servitute quis fuerit usus, *d. l. pen. junct. l.* 17. *D. h.* Nec enim servitute quis videtur [a] usus, nisi is, qui suo jure uti creditur, *l. fin. D. h.* & recte retinet etiam, qui parte tantum usus est, *l.* 8. *§.* 1. *l.* 9. *D. h.* ut in via, sive ipse, sive qui ejus nomine in possessione est, aut mercenarius, aut hospes, aut medicus, quive ad visitandum venit, vel fructuarius, sive suo sive nomine domini. denique, quicunque quasi debita via usus fuit, sive ad fundum nostrum, sive ex fundo, licet & malæ fidei possessor sit, *l.* 20. *& seqq. ff. h.*

[a] Id in specie notandum, quod si occasio utendi se nulla obtulerit, non tollatur servitus non usu, uti si fons exaruerit, ex quo ductum aquæ aliquis habet, & is post constitutum tempus ad suas venas redierit, *l.* 34. *§.* 1. *& l.* 35. *ff. de servit. præd. Gail lib.* 2. *obs.* 60. *n.* 2. *Carpsovius p.* 3. *constit.* 32. *definit.* 18. *n.* 7. nec obstat quod ante dictum sc. quod si res restituatur, servitus tunc tantum reviviscit, si non præterierit tantum temporis, quantum amitti poterat *n.* 5. *h.* quia in *d. n.* 5. erat negligentia domini prædii dominantis, quod non restituerat suum prædium, & non aptarat ad servitutem recipiendam; cum nostro casu sit non usus ex necessitate rei, quæ servitutem præstare non poterat ex defectu aquæ citra negligentiam.]

Quid, si servitutis usus alternis mensibus, aut annis, vel uno die per quinquennium concedatur?

Primo casu duplicabitur tempus, *l.* 7. *ff. h.* altero dantur 20 anni, *l. fin. de servit.*

Estne differentia inter servitutes finiendas quoad præscriptionem?

Est: urbanæ enim non aliter amittuntur, quam si quid contra [a] sit factum: ut, si jus immittendi habeam, & exemero tignum, non aliter tolletur, quam si foramen sit obstructum, *l.* 6. *ff. de servit. præd. urban.* Rusticæ vero solo non usu tolluntur, *l.* 10. *§.* 1. *ff. h. junct. d. l.* 9. *& l.* 18. *§* 2. *ff. h.* Differentiæ ratio est: quia rusticæ non aliter exercentur, quam facto; urbanæ

næ vero sine facto hominis per sola ædificia, iisque adhærentia, annexa vel affixa, consistunt.

[a] Id confirmatur à *Neostadio decis.* 99.

Sed videntur hodie servitutes quoad præscriptionem esse æquiparatæ, l. pen. Cod. de servit.

Id verum, ratione temporis, non modi.

PANDECTARUM

LIBER IX.

Tit. 1. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Tit. 9. Lib. 4. Inst.

Quid continetur edicto, si quadrupes pauperiem, &c.

SI animal meum pauperiem [a] fecerit, sine culpa hominis vel instigatione, datur actio in factum noxalis, ad damni æstimationem, vel animal dedendum, *l.* 1. *D. h.*

[a] In ordinationibus Imperii pauperies, quam fecit quadrupes, æstimatur, eamque tenetur secundum arbitrium judicis dominus ejus quadrupedis pendere, *ordinat. Imperii art.* 130. Jure a. Saxonico liberatur dominus quadrupedis, si eam dereliquerit, aliàs si eam receperit, tenetur ad ipsum damnum, *Wesenb. in paratit. n.* 6. *h. Busius in l.* 1. *§. plane D. h.* notat noxæ deditionem, formalem scil. cessare; Vide *Grotium lib.* 3. *part.* 38.]

De quo animali edictum hoc intelligitur?

Proprie & directo de eo, quod gregatim solet pasci: utiliter verò de omni bestia, etiam cane, vel fera qualibet, *l.* 1. *§.* 5. *D. §.* 1. *Inst. h.* quinimo & non tantum de quadrupede, sed & non quadrupede utilis actio datur, *l. pen. ff. h.*

Sed quomodo de fera vel cane dabitur hæc actio, cum competat de adilit. edicto, l. 40. *& seqq. ff. de Ædilit. edict.*

Non est novum, ut unius rei nomine plures actiones

nes dentur, & maxime, si diverso respectu competant, una utiliter, altera directo, ut hic.

Cur dicitur animal meum?

Quia hæc actio adversus dominum animalis datur, & spectatur dominium tempore litis instituendæ: noxa enim caput sequitur, *d. l.* 1. *§.* 12. Itaque, si postquam nocuerit, alienatum sit, contra novum dominum dabitur actio, *d. §.* 12. Et, si ante litem contestatam perierit, cessat, *d. l.* 1. *§.* 13.

Quid, si ergo culpa domini animal pereat?

Et hoc casu actioni huic erit locus, modo non sit levissima, *arg. l.* 63. *ff. de rei vind.*

Quid est pauperies?

Damnum sine injuria facientis datum: quadrupes enim, cum sensu careat, injuriam proprie committere non videtur, *l.* 1. *§.* 2. *ff. h.*

Quando igitur pauperiem facit, ut hæc actio detur?

Cum commota feritate contra naturam nocuit sine facto alterius, *d. l.* 1. *§.* 4. Unde si mula propter loci iniquitatem, aut culpam mulionis, aut plus justo onerata, vel instigatu hominis, damnum dederit, cessabit hæc actio, & agetur ex lege Aquilia, *d. l.* 1. *§.* 4. *in fin. & §.* 6. *l.* 11. *§.* 5. *ff. ad leg. Aquil.* Pariter, si concurrat injuria hominis, propter imperitiam vel imbecillitatem. *d. l.* 1. *§.* 5. *ff. h.* vel si dolore concitatum animal quid fecerit, *d. l.* 1. *§.* 7.

Quid, si quadrupes quadrupedem concitaverit?

Agetur hac actione adversus dominum quadrupedis, quæ concitavit, *d. l.* 1. *§.* 8. Sin autem quadrupes alteram provocaverit, cessabit, si perierit provocans: non, si provocata, *d. l.* 1. *§.* 11.

Quid, si secundum naturam nocuerit, veluti, si depaverit gramina?

Datur ex l. 12. Tabul. actio de pastu, *l.* 14. *§. fin ff. præscript. verb.* vel ex lege Aquilia, *l. fin. C. ad leg. Aq.* in factum deficientibus cæteris, quod dominus non recte eam custodiverit, *d. l.* 14. *fin.*

Annon ergo possum includere pecus in agro meo deprehensum?

Nequaquam, [a] *l.* 39. *§.* 1. *ff. ad leg. Aquil.* verum custo-

custodiam, donec de domino constet, *arg. l. 25. ff. ad Leg. Iul. de adulter.* Et tractari debet tanquam proprium, *d. l. 39. §. 1.*

[a] Hodie a. includere licet, *Grotius lib. 3. p. 38. Zypæus ad L. Aquil. vers. pecus. Busius in l. 39. D. ad L. Aquil. Wesenb. h. n. 6.*]

Quibus datur hæc actio?

Dominis: Imo & omnibus quorum interest, *l. 2. ff. h.* etiam hæredibus, *d. l. 1. §. fin.*

Contra quos datur?

Contra dominos quadrupedis, *d. l. 1. §. 12.* contra hæredes vero non aliter, quam si domini sint, *d. l. 1. §. fin.* Sin autem sint plures domini, adversus singulos in solidum, *d. l. 1. §. 1.*

Ob quæ damna datur?

Qualiacunque illa fuerint, sive suo corpore pauperiem fecerint quadrupedes, sive per aliam rem quam attigerunt, ut, si bos plaustro aliquem obtriverit, *d. l. 1. §. 9.*

Quid, si libero homini damnum sit illatum?

Etiam hæc actio competet, non quidem, ut liberum corpus æstimetur; sed ratio impensarum & operarum amissarum, non vero deformitatis habeatur, l. 3. *ff. h.*

Qua forma instituitur hæc actio?

Peter actor sibi damnum legitime resarciri, aut corpus, quod nocuit, noxæ dari, h. e. vivum sibi tradi, *l. 1. pr. & §. 14. ff. h.*

An & in solidum aliquando ex pauperie agitur?

Omnino 1. Sin in jure interrogatus responderit reus, suam non esse quadrupedem, *d. §. 1. §. 15. h.* 2. Si alternative condemnatus reus neutrum præstet, & ex re judicata conveniatur, *arg. l. 29. §. 5. ff. de petit. hæred. l. 6. §. 1. ff. de re jud.* 3. Si post litem contestatam ab alio animal sit occisum, & reus non sit paratus actiones cedere contra occidentem *d. l. 1, §. 16.*

Quid, si per res inanimatas fuerit damnum illatum?

Si nulla hominis culpa intervenerit, actio dari non poterit. *arg. l. 29. §. 2, 3. & 4. D. ad Leg. Aquil.* Cæterum, si vi fluminis fuerint deportatæ in aliena ædificia,

cia, domini non aliter tollent, quam, si caveant de damno infecto, *l. 9. §. 1. D. de damn. infect.* Item ratis vi fluminis in agrum meum illatæ non aliter potestas domino facienda est, quam, si de præterito damno caveat, *l. 8. D. de incend. l. 5 §. 4. D. ad exhib.* Sin autem culpa hominis concurrat, ex Aquilia rectè agitur, *d. l. 29. §. 2. & seqq.*

Tit. 2. Ad Legem Aquiliam. Tit. 35. Lib. 3. Cod. 3. Lib. 4. Inst.

Quid est Lex Aquilia?

Propriè plebiscitum, quo vindicatur damnum non jure rebus alienis illatum.

Quot sunt ejus capita?

Olim tria fuere; hodie duo: quorum primo vindicatur damnum illatum per interemtionem servi vel quadrupedis, quæ gregatim pasci solet, ut tantum præstet reus, quanti servus, vel quadrupes plurimi fuit proximo præcedenti anno, *l. 2. pr. D. h.* Altero vindicatur omne reliquum damnum, quale quale fuerit, hac pœna, ut præstetur tantum, quanti res plurimi fuit triginta diebus proximis, *§. 13. & 14. Inst. l. 27. §. 5. D. h.* sive servus, sive quadrupes vulneretur, vel alia bestia occidatur, aut res quælibet alia rumpatur, frangatur, vel alio modo deterioretur, *d. §. 13.*

Quid est, non jure vel injuria?

Est, dolo vel culpa, imò etiam levissima, *§. 3. 14. Inst. l. 44. D. h.* sc. si sit tale negotium, in quo levissima culpa præstari debet, adeoque toties agi potest, quoties quis sine causa juris, vel citra necessitatem, vel casum fortuitum, damnum intulit, *§. 2. & 3. Inst. l. 4. §. 45. 49. §. 1. 52. §. 1. D. h.*

Quid, si per imperitiam vel imbecillitatem alterius sit quis damnum passus?

Id culpæ annumerabitur, si quis tanquam satis validus se rei alterius immiscuerit: cum quisquam affectare non debeat, in quo vel intelligere debet, infirmitatem vel imperitiam suam aliis periculosam futuram, *l. 8. §. 1. D. h. arg. l. 132. junct. l. 36. D. de Reg. Iur.*

Annon

Annon ergo dolus magis debet puniri, quam culpa?

Non est dubium: verum id alia actione, vel accusatione, judicio publico, vel privato, prout res postulat, vindicari oportet, *l.* 23. *s.* 9. *D. h.*

Cur prioris capitis major est pœna, quam posterioris?

Etsi quidem in posteriori plus damni aliquando vertatur, non tamen est in facto, quod posteriori vindicatur, tanta facinoris atrocitas, quanta in occisione.

Annon absurdum videtur, quod priori capite servi occisio cum quadrupede comparetur?

Ea æquiparato fit, qua actio ad damnum resarciendum data ex jure dominii spectatur, non jus hominis: hujus enim intuitu præter hanc actionem etiam judicio publico ex L. Corn. de sicar. agi potest, cum dolo servus est occisus, *l.* 23. *s.* 9. *ff. h.* Imo, si lege Aquilia sit actum, nullum fit præjudicium legi Corneliæ, *d. l.* 23. *s.* 2.

Quid, si quis confessus sit se interfeciſſe?

Non potest ex eo solo teneri, nisi simul constet de delicto, *l.* 23. *s. fin. & Ll. seqq. ff. h.* Siquidem vero de delicto constet, non vero de delinquente, non est necesse, ut actor doceat adversarium occidisse, quia id confessus est, *d. l.* 23. *s. f.*

Quid, si plures interfecerint?

Siquidem in rixa plures vulneraverint, & appareat, cujus ictu perierit, is solus tenebitur de occiso: si non appareat, omnes quasi occiderint: & si cum uno agatur, cæteri non liberantur. nam ex lege Aquilia quod alius præstitit, alium non relevat, cum sit pœna, *l.* 11. *s.* 2. *ff. h.*

Debentne, si plures vulneraverint, unus tantum occiderit, omnes publico judicio ex lege Cornelia condemnari?

Nequaquam, nisi simul omnes in occisi necem conspiraverint: quia in L. Cornelia tantum dolus, & propositum occidendi punitur, *l.* 7. 14. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.*

Quid, si quis mortifere vulneraverit servum, vel quadrupedem, alius post exanimaverit?

Prior tantum de vulnerato, posterior de occiso tenebitur,

bitur, *d. l.* 11. §. 3. nisi certum sit, ex priori vulnere eum fuisse moriturum, *l.* 51. *ff. h.*

Quid, si plures trabem dejecerint, & hominem oppresserint?

Singuli in solidum tenentur, *d. l.* 11. §. 4. Quamvis enim subtili ratione dici posset, neminem teneri, quia verum est, neminem eum sustulisse: tamen teneri debent, ne delicta maneant impunita, *l.* 51. §. 2. *in fin. ff. h.*

Quid, si quis defendendo alterum occiderit?

Siquidem aliter periculum evitare non potuit, & moderamine inculpatæ tutelæ est usus, jure fecit, *l.* 54. §. 4. *ff. h. l.* 3. *ff. de justit. & jur.* Præstat enim prævenire, quam post vulneratam causam frustra de remedio cogitare, *l.* 1, 2. *Cod. quand. lic. se sin. jud.*

In quibus consistit moderamen inculpatæ tutelæ?

Si fiat. 1. in vitæ periculo, *Dd. Ll.* 2. in continenti, *l.* 3. §. *cum igitur D. de vi & vi armat.* 3. tantum ad defensionem, *d. l.* 45. §. *pen. D. h. l.* 1. *C. unde vi* 4. si aliter adversario parcere nequeat, *l.* 5. *D. h.* Nec distinguendum est, utrum arma fuerint paria vel non; lex enim nusquam id desiderat.

Quid ergo, si quis egressus sit moderamen inculpatæ tutelæ?

Ex causa hoc æstimandum est, *arg. l.* 30. §. 3 *l.* 52. §. 1. *D. h.* & quoad legem Corneliam mitiganda est pœna ordinaria, *arg. l.* 38. §. 8. *D. ad Leg. Iul. de adult.*

Teneturne invasus fugere?

Etsi quidem, si, cum effugere posset periculum, occidere maluerit, culpæ si reus, §. 2. *Inst. h.* Non tamen fugere tenetur propter periculum lapsus, & alia incommoda: quia effugere periculum nihil aliud est quam id evitare sine periculo: is vero, qui fugit, non effugit periculum sine periculo.

Licetne occidere ad res defendendas?

Non aliter, quam si vis ob eam causam fiat: adeo ut non tam videatur ob res, quam vim illatam occidi. *l.* 52. §. 1. *D. h. l.* 1. *Cod. unde vi. l.* 3. *D. de Iustit. & Iur.*

Quid,

Quid, si ad famam tuendam alterum interfecerit?

Non licet ob calumnias alterum interficere: verum, si cui vis fiat ad pudicitiam tentandam, & se aliter defendere non possit, justissima est vindicta, *l.* 1. *§.* 4. *ff. ad Leg. Cornel. de sicar. l.* 8. *§.* 2. *ff. quod met. caus. argum. l.* 9. *ff. de manum. vind. junct. d. l.* 3. *ff. de Justit. & Jur.*

Licetne & ad defensionem aliorum, qui in periculo sunt constituti, occidere?

Non tantum id permittendum est necessariis, sed & extraneis personis, *arg. d. l.* 1. *§.* 4. *ff. ad Leg. Cornel. de sicar. l.* 50. 109. *de Reg. Jur. Proverb.* 24. *vers.* 11. *c.* 7. *&* 8. *caus.* 23. *q.* 3.

Quomodo probanda est defensio necessaria?

Si vis illata ostendatur, vel, si quis probet adversarium se præparasse ad vim faciendam, vel in insidiis fuisse: quo probato, & defensio justa probata esse videtur, *arg. d. l.* 3. *ff. de Justit. & Jur.*

Quid, si ergo nec probari possit aggressio, invasio, vel quid simile?

Arbitrio Judicis id committendum, ut pro circumstantiis personæ, loci, temporis, facti, statuat, quod æquum videbitur.

Quid juris est in incendiis ortis?

Etsi quidem incendia plerumque fiant culpa inhabitantium, *l.* 3. *§.* 1. *De offic. præt. vigil.* tamen paterfamilias inhabitans, non aliter ejus nomine tenetur, quam si probetur ejus negligentia. Si itaque servorum negligentia sit factum, dominus non statim in culpa est, *l.* 11. *D. de peric. & comm.* nisi negligentior in eligendis ministeriis fuerit, *d. l.* 11. *junct. l.* 27. *§.* 9, 10. *&* 11. *D. h.* quia eo ipso est in culpa, *c. un. x. de commod. c. un. x. de depos.* Sin autem casu fortuito [*a*] incendium sit ortum, nulli imputabitur, *l.* 11. *D. de incend*

[*a*] Vide *Mynsing.* 6. *obs.* 88.]

Quomodo censebitur esse fortuitum?

In facto id consistit. fortuitum autem dicendum est, quoties dolus vel culpa adversarii argui nequit, *l.* 52. *§. Damna. D. pro socio.* Et licet, *d. l.* 3. *§.* 1. culpa inha-

bitantium videatur in incendio præsumi: id tamen non ad omnem culpam referendum est, sed ad levissimam tantum, ita ut simul probari debeat, à qua persona ortum habeat: nam & alius, præter patremfamilias, causam dare potuit. Quod si probari non possit, absolvi debet, ex regula generali, Actore non probante reus absolvitur, *l.* 4. *C. de ædend.*

Quid, si quis in stipulam suam, comburendæ ejus causa ignem immiserit, & ulterius evagatus ignis alienam segetem consumserit?

Requiremus, num imperitia ejus aut negligentia id acciderit: nam si die ventosa id fecerit, culpæ reus est: qui enim occasionem præstat, damnum fecisse videtur: ita &, qui non observat ne ignis longius procedat, reus est: At qui omnia observavit, licet subita vis venti ignem longius proceduxerit, caret culpa, *l.* 30. *§.* 3. *D. h.*

Quid, si quis incendii arcendi causa ædes alienas destruxerit?

Cessat actio ex lege Aquil. *l.* 49. *in fin.* sive jam ad ædes suas pervenerit, sive non. quia justo metu ductus id fecit, *d. l.* 49. *l.* 3. *§.* 7. *in fin. D. de incend. ruin. naufr.* Sed hoc verum, si ædes destructæ æque periissent, *l.* 7. *§.* 4. *D. quod vi aut clam. junct. d. l.* 49. *§.* 1.

Quid, si pro salute totius vicinitæ ædes fuerint destructæ?

Si quidem convenerit de resarciendo damno, communi sumptu reparandum erit ædificium: si non, & certum sit, æque perituras ædes, nihil persolvetur, *d. l.* 7. *§.* 4. Si sit incertum, communi [a] contributione id damnum resarciendum est, *arg. l.* 1. *&* 2. *D. ad leg. Rhod. de jact.*

[a] Videatur *Gail lib.* 2. *obs.* 22.]

Quid juris in putatore arboris?

Is, si in publicum dejecerit ramum, & non proclamaverit, aut cum providere poterat, dejectionem non inhibuerit, culpæ reus est, *l.* 31. *D. h.* Et, si nullum iter ibi fuerit, dolum duntaxat præstabit: nam culpa ab illo non est exigenda, cum divinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit, *d. l.* 31. *inf.*

Quid

Quid juris in eo qui jaculis lusit?

Si in eo campo, ubi solitum est exerceri, quis sit læsus, nulla datur actio. Si vero ab alio, imo etiam à milite, in alio loco, agi potest ex lege Aquilia, *§. 4. Inst. l. 9. §. f. ff. h.*

Quid si, qui pila ludebant, vehementius eam in tonsoris manus dejecerint, & ex eo gula servi sit præcisa?

Si tonsor ibi tondebat, ubi ex consuetudine ludebatur, vel ubi transitus frequens erat, est, quod ei imputetur: quamvis nec illud male dicatur, si in loco periculoso sellam habenti tonsori se quis commiserit, ipsum de se queri debere, *l. 11. pr. ff. h.*

Quales actiones descendunt ex lege Aquilia?

Sunt vel directæ, vel utiles, vel in factum. Directæ, cum corpori à corpore damnum est illatum; uti, si quis vulneraverit quadrupedem. Utiles, cum quis corpori, sed non suo corpore immediate nocuit; ut, si quis incluserit pecudem ut fame perierit. In factum, cum nec corpore nec corpori damnum est illatum; uti, si quis servum vinculis compeditum solverit, ut fugeret, *§. f. Inst. h.*

Quibus dantur hæ actiones?

Dominis veris, etiam hæredibus, *l. 11. §. 6. l. 23. §. 8. ff. h.* etiam utilibus dominis, *d. l. 11. §. fin. l. 12. ff. h.*

Contra quos dantur?

Contra eos, qui damnum intulerunt: non vero adversus hæredem, cum sit pœnalis, nisi ex damno locupletior sit factus, *d. l. 23. §. 8.*

Quarum rerum nomine?

Qualiumcunque, imo & nomine liberi hominis; non, ut directa, sed utilis detur actio; & non, ut corporis, sed damni æstimatio fiat, *l. 13. ff. h.*

Quid petitur his actionibus?

Agitur adversus confitentes in simplum [a] pœnæ in edicto propositæ, & secundum præsens tempus Judex æstimet, quanti damnum sit, *l. 25. §. 2. l. 26. ff. h.* Adversus negantes, siquidem probetur contrarium,

rium, comparata est actio in duplum propter inficiationem, *l.* 2. *s.* 1. *l.* 23. *s.* 10. *ff. l.* 4. *Cod. h.*

[*a*] Hodie solet solvi vera damni æstimatio, prout hoc explicat *Baro in s.* 15. *Instit. h. Reinhard. de differ. J. Civilis & Saxon. tit. de pœnis differ.* 124. *Grotius lib.* 3. *sect.* 32, 34, 36.]

Quid, si reus neget qualitates facti?

Siquidem in qualitatibus, quæ negantur, substantia criminis consistat, pro inficiante condemnandus est: sin autem ad substantiam eæ qualitates non pertineant, secus est.

Quid ergo æstimandum est?

Non solum peremptum vel læsum corpus, sed quicquid præterea ratione ejus corporis abest & nostra interest, etiam aliarum rerum depretiationes attendentur, *s* 10. *Inst. l.* 22. *s.* 1. *l.* 23. *s.* 1. *ff. h.* Etiamsi quoque id, quod interest, duplum veri pretii excedat.

Qua forma intentatur hæc actio?

Postquam actor narravit damnum, & qualitates, & circumstantias, æstimationemque designavit, quæ aliquo tempore, intra annum ex primo capite, 30 dies ex altero, maxima fuit: petit, siquidem reus confiteatur commissum, simplum; si neget, duplum antedictæ æstimationis, vel majoris aut minoris quam Judex statuturus est, cum damnis & interesse, &c.

Tit. 3. De his, qui dejecerint vel effuderint.

Quid, si aliquid effusum vel dejectum, quod nocuit prætereunti?

Unde in eum locum, quo vulgo iter fit vel consistitur, dejectum vel effusum quid erit, datur actio, *l.* 1. *pr. D. h.* publice enim interest, sine metu & periculo per itinera commeari, *d. l.* 1. *s.* 1.

Unde debet ejici, ut hæc actio locum habeat?

Ex cœnaculo, vel domo, alioque simili loco; etiam navi, [*a*] *s.* 1. *Inst. de oblig. q. ex quas. malef. l.* 6. *s. fin. D. h.* Sive proprietas cœnaculi ad nos pertineat, sive non;

non; modo ibi habitemus, aut uti in nostro moremur, *d. §. 1. l. 1. §. 9. D. h.*

[a] Si ex navi, magister navis conveniendus est, non a. exercitor, itaque hic cessat regula in *l. 22. C. de pœnis.*]

Cui datur hæc actio?

Illi, qui vel in corpore, vestimentis, vel aliter damnum qualecunque est passus, *l. 1. D. h.* etiam hæredibus, *l. 5. §. 5. D. h.* Cæterum actio, qua agitur ex hoc edicto ob necem hominis liberi, est popularis, *d. l. 5. §. 5.* sed præferuntur illi, quorum interest, *arg. l. 3 §. 1. D. de popul. act.*

Contra quos datur?

Contra habitatorem. sive sit paterfamilias, sive filiusfamilias. Et, si filiusfamilias sit, agi non potest contra patrem de peculio, quia non venit ex contractu, sed adversus ipsum filium, *l. 1. §. 7. D. h.*

Quid, si plures in eodem cœnaculo habitent?

Si indiviso inter se cœnaculo, in quemvis hæc actio dabitur in solidum, *d. l. 1. §. f. l. 3. D. h.* Cum impossibile sit scire quis ejecerit, *l. 2. D. h.* Sed, si cum uno fuerit actum. cæteri liberabuntur, perceptione, non litis contestatione, præstaturi partem damni judicio societatis vel utili actione ei, qui solvit, *l. 4. D. h.* Si vero diviso. actio in eum solum datur, qui eam partem inhabitat, *l. 5. pr. h.*

Annon ergo & hospes tenebitur?

Non tenebitur, quia ibi non habitat, sed tantisper hospitatur, *d. l. 1. §. 9. & d. l. 5. §. 1.*

Imo videtur iniquum ut habitator alienum factum præstet?

Nequaquam, quia quisque familiæ & eorum, quos excipit, curam habere debet, *arg. §. f. Inst. de oblig. ex quasi malef.*

Daturne & contra hæredes?

Cum pœnalis sit actio, non datur, & quidem maxime, si corpori libero damnum sit illatum, *d. l. 5. §. in f.*

Daturne adversus dominum?

Non, nisi ipse habitet: culpa enim, si non ipse habiter, nulla est, *d. l. 1. §. 4.*

Quid, si quid, quod suspensum erat, deciderit?

Pro dejecto haberi debet, &, si quid effusum sit, licet nemo effuderit, edictum æque habet locum, *d. l.* 1. §. 3.

Estne distinguendum, in quem locum quid sit effusum vel dejectum?

Parvi interest, utrum publicus vel privatus sit locus: dummodo per eum vulgo iter fiat, sive sit in civitate, sive ruri, *l.* 6. *ff. h.* quia iter facientibus prospicitur, *d. l.* 1. §. 2.

Ad quid datur?

Si homo liber perierit, ad 50 aureos [*a*]; si vivat, nocitumque ei dicatur, quantum ob eam rem æquum judici videbitur, reus condemnandus est: in aliis autem rebus duplum damni reus persolvet, *l.* 1. *pr. ff. h.*

[*a*] Multi non infimæ notæ DD. arbitrantur hasce pœnas cessare, id a. ubique non procedit.]

Imo videtur hic liberi corporis esse æstimatio, contra l. 13. *ff. Leg. Aq.*

Si homo sit occisus, 50 aurei non sunt æstimatio hominis, sed solvuntur in pœnam: si vulneratus sit, judex computat impensas medicis præstitas, cæteraque impendia & operas, quibus caruit, aut carituras est, nulla facta æstimatione cicatricum aut [*a*] deformitatis, *l. f. D. h.*

[*a*] Aliqui id quidem admittunt in masculis, ne scil. sit habenda ratio cicatricum aut deformitatis, sed non in fœminis, *Ravenna* & *Albericus in l.* 3. *D. si quadrupes pauper. fec. dic. Gomes.* 3. *resol. c.* 6. *n.* 11. Verum in hac provincia & in Galliis in utroque sexu idem obtinet, *Grotius lib.* 3. *sect.* 34. *Autumnus in l. ult. D. h.*]

Quid, si quis in suggrunda protectove, qua vulgo iter fit & consistitur, positum vel suspensum habuit quod nocere posset?

Datur actio in factum in 10 solidos, *l.* 5. §. 6. *D. h.* Quod constitutum est ad securitatem viarum publicarum, *d. l.* 5. §. 7.

Quibus datur hæc actio?

Datur cuivis ex populo, quia popularis est, & sic potissi-

potissimum ei, cujus interest, & heredi ejus, *d. l. 5. §. fin.*

Contra quos datur?

Contra eos, qui posuerunt, vel positum patiuntur, sive sint domini, sive inquilini, sive alii, *d. l. 5. §. 8. & 10.* modo positum sit. ut nocere possit, sive nocuerit, sive non, *d. l. 5. §. 11.*

Quid, si id quod positum est, ceciderit & nocuerit?

Dabitur in eum actio qui posuit, non in eum qui habitavit, *d. l. 5. §. 12.*

Tit. 4. De noxalibus actionibus. 41. Lib. 3. Cod. Lib. 4. Inst. 8.

Quæ sunt actiones noxales?

Quibus non agimus directo & simpliciter ad resarciendum damnum nobis illatum: sed alternative in hoc, ut damnum resarciatur, vel corpus, quod nocuit, noxæ dedatur.

Ex quorum delictis dantur?

Tantum ex delictis servorum privatis, non publicis, *l. 2. C. de accusat.* & ex pauperie quadrupedum, *l. 1. & tot. tit. supr. D. si quadrup. paup.*

Quid, si dominus dolo malo desierit possidere?

Tenebitur æque dominus, *l. 1. pr. & l. 21. D. h. t.*

PANDECTARUM

LIBER X.

Tit. 1. Finium regundorum. Tit. 39. Lib. 3. Cod.

Suntne aliqua judicia mixta & duplicia?

SUnt, non tantum mixta, quæ tam in rem quam personam dantur, *§. 10. Inst. de act.* sed & simul duplicia, in quibus utrimque litigantes & actores & rei sunt, *l. 13. D. de judic. l. 10. D. h.* Qualia sunt, finium regundorum, familiæ erciscundæ, communi dividundo, *d. §. 20. & d. l. 13.*

Quod est judicium finium regundorum?

Actio mixta, stricti juris, qua confines de limitibus prædiorum rusticorum contendunt, *l.* 1. *& seqq. D. h.*

Quomodo distinguitur à vindicatione?

Vindicatio est rei ipsius adversus possessorem. at in hoc judicio tantum finalis quæstio vertitur: sic, ut in vindicatione de finibus tantum per modum consequentiæ, & non semper & necessario, sed de corpore ipso fit controversia: hoc vero judicium sit pro vindicatione rei non directo qua corpus spectatur, sed tantum per accidens, qua principaliter de finibus agitur, *arg. l.* 6. *ff. de rei vind. junct. l.* 1. *ff. h.*

Inter quos datur hoc judicium?

Non datur inter socios, *l.* 4. *s.* 6. *ff. h.* Sed alios directos dominos, sive possessores: ut & usufructuarios, duos vel plures, *l.* 4. *s.* 8. *ff. h.* modo sint confines. Confines autem sunt, licet rivus privatus interveniat; non si via publica, vel flumen publicum, *l.* 4. *s.* 9. *&* 11. *l.* 5. *ff. h.*

Ad quæ prædia pertinet?

Ad rustica, non urbana, licet etiam sint ruri, *d. l.* 4. *s.* 10. *junct. l.* 2. *h.* ædificia enim parietibus satis disterminantur. Imo & ad hortos, qui in urbe sunt, *d. l.* 4. *s.* 10.

Quid petitur hac actione?

1. Distinctionem finium rite fieri, vel fines renovari. 2. Præstari, quæ finibus adhærent. 3. Præstari omne id, quod interest fines non fuisse mutatos vel exaratos, *d. l.* 4. *s.* 1. nec non restitui omnes fructus post litem contestatam, vel antea mala fide perceptos, *d. l.* 4. *s.* 2. 4. Persolvi pœnam contumaciæ, *s. pen. Inst. de off. jud.*

Concurruntne etiam cum hac actione aliæ?

Potest etiam criminaliter agi propter terminos dolo malo motos, vel ex lege Agraria, ad 50 aureos, *l.* 3. *ff de term. mot.* vel ex rescripto Hadriani, ad pœnam arbitrariam, *arg. l.* 2. *ff. eod.*

Quod erit officium Judicis in hac causa?

1. Vetera monumenta, finesque antiquis libris vel testi-

testibus probatos, si recentiores possessiones earumq; probationes efficaces non sint, sequetur, *l.* 11. 12. *ff. h.* Et, si non appareant vestigia vetera, per geometras, vel arbitros, fines constituet, *l.* 2. *&* 8. *ff. l.* 3. *C. h. l.* 44. *de recept. arbitr.* Vel, si finibus evidentioribus distingui sit commodius, quam olim fuissent, ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicabit; sic vero, ut ei, qui majorem locum habet, integrum assignet, *l.* 7. *ff. h.* quem, ut rursus alteri pecuniam eo nomine præstet, condemnabit, *§. pen. Inst. de off. jud.* habita simul ratione eorum, quæ præstanda sunt, *l.* 2. *§.* 1. *l.* 3. *&* *l.* 4. *§.* 1. *& seqq. ff. h.*

Quot annis tollitur hæc actio?

Tantum triginta, *l. f. C. h.* excepto spatio quinque pedum, *l. pen. C. h.*

Estne solemnis aliqua constitutio de finibus?

Est in *l. f. ff. h.* lex [a] Solonis, qua cautum, ut, si quis sepem ad alienum prædium fixerit, vel infoderit, terminum non excedat; si macieriem, pedem relinquat; si domum, pedes duos; si sepulchrum, aut scrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum spatii; si puteum, passus latitudinem; at oleam, aut ficum, ab alieno ad novem pedes plantet, cæteras arbores ad pedes quinque.

[a] Hæc ipsa lex Solonis hodie non observatur, quondoquidem singularibus statutis in hac re solet esse consultum, *Busius in l. fin. D. h. Wesenb. h. n. ult. Autumn. in l.* 11. *C. de ædific. privat.* Si a statutis de hac re non disponatur, præstat hujus legis temperamentum sequi, quod n. correctum non est, stare debet.]

Tit. 2. Familiæ erciscundæ. Tit. 36. Lib. 3. Cod.

Quod est judicium familiæ erciscundæ?

Mixtum, duplex, bonæ fidei, competens ad divisionem hæreditatis, & personales, quæ incidunt, præstationes.

Inter quos datur?

Cohæredes, *l.* 36. *ff. h.* non tantum uno agente, sed

& pluribus, sive possiderat, sive non, etiamsi cæteri coheredes dividi nolint, *l.* 2. *s.* 4. *l.* 43. *D. h.* nemo enim invitus in communione manere compellitur, *l. f. C. comm. divid.* sive fuerint ex jure civili, sive prætorio, sive ex testamento, sive ab intestato, vel quolibet alio modo hæredes.

Daturne etiam arrogatis ratione suæ quartæ?

Quia directo non sunt hæredes, utilis actio tantum iis accommodatur, *d. l.* 2. *s.* 1. *D. h.*

Quæ res veniunt in hanc actionem?

Omnes hæreditariæ, tam soli, quam mobiles sive directo, sive inderecto ad hæreditatem pertineant; etiam alienæ, quas bona fide defunctus possedit, vel pignoris loco habuit, *l.* 8. *s.* 1. *&* 2. *l.* 9, 10, 11. 22. *s. f.* 23. 29. *D. l.* 5. 8. 25. *C. h.* Non vero petinent huc res malis artibus acquisitæ, *l.* 4. *s.* 2. *ff. h.* pernitiosæ; uti sunt libri repobatæ lectionis, & mala medicamenta: quæ res protinus sunt tollendæ, *d. l.* 4. *s.* 1. Pariter & nomina *l.* 6. *C. h.* quia ipso jure jam sunt divisa *d. l.* 6. pro sua enim portione quisque conveniri vel agere potest, *l.* 1. *s. f. D. h.* Si autem stipulatio de eorum divisione sit interposita, ei statur, *d. l. s. f.* Imo & nonnunquam ad officium judicis pertinet, ut debita & credita singulis pro solido attribuat; ita tamen, ne creditoribus præjudicetur, *l.* 3. *D. h.*

Quæ petuntur hac actione?

Hoc judicium constat duobus. 1. Rebus. 2. Præstationibus, *l.* 22. *s.* 4. *D. h.* Rebus, ut res hæreditariæ dividantur quam fieri potest optime. Præstationibus, ut restituantur. 1. Quæ à cohæredibus sublata: *l.* 3. *C. h.* vel dolo aut culpa deteriora facta, vel amissa sunt, *l.* 19. *C. h.* 2. Fructus à cohærede percepti, qualibet ratione, *l.* 9. *C. h.* 3. Sumptus, quos actor fecit, *l.* 25. *s.* 15. *D. l.* 18. *C. h.*

Qua forma actio proponitur?

Facta narratione de obitu defuncti, & de hæreditate litigaturis communiter relicta, petit actor, si non possideat ipse, reum, qui possidet, condemnari, ut actori inventarium rerum omnium hæreditatiarum exhi-

exhibeat, & cum actore procedat ad divisionem earundem, præstetque omnes fructus ac emolumenta, damnumque ac interesse. &c. Si autem non possideat reus hæreditatem, agit actor ad inventarium communi nomine faciendum, & ad divisionem, &c. ut ante.

Quid, si actor negetur esse cohæres?

Non habet locum hæc actio, sed de jure hæredis primum disputandum, *l.* 36. *D. h.*

Quod est officium Judicis in hac actione?

Ante omnia expendet, an defunctus divisionem fecerit. Illam sequi oportet, si legitime sit facta, *l.* 20. *§.* 3. *&* 5. *l.* 33. 39. *§.* 1. *D. h. t.* Et, si de ea non constet, res hæreditarias omnes pro rata [*a*] æqualiter dividet: aut, si non patiantur divisionem, uni potiorem partem; alteri pecuniam: vel uni proprietatem, alteri usumfructum adjudicabit, *l.* 25. *§.* 20. *D. h. §* 4. *Inst. de off. jud.* Habebitque rationem omnium personalium præstationum, ac collationes fieri jubebit. Ita autem res commodissime distribuet, si tot faciat partes, quot sunt hæredes, & deinde sorte rem dirimat, *arg. l.* 3. *Cod. comm. de leg.* nisi in alium modum ipsi cohæredes consentiant.

[*a*] In tota ferè Germania solet major frater dividere, minor a. eligere, *Gail lib.* 2. *obs.* 116. *n.* 12. *Mynsing.* 4. *obs.* 37. *n.* 14. *Rauchbalus p.* 1. *Q.* 40. *n.* 3. Idem etiam sequuntur Saxones hoc additamento, ut si filia & filius heredes sint, filia dividat, etiam per procuratores, si eos habeat, & filius eligat *p.* 3. *const. Aug.* 15. Vide *Grotium lib.* 3. *sect* 28.]

Quid, si res aliquæ manserint indivisæ?

Agetur communi dividundo, siquidem per Judicem sit facta divisio: quia judicium familiæ erciscundæ, cum universale sit, semel tantum instituitur, *l.* 20. *§.* 4. *D. h.*

Potestne rescindi divisio, facta sub prætextu læsionis?

Si à testatore sit facta, tantum attenditur, an & legitima sit relicta iis, quibus debetur: sin autem à Judice, vel inter cohæredes privatim, habebit locum, *l.* 2.

Cod. de rescind. vendit. licet etiam sors intervenerit: quia sors in hac re non ad quantitatem designandam adhibita est, sed ut intelligeretur, quæ res singulis personis obvenire debeant. Cæterum, si testator dixerit, se velle æqualitatem inter hæredes servare, & inæqualiter diviserit; subveniendum est cohæredi, qui magnam inæqualitatem probat.

Debentne etiam cautiones pro evictionibus præstari?

Id est necessarium, *l.* 25. *s. pen. ff. h.* Evictio enim est præstanda, sive testator diviserit, sive judex: nisi testator prælegaverit, *l.* 77. *s.* 8. *ff. de legat.* 2. Sin autem cautiones de evictione non sint præstitæ, ipso jure inesse videntur, *l.* 14. *C. h.*

Tit. 3. Communi dividundo. Tit. 37. Lib. 3. Cod.

Quod est judicium communi dividundo?

Est mixtum, duplex, bonæ fidei, quo, quia certas res communes habent, *l.* 4. *pr. h.* ad divisionem earum & personales exinde præstationes agunt.

Inter quos datur?

Inter eos, quibus communis res est ex qualibet causa, vel ex societate, vel sine ea, *l.* 2. *D. h.* etiam inter usufructuarios, *l.* 7. *s.* 10. *D. h.* quique revera pro indiviso sunt domini, vel bona fide possident, *l.* 7. *s.* 4. *D. h.* sc. suo nomine, vel etiam jure pignoris, *d. l.* 7. *s.* 11. *&* 12. *junct. s.* 6. *ibid.*

Quomodo potest dari ex causa societatis, cum competat pro socio?

Pro socio datur ad præstationem eorum, de quibus convenit, & non ad divisionem: hoc vero judicium tantum ad divisionem, eaque, quæ in rem sine conventione circa societatem inciderunt, ratione fructuum, sumptuum, & damnorum.

Quæ res veniunt in hoc judicium?

Omnes, quæ divisionem admittunt, & in commercio sunt, *l.* 7. *s.* 7. *& seqq. D. h.*

Ad quid agitur?

1. Ut res dividantur, 2. Ut præstentur, quæ ex bona & æquo

& æquo præstari convenit, *l.* 4. *pr. & §.* 3. *l.* 6. 2. *D. h.* uti & in judicio familiæ erciscundæ.

Quid, si res sit peremptа?

Etsi de re dividenda non possit agi; tamen personalium præstationum nomine Iudex condemnabit, *l.* 11. *D. h.*

Quid, si convenerit, ne divisio fieret?

Si simpliciter ita convenerit, non valet pactum: si de certo tempore sit dictum, vires habet: & licet interim socius vendiderit suam portionem, potest tamen emptor, agendo communi dividundo, eadem exceptione submoveri, qua autor ejus potuit, *l.* 14. *§.* 2. *&* 3. *D. h.*

Communia utriusque judicii tam familiæ erciscundæ, quam communi dividundo. Tit. 38. Lib. Cod.

Quæ sunt communia fam. erciscæ. & comm. divid. judiciis?

Varia. Utrumque enim est: 1. Duplex, *l.* 10. *D. fin. reg. l.* 37. *§.* 1. *de oblig. & act.* 2. Mixtum. *§.* 20. *Inst. de act. & d. l.* 37. 3. Divisorium. *l.* 1. *D. fam. erciscæ. l. D. comm. divid.* 4. Bonæ fidei. *§.* 28. *Inst. de act.* 5. Directum. 6. Competens veris dominis, *l.* 9. *C. h.* 7. Pertinens ad easdem personales præstationes ex quasi contractu, *§.* 3. *&* 4. *de obl. ex q. contr.* 8. Admittens beneficium ex *l.* 2. *C. de rescind. vend. arg. l.* 3. *C. h.* 9. Ejusdem effectus circa divisionem, ut sit loco emptionis, *arg. l.* 1. *C. h.* 10. Exigens, ut instrumenta hæreditaria, vel aliter communia maneant penes eum, apud quem collocari Judex æstimavit, *l.* 5. *C. h.* qua in re hic ordo observandus, ut, si specialis causa non impediat, præferatur is, cui est major [a] portio in rebus; vel, si par sit omnium conditio, sorti res committatur: nisi ex consensu aliquem velint eligere, aut justa aliqua causa judicem moveat, ut jubeat deponi in æde sacra, *l.* 4. *§. fin. l.* 5. *ff. fam. erciscæ. l. f. C. de fid. instrum.*

[a] Vel

[a] Vel apud seniorem, ut receptum esse docet *Mynsing. 4. obs. 37. in fin.*]

Quomodo ergo cæteris erit cautum, si apud unum cautiones sint?

Debet ab eo, qui detinet, cæteris dari descriptum & recognitum, cautione interposita, ut, cum res exegerit, ipsæ cautiones exhibeantur, *d. l. 5. ff. fam. ercisc.*

Tit. 4. Ad exhibendum. Tit. 35. Lib. 3. Cod.

Quæ est actio ad exhibendum?

Est præparatoria rei vindicationis, & aliarum actionum, & quidem personalis in rem scripta, *l. 3. §. est autem personalis ff. h.* qua actor desiderat rem aliquam sibi exhiberi.

Quid est exhibere?

Est facere in publico potestatem rei, & extra secretum habere, ut actori experiundi sit copia, *l. 2. ff. h. junct. l. 3. §. 8. & 9. ff. de tab. exhib.* Adeoque est, præsentiam corporis facere, *l. 22. 246 ff. de Verb. Signif.*

Quibus datur hæc actio?

Omnibus, qui in rem acturi sunt qualicunque actione, sive pigneratitia, sive vindicatione, vel noxali, imo & personali actione, vel interdicto, adeoque competit omnibus, quorum exhiberi interest, *l. 2. §. 3. & seqq. ff. h.*

Contra quos datur?

Contra eos, qui vel civiliter vel naturaliter possessioni incumbunt: adeoque & creditorem, qui pignori rem accipit, depositarium, commodatarium, conductorem, *l. 3. §. fin. l. 4. 5 pr. ff. h. l. 8. C. h.* aliosque omnes, qui exhibendi habent potestatem, sive possideant rei servandæ causa, sive ex causa ususf. vel simili, *d. l. 5. §. 1.* Etiam eum, qui dolo malo desiit possidere, vel si quis corruperit rem, *l. 9. §. 2. & 3. ff. h.* nec tantum adversus singulos, sed & universitates & corpora, *l. 7. §. 3. ff. h.* Quin etiam & adversus illos, qui rem deteriorem exhibuerunt, vel translatam in aliud corpus dolo malo, *d. l. 9. §. 3.*

Quid,

Quid, si quis non possideat tempore litis contestatæ, & ante sententiam possidere cœperit?

Etiam adversus eumdirigi poterit actio, & is condemnabitur, nisi restituat. Et vice versa, si quis tempore judicii accepti possederit, & postea sine dolo malo desierit possidere, absolvendus est, quamvis sit, quod ei imputetur cur statim non restituerit, *d. l. 7. §. 5.* Item, qui tempore litis contestatæ possedit, deinde desiit, mox rursus cœpit possidere, condemnari debet, nisi exhibeat, *d. l. 7. §. 6.*

Ad quas res pertinet?

Ad res mobiles, etiam instrumenta, *l. 6. C. h.* Non ad res immobiles: quia eæ sese facile ostendunt, *l. 56. D. de procur.*

Quid statuendum de rebus nostris alienis inclusis & junctis?

Etsi quidem directo non possint vindicari: attamen ad eas exhibendas agi potest, ut excludantur, & sic consequenter vindicentur, modo non sit tignum alienis ædibus junctum; de quo exhibendo vetat agi lex duodecim tabul. *l. 6. & 7. D. h. l. 23. §. 5. & 6. D. de rei vind.*

Quale est hoc judicium? & quod est officium Judicis?

Est tantum summarium: summatim enim actor, ratione suæ actionis proposita, petit, ut reus condemnetur ad exhibendum cum omni causa: & Judex cognoscit tantum, an actoris intersit, & an probabilem tantum habeat actor causam, *l. 1. §. 9. & 11, D. h.* non an ejus sit.

Quomodo interesse dicitur?

Tantum pecuniariè, & ob actionem instituendam, *l. 2. C. l. pen. D. h.* Ideo, si studiosus dicat sua interesse, ut libri sibi exhibeantur, quia doctior & melior futurus est; non id accipietur quasi ejus intersit: nec enim jus civile calumniari oportet, aut verba captare, sed qua mente quid dicatur, animadvertere convenit, *d. l. pen.*

Quo tempore debet interesse?

Utroque, & quo lis contestatur, & quo fit condemnatio, *l. 7. §. f. D. h.*

Quid,

Quid, si reus non exhibeat dolo malo?

Jurabitur adversus eum in litem, *l.* 4. *Cod. l.* 3. *s.* 2. *ff. h.*

Quomodo debet reus rem exhibere?

Cum omni causa, *l.* 9. *s.* 5. & utilitate. &, si quæ utilitas amissa est, vel, quia res non exhibita, vel tardius, id æstimandum est, *d. l.* 9. *s. fin.* & æstimatio fiet, non quanti res est, hoc est, corpus ipsum, sed quanti interest, sive minoris, *d. l.* 9. *s. fin.* sive pluris, *arg. l.* 9. *ff. de act. empt. l.* 11. *ff. de reg. jur.* Imo & fructuum debet haberi ratio, *s.* 3. *Inst. de off. jud.*

Quid, si condemnatus neget se statim exhibere posse?

Siquidem non animo frustrandi tempus petat, ipsi hoc indulgendum est, modo caveat, se eo tempore cum omni causa exhibiturum, *s.* 3. *Inst. de off. jud.*

PANDECTARUM

LIBER XI.

Tit. 1. De Interrogationibus in Jure faciendis, & interrogatoriis actionibus.

Quæ sunt actiones interrogatoriæ?

CUm sæpe difficulter posset intelligi, ex qua parte, vel quo jure quis rem haberet vel possideret, introduxit Prætor interrogatorias actiones, quæ fundabantur in responsionibus reorum ad propositas interrogationes. Verum, iis hodie non utimur, quia nemo cogitur ante judicium de suo jure respondere, *l.* 1. *ff. h.*

Annon igitur ullæ sunt hodie admissæ interrogationes?

Usitatum est, lite contestata, vel post interlocutoriam, positiones proponi; ad quas adversarius respondere tenetur: adeoque eæ prosunt, non ad instituendum judicium, sed ad probationes intentionis, *l.* 1. *s.* 1. *ff. h.*

ff. h. Imo & hodie quoque, ubicunque Judicem æquitas moverit, oportet fieri [a] interrogationem, cum à parte, tum à Judice, *l. pen. ff. h.*

[a] Itaque hodie vel post litem contestatam, vel interlocutoriam, quæ est de admissione partium ad probandum, partes utrimque solent proponere articulos seu positiones de factis, ex quibus litigaturi jus suum metiuntur, ad quas positiones tenentur adversarii respective respondere, prævio jurejurando de calumnia, & quidem, ut practici loquuntur, per verbum credit vel non credit, ut notatur in *Instruct. Cur. Holl. art.* 128. & à *Radeland. decis. Ultraject.* 107. *n.* 2. *Gail lib.* 1. *obs.* 79. cum a. quis ad adversarii articulos respondit, & videt qui testes sint examinandi ad illa facta quæ negavit, ponit juxta positiones quæ ista facta continent, interrogatoria de causa scientiæ & omnibus circumstantiis & iis quæ ad ipsos testes pertinent, de quibus eleganter *Gail lib.* 1, *obs.* 95. ad quæ interrogatoria Judex debet exacte examinare testes; summa n. rei & omnis veritas ex interrogatoriis eruitur.]

Tit. 2. De quibus rebus ad eundem Judicem eatur?

De quibus rebus itur ad eundem Judicem?

Quoties causæ continentia [a] id exigit, vel ratione personarum, vel ratione causæ, vel ipsarum rerum; uti si inter plures duplicibus judiciis sit agendum, idem Judex sumendus est, quo facilius in eundem locum coire possunt, *l.* 1. *ff. h.* Ita, cum ex pluribus tutoribus unus convenitur, ipso postulante omnes ad eundem Judicem mittendi sunt, *l.* 2. *ff. h.* ut sciatur, an satis reliqui locupletes sint, *arg. l.* 6. *§. in fin. ff. de edendo.* Non enim debet causæ continentia dividi, *l.* 10. *C. de judic.* & præstat per pauciora quid fieri, quam per plura, *arg. l.* 39. *§.* 1. *ff. de appellat.* Hinc etiam receptum, ut petitorium ibi instituatur, ubi possessorio est actum, *d. aut.* & reconventiones coram eodem Judice fieri possint: non enim, qui elegit Judicem in actione à se instituta,

aspernari

aſpernari debet eundem contra ſe, in alterius cauſa.

[a] Vide *Mynſing.* 1. *obſ.* 4.]

DE RECONVENTIONE.

Quid ergo eſt reconventio?

Eſt conventio [a] rei adverſus actorem coram eodem Judice: vocaturque mutua petitio, *l.* 11. §. 1. *D. de juriſd. c.* 1. *x. de mut petit.*

[a] Jure Saxonico non locum habet reconventio, niſi finita ſit conventio.]

Qui poſſunt reconventionem inſtituere?

Qui agere non prohibentur, legitimamque perſonam ſtandi in judicio habent.

Coram quo Iudice?

Non diſtinguitur, utrum ſit ordinarius [a], vel delegatus, *l.* 14. *C. de ſentent. & interloc. Nov.* 96. *c.* 2. *l.* 22. *D. de judic.*

[a] Nec hic locum habet exceptio ſuſpecti judicis; recuſare n. nemo poteſt eum, quem antea probavit, *l.* 14. *l. de ſentent. & interl.*]

Quid in arbitris compromiſſariis ſtatuendum?

Siquidem ad certam cauſam ſint electi, non poteſt coram iis fieri reconventio: niſi tanquam conſequens, vel antecedens cohæreat conventioni, *c.* 6. *extra de arbitr.*

Quid, ſi reconventus proponat exceptionem declinatoriam?

Nihil efficit, licet etiam per pœnitentiam renunciaverit inſtantiæ, niſi litem plane deſeruerit.

Poteſtne reconventus rurſus reconvenientem reconvenire?

Id ordinarie [a] non admittitur, ne mutuæ petitiones in infinitum excurrant: niſi quatenus incidat cauſa præjudicialis, quæ ſine altera cognoſci non poteſt.

[a] Videatur *Hoſtienſis in ſummar. extra de mut. petit. n.* 5. *Speculator. p.* 1. *tit. de reconvent. §.* 1. *n.* 4. *Berlichius p.* 1. *concluſ.* 22. *n.* 34.]

In quibus causis fit reconventio?

Regulariter in [a] omnibus, *d. l.* 22. *D. de Iudic.* hoc autem temperamento adhibito, ut criminaliter conventus accusatorem criminaliter reconvenire possit, cum scilicet ex privato judicio agit, vel in publico suam suorumque injuriam persequitur: aliàs enim judicio publico accusatus, alium accusare non potest, *l.* 5. *D. de pub. jud. junct. l.* 8. 9. 10. & 11. *pr. D. de accus.* Deinde, in causa civili reconventio civilis admittitur, imo etiam criminalis, qua ex eadem causa promanat, & civilis non præjudicat criminali, *l.* 3. *C. de ord. cognit. l.* 27. *D. rer. amotar.* In causis vero summariis tantum, si summarie procedat, ne una per alteram impediatur, *arg. l. pen. C. de sentent. & interlocut.*

[a] Non habet locum reconventio specialiter in causa depositi, *l.* 11. *C. depos.* nec in spolio, *c.* 2. & *ult. x. de restit. spol.* sic nec in causa fractæ pacis, *Gail lib.* 1. *de pace publ. c.* 12. 4.]

Quando reconventio potest proponi?

Non tantum initio litis, sed & post: non enim distinguitur, *d. l.* 14. & *d. Nov.* 96. *c.* 2.

Semperne pari passu ambulat reconventio cum conventione?

Sic videtur [a] Dd. Ll. modo conventio vel reconventio non sit præjudicialis: (*Prius enim præjudiciale judicium exercendum est.*) vel reconventio non initio, sed jam pendente processu super conventione non sit proposita: Qui enim vult, ut eodem modo procedant, debet cum litem contestatur super conventione, vel statim post, reconventionem movere.

[a] Ita *Mynsing.* 1. *obs.* 10. *Toming. decis.* 16. *n.* 1. & *seqq. Colerus p.* 1. *dec.* 102, *n.* 1.]

Tit 3. De servo corrupto. Tit. 2. Lib. 6. Cod.

Quid est in edicto de servo corrupto?

Ex eo adversus eum, qui alienum servum receperit, dolove malo corruperit, quanti ea res est, in duplum judicium datur, *l.* 1. *pr. §.* 1. 2. 3. *D. h.*

Quid

Quid est recipere & corrumpere?

Recipere, est refugium abscondendi causa servo præstare: corrumpere vero est persuadere; persuadere autem plus est, quam compellere. Persuadet vero is, qui ad delinquendum inducit, vel delinquentem servum laudat. nec enim oportet laudando augere malitiam, *l.* 1. *s.* 3. *&* 4. *D. h.*

Tit. 4. De servis fugitivis. Tit. 1. Lib. 6. Cod.

Quid est in edicto de servis fugitivis?

Eo coërcentur, qui servos fugitivos celant, & in publicum deducunt, *tot. tit. h.*

Quomodo investigabitur servus fugitivus?

Literæ à Magistratu dantur, & Apparitor ei adjungitur, ut libere possit ingredi & inquirere, ac cubilia vestigiaque occultantium scrutari: Pœna imminente illis, qui inquiri non permittunt, *l.* 3. *D. h.* Quod & referendum est ad inquisitionem rerum furtivarum.

Tit. 5. De Aleatoribus. Tit 43. Lib. 3. Cod.

Multis modis legibus provisum est adversus excessum aleatorum: & in eorum odium multa sunt constituta. 1. Si quis eum, apud quem alea lusum est, verberaverit, vel damnum ei dederit, vel eo tempore quid ei subtraxerit, nulla [*a*] est actio, *l.* 1. *D. h.* Secundum est: Si quis alium compulerit alea legibus vetita ludere, arbitrarie punitur, aut mulctatur mulcta, aut in lauturnias, vel in vincula publica mittitur, *d. l.* 1. *s.* 4. Tertium est; Nulla actio competit ad exigendum id, quod in aleam amissum est: &, quod solutum est, repeti [*b*] potest, non tantum ab ipsis, qui luserunt, sed & à parentibus, &, si hoc neglexerint, qui luserunt, & eorum hæredes, à quibuslibet extraneis, præsertim Defensore civitatis, etiam post 30 annos, *l.* 1. *C. h.* Cautio autem

tem data super aleæ lusu, est irrita, & condici potest, *d. l.* 1.

[*a*] Hodie hoc non viget, ut notat *Autumnus in l.* 1. *D. h.* ne ex legibus, quæ injurias puniunt, detur immunitas injurias inferendi, *fac. l.* 6. *C. unde vi* [*b*] Videantur hac de re *Christin. vol.* 2. *decis.* 200. *Grotius lib.* 3. *tit.* 3. *Clarus* §. *ludus n.* 7. *Rebuff. ad constit. Reg. in proœm. Gloss.* 5. *n.* 57.]

Quæ est ratio hujus prohibitionis?

Quia substantia ludendo perditur, familia ad inopiam redigitur, Deus blasphemiis læditur, *l. fin. Cod. h.* totumque negotium pugnat cum justitia commutativa, & verbo Dei.

Annon hæc omnia consuetudine sublata sunt?

Multi id arbitrantur [*a*]; sed, quia, quæ cum bonis moribus pugnant, honestatem, totamque rempub. lædunt, tolli consuetudine non possunt. Id quidem admitti posset, quod hæc in dissuetudinem abierint: verum nulla consuetudo contraria probari unquam poterit: non enim Judices adeo alieni à justitia reperientur, ut rem tam exosam, tam impiam, suis sententiis contra leges publicas comprobent: imo nec possunt: cum factum Prætoris Juri nihil deroget, *l.* 1. §. 1. *D. de feriis.*

[*a*] Sublata esse docet *Heigius lib.* 2. *Q.* 10. *n* 32. Vide *Carpzovium lib.* 6. *tit.* 6. *resp.* 96.]

Ergone nullo casu ludere permissum est?

De re minima, *arg. l.* 3. *C. h.* vel in convivio, vescendi causa, *l.* 4. §. 1. *D. h.* pariter, si quis certet hasta, pilo, currendo, saliendo, pugnando, virtutis causa in pecuniam ludere permissum est, *l.* 2. §. 1. *D. h.*

Licetne etiam sponsiones facere?

Licet, sed non in aliis, quam in quibus pro virtute certamen est, *l.* 17. §. *fin. D. de præscr. verb.* vel cum de summa modica, ex cujus amissione quis pauperior fieri non potest, agitur.

Si mensor falsum modum dixerit.

Quid est in edicto, si mensor falsum modum dixerit?

Cum interest ne quis fallatur in modi, rei mensuran-

randæ renunciatione, proposita est actio Prætoria in personam adversus mensorem, qui falsum modum dixit, *l.* 1. *§.* 1. *D. h.*

Cui datur hæc actio?

Illi, cujus interest falsum modum non dici, sive is emptor sit, sive venditor, *d. l.* 3. *§* 1 nisi aliter, cui renunciatio est facta, actio adversus adversarium sit salva, *l.* 3. *§.* 2. *D. h.* Daturque etiam hæredibus, *d. l.* 3. *§.* 5.

Adversus quos datur

Qui falsam mensuram dixerunt, *l.* 1. *D. h.* &, si plures sint, adversus singulos in solidum; sed ut unius satisfactione alter liberetur, *l.* 3. *pr.* Sive etiam per alium, sive per se renunciarunt, vel aliter in mensura fefellerunt; ut, si fuerint machinarii, architecti, tabularii, *d. l.* 1. *§.* 3. *D. h.*

Quomodo debet fieri renuntiatio modi, ut actio locum habeat?

Tantum dolo malo, vel lata culpa, non levi, *d. l.* 1. *§.* 1. Visum enim est, satis abundeque coërceri mensoris dolum solum, cum civiliter non sit obligatus, & sibi imputare debeat qui eum adhibuit, *d. l.* 1. *§.* 1.

Quid venit in hanc actionem?

Petitur id, quod interest, siquidem quid minus acceperit aut amplius dederit, *d. l.* 3. *§.* 1. *D. h.*

Tit. 7. De Religiosis, & sumptibus funerum. 44. Lib. 3. Cod.

Quæ sunt membra hujus tituli?

Varia; primum est de religiosis in genere; alterum, de sumptibus funerum; tertium, ut funus ducere liceat.

Possuntne res religiosæ vindicari?

Etsi non sint in dominio, ut sic proprie vindicari nequeant, *l.* 2. *&* 4. *D. h.* possunt tamen peti per actionem in factum, non quasi nostri patrimonii sint, sed nobis destinatæ, *arg. l.* 21. *C. de SS. Eccles.*

Estne aliquod edictum de hisce?

Est; uti, si quis intulerit mortuum, vel ejus ossa, in locum,

locum, in quem inferre non licuit, teneatur actione in factum, & pœnæ pecuniariæ subjiciatur, *l.* 2. *s.* 2. *D. h.* vel, si in alium locum intulerit, aut tollat, aut loci pretium solvat, *l.* 7. *D. h.*

Licetne ergo propria authoritate effodere?

Non licet sine decreto publico. alioquin enim, qui effodit, injuriarum tenetur, *l.* 8 *ff. h.*

Quod est edictum de funeris impensis?

Ut sumptus funeris cau a facti recuperari possint per actionem in factum, *l.* 12. *s.* 2. *ff. h.*

Quis debet funerare?

Cui hoc testator mandavit, & si is, cui id mandatum est, non ex equatur, excidet emolumento sibi relicto, vel, si acceperit pecuniam, dabitur adversus ipsum de dolo actio, vel extra ordinem compelletur, *d. l.* 14. *s.* 2. Sin autem defunctus nulli demandaverit, hæredes id officii præstare tenentur, *d. l.* 12. *s.* 4.

Cui datur actio ob sumptus funeris?

Illi qui negotium defuncti gerens impensas fecit, *d. l.* 12 *s.* 2. & ei, qui mandavit, *d. l.* 14. *s.* 15.

Adversus quos datur funeraria de sumptibus?

Adversus hæredes, alioſve successores, ad quos funeris causa pertinet, *l.* 14. *s. fin. ff. h.* sic tamen, ut, si testator aliquem elegerit ad funerandum, & sumptus præstandos, is recte conveniatur, *d. l.* 12. *s.* 4.

Quid petitur hac actione?

Omnis impensa, quæ facta est, ut funus ducatur, sine qua funus honeste duci non potuit, sive quid sit erogatum in elationem mortui, vel in locum; quia necessario locus paratur, quo defunctus condendus est, *d. l.* 14. *s.* 3. vel aliter in corpus, licet non funeretur, custodiendum, commendandum, vel in marmor, *d. l.* 14. *s.* 4. vel in unguenta, vectigalia, sarcophagum, vel vecturam. Imo in omne. quod corporis causa, antequam sepeliatur, consumptum est, *d. l.* 37.

Habentne impensæ funeris certam quantitatem?

Debet Judex arbitrari pro facultatibus defuncti, ex causa, tempore, & bona fide, *d. l.* 12. *s.* 5. *l.* 14. *s.* 6.

Et,

Et, si testator immodicos fieri sumptus jusserit, non præcise servanda est ejus voluntas, *d. s. 6 in fin.*

Quæ privilegia habet actio funeraria in concursu aliorum creditorum?

Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur, quasi ipsius hæreditatis æs alienum: adeo ut omne creditum præcedat *l. pen. D. h.* Etiam causam dotis, *l.* 18. 19. *D. h.* & causam omnem taciti pignoris, *d. l.* 14. *s.* 1. Id enim exigit pietatis & ipsius humanitatis ratio.

[*a*] Et confirmat praxis communis ubique recepta.]

Habentne & sumptus in morbum eandem prærogativam?

Nequaquam Jure Civili. nec quicquam in contrarium probari potest ex, *l.* 3. *C. h.* quia ibi indicatur, quod legata, impensæ funeris, & in morbum, solvi debeant, quod nihil commune habet cum hoc privilegio. Verum, cum consuetudine aliter sit receptum, hanc pro lege sequi oportet; habet enim ea justam rationem, ne ægri à medicis deserantur.

Suntne casus, quibus actio funeraria non habet locum?

Sunt varii. 1. Si quis aliam habeat actionem, qua possit suum consequi. ut, si familiæ erciscundæ agere possit, *d. l.* 14. *s.* 12. vel si ex mandato alterius funeraverit, quia habet actionem mandati, *d. l.* 14. *s.* 15. 2. Si pietatis causa quis funeraverit, non animo repetendi. Et, cum in dubio Judicis arbitrio relinquatur, oportet funerantem testari quo animo funeret: ne postea patiatur ob hoc quæstionem, *d. l.* 14. *s.* 5. & 9. Præstat etiam protestari, se pietatis causa facere, ne videatur suspectam adiisse hæreditatem, *l.* 20. *s.* 1. *D. de acq. vel amit. hæred.* 3. Si in contumeliam defuncti locupletis modicus sit sumptus factus, *d. l.* 14. *s.* 10. *ff. h.*

Quod est edictum, ut funus ducere liceat?

Ne vis fiat ei, cui funerandi jus est, quo minus funeret, *l.* 12. *s.* 4. *ff. h.* ne per tales controversias cadavera

davera maneant insepulta, contra publicam honestatem & utilitatem, *l.* 43. *D. h.*

Tit. 8. De mortuo inferendo, & sepulchro ædificando.

Quid est in edicto de mortuo inferendo?

Cautum est, ne vis ei fiat, qui mortuum infert; quo altero invito inferre potest, *l.* 1. *pr. h.* Et vix differt à priori, ut funus ducere liceat; nisi dicamus, ibi agi de eo, qui funus alterius curat atque ita ducit: hic vero de eo, qui immediate in sepulchrum infert.

Quid, si is, qui inferet, via prohibeatur?

Hoc interdicto potest uti. nam & inferre prohibetur, cui via præcluditur, *l.* 1. *s.* 1. *&* 3. *D. h.*

Potestne aliquando impediri, ne quis sepeliatur?

Arbitrantur id nonnulli admittendum esse in debitoribus ære alieno gravatis: verum, cum id pugnet cum humanitatis jure, non est admittendum, *Nov.* 60. *c.* 1. *arg. l.* 43. *D. de relig.* Licet etiam convenerit de corpore post obitum detinendo: cum turpis sit conventio Cæterum, fœmina prægnans mortua sepeliri non debet, antequam partus ei excidatur, ne spes animantis perimatur, *l* 2. *D. h.*

Quod est edictum de sepulchro ædificando?

Ne vis fiat ædificanti suum sepulchrum, *l.* 1. *s.* 5. *D. h.* sive novum opus moliatur, sive vetus reficiat, *d. l.* 1. *s. pen.* Prohibet vero & is, qui impedit materiam convehi, *d. l.* 1. *s.* 8.

TERTIA PANDECTARUM PARS:

LIBER XII.

Tit. 1. De rebus creditis. Tit. 1. Lib. 4. Cod.

Quæ sunt res creditæ?

Crediti vocabulum, generaliter acceptum, refertur ad quamcunque causam, ex qua, qui alienam fidem secuti sunt, exigere possunt, quod ex conventione debetur, *l. 1. pr. l. 2. §. 3. D. h. l. 10. & 11. D. de Verb. Signif.* Unde etiam hic titulus reliquis actionibus, quæ ex obligationibus nascuntur, præmittitur. In specie vero solet applicari mutuo.

DE MUTUO.

Quid est mutuum?

Contractus realis, *pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* quo quantitates ea lege alteri dantur, ut non eædem in specie, sed in genere restituantur, *d. pr. Inst. l. 2. pr. §. 1. & seqq. D. h.*

Quæ sunt substantialia hujus contractus?

Requiritur: 1. Persona habilis ad contrahendum mutuum. 2. Res ad hanc rem idonea. 3. Rei traditio. 4. Traditio eo animo facta, non ut idem, sed tantundem reddatur.

Qui possunt mutuo dare?

Qui rerum sunt domini, *d. l. 2. §. 4.* vel speciali voluntate dominorum res administrant, *d. §. 4.* vel quasi sunt domini; ut tutores & curatores, *l. 26. D l. 4. C. h. l. 226. §. 2. de Verb. Sign.* In specie prohibentur [a] Præsides Provinciarum, *l. 33.* sive per se, sive per alios, *l. 3. C. h.*

Quid

[a] Hodie cum omnes magistratus etiam superiores possint in jus vocari, licitum est etiam eisdem cum subditis contrahere, atq; iis mutuam pecuniam dare, *Busius in l. 33 n 5. ff. h. Wesenb. in paratit. h. Zypæus tit. de jurisd. vers sed neque. Argentræus ad consuet. Britann. art. 35. not. 1. n. 1. inf.*]

Quid statuendum de pupillis, furiosis?

Quod mutuo dant, revera mutuum non est: sed per consumptionem propter utilitatem, condictio sive repetitio iis non est deneganda, *l. 12. l. 9. §. 1. D. h. §. fin. Inst. quibus alien. lic.* vel non idem in minoribus, qui curatorem habent, & prodigis, quia alienare non possunt, recipiendum est. Minores autem, curatoribus destituti, recte mutuo dant, *arg. l. 3. C. de restit. in integr. minor.* Sic tamen, ut læsi restituantur, *d. l. 3.*

Quid juris in illis, qui alienos nummos credunt?

Si alienos nummos [a] alteri quis mutuo dederit, non ante mutuum est, quam consumti fuerint, *l. 13. §. 1. D. h.* Ita quoque, si fur alteri animo credendi nummos dederit, nihil facit accipientis, sed consumtis iis, bona fide nascitur ei condictio, *d. l. 13. princ. junct. l. 11. §. fin. D. h.*

[a] Itaque, quod etiam hodie valet, si quis meam pecuniam citra meam voluntatem alteri mutuo dederit, possum eam ante consumptionem vindicare, quia ex facto alterius dominium à me non recedit. Censet *Antumnus d. l. 13. §. 1. ff. h.* sed immerito.]

Quid, si tuos dans mutuo, stipulatus fuero mihi reddi?

Jus obligationis mihi quæsivi, nec aliter nummos petere potes, quam cessis à me tibi actionibus, *l. 2. C. h.* Verum, si tanquam procurator tuo nomine numeravero tuos nummos, vere erit mutuum: & non tantum condictio, sed &, si pignus fuerit datum, hypothecaria ipso jure sine cessione tibi dabitur, *l. 2. C. per quas person.* pariterque quoque datur condictio tibi, si nummos meos tuo nomine dedero, veluti tuos, sive ex voluntate, sive absente, vel ignorante [a] te: cum quotidie credituri pecuniam, ab alio posca-

mus, ut noſtro nomine creditor meus futuro debitori numeret, *d. l. 9. §. 8.*

[*a*] Si ſc. poſteà id ratum habuero, nam alias actus alterius mihi non nocebit, ſecundum regulam quæ eſt in *tit. C. res inter alios acta aliis non præjudicat*, *Buſius in l. 9. §. 8. ff. h.*]

Quid, ſi mandavero debitori, ut meam pecuniam tibi mutuo det meo nomine: vel inter te, qui ex cauſa mandati mihi debes, convenerit, ut, crediti nomine, retineas: eritne mutuum?

Etſi quidem ſubtiliter diſputando vix id eſſe verum videatur: tamen ſingulariter, ob utilitatem, per brevis manus fictionem receptum eſt id valere: non enim convenit nimis religioſe apices Juris qui proponuntur in princ., *l. 34. ff. Mand.*, ſed quod utilius eſt, ſequi, *l. 51. in fin. ff. ad. l. Aq. add. arg. l. 15. ff. h.*

Omneſne ex mutuo poſſunt obligari?

Omnes, qui contrahere poſſunt, & ſpecialiter non excipiuntur. Excipiuntur autem aliqui in totum; aliqui certo modo. In totum filiifam. ex SConſulto Macedoniano, *l. 1. & tot. tit. D. ad SConſ. Macedon.* Cum modo, adminiſtratores civitatum. Nam qui iis crediderunt, non aliter civitatem ex mutuo ſibi obligatam habent, quam ſi pecunia in ejus rem fuerit verſa, quod eſſe factum probare [*a*] debent qui agunt, *l. D. h. arg. Nov. 120. c. 6. §. 3. in fin.* Niſi ſpecialiter hoc fuerit mandatum adminiſtratoribus, *arg. l. 13. D. de inſtit. act.* vel ordo, qui civitatem repræſentat, loco adminiſtratorum nummos acceperit, *arg. l. 3. D. quod cujuſque univerſit.*

[*a*] Vide hac de re *Sande deciſ. lib. 3. tit. 2. def. 3.*]

Poſſuntne pupilli & ſimiles mutuum accipere?

Non prohibentur accipere: Interim pupilli prodigi, ut & furioſi, nullo modo obligantur, niſi qua locupletiores fuerint facti, *l. 3. D. commod. l. 6. de Verb. Oblig. l. 5. D. de reg. jur.* Minores vero obligantur quidem, *l. 101. D. de verb. oblig.* ſed læſi reſtituuntur *l. 1. D. de minor.*

In quibus rebus consistit mutuum?

Tantum in iis, quæ pondere, numero, & mensura constant, *l.* 2. *§.* 1. *D. h. tit.*

Quid, si species fuerit data, ut ejus venditæ pretio tanquam mutuo utaris?

Stricto jure non videtur esse mutuum: at per fictionem brevis manus & ex scopo æquum est, ut pro mutuo reputetur, *l.* 11. *pr. D. l.* 8. *C h.*

Qua forma mutuum celebratur?

Tantum traditione, *l.* 30. *D. h. t.* eaque, quæ fit eo animo, ut tantundem reddatur. Et, si nihil dictum sit de reddendo, pro cauto habetur, ut æque bonum, ac ejusdem generis, & in eadem bonitate, qua datum est, solvatur, *l.* 2. *D. h.*

Quid, si convenerit, ut plus vel minus restitueretur?

De minori summa valet conventio: at, si decem dedero, ut undecim restituas; amplius quam decem [*a*] condici non potest, *l.* 11. *§.* 1. *D. h. l.* 17. *pr. D. de pact.* Nec potest quod ultra promissum est, peti uti sors, quia non est in sorte: nec ut usura, quia ea ut debeatur, nominatim in stipulationem deduci debet, *d. l.* 3. *C. de usur.* non ut donatio, quia ea nunquam præsumitur, *d.* 7. *D. de donat. junct. l.* 25. *D. de probat.* Verum, si hodie pro pœna tardæ solutionis, vel in compensationem lucri, quid addatur, contractus valebit: cum moribus inter pacta & stipulationes differentia non observetur.

[*a*] Hoc ipsum pactum, cum hodie ex quolibet pacto datur actio, etiam producet actionem in undecim, attento tantum eo, ne quid sit factum in fraudem legitimarum usurarum, *arg. l.* 44. *ff. de usur.*

Si certum petatur. Tit. 2. Lib. 4. Cod.

Quæ actio est ex rebus creditis?

Personalis, quæ dicitur condictio, *§.* 15. *Inst. de action.* competens ex omni obligatione, quovis modo contracta. Et est vel certi, *l.* 9. *D. h.* qua rem, vel summam certam petimus. vel incerti, qua incertum; uti fit, cum factum est in obligatione, *§. fin. Inst. de Verb.*

Oblig. vel res generaliter est promissa. *l.* 75. *D. de Verb. Oblig.*

Quæ est actio ex mutuo?

Condictio certi ex mutuo, qua actor petit reum condemnari, ut tantum solvat quantum mutuo accepit, cum damnis, & eo quod interest.

Annon debet in eodem genere fieri solutio?

Debet non tantum in eodem genere solvi, sed & in eadem bonitate & qualitate: aliud enim pro alio non solvitur, *l.* 2. §. 1. *D. h.* sic nec pecunia pro vino, vel vice versa; quia est aliud genus: nec vinum novum pro veteri, quia est alia qualitas: nec id, ex quo alterius conditio fit deterior, *l.* 3. *D. h.* quia eadem bonitas desideratur, reddi sufficit,

Quid juris est in nummis?

Debitor non cogitur in eadem specie solvere: *quia æstimatio fuit credita, non species ejusdem generis monetæ:* nisi creditor ex ea re damnum sit passurus, *l.* 99. *D. de solut.*

Quid, si mutatio monetæ in intrinseca vel extrinseca qualitate fuerit facta?

Si de certa specie nummorum fuerit actum; veluti de ducatis Hungaricis, & tractu temporis bonitas intrinseca, hoc est, auri sit mutata, debent secundum bonitatem, quæ fuit tempore contractus, reddi, *l.* 3. *D. h.* &, si eos in specie tali solvere nequeat, quia forte non exstant, præstanda est æstimatio secundum valorem, qui est tempore solutionis. Sin autem nihil convenerit, sed de pretio restituendo sit actum, nihil mutatio efficiet: sed ad tempus contractus omnia sunt redigenda, *d. l.* 3. *& l.* 69. *D. de contrah. empt.*

Quid, si res mutuo data perierit?

Erit detrimento mutuatarii, *l.* 11. *C. h.* Et, si debitor pecuniam mutuam in alterius utilitatem verterit, non protinus liberatur ab hac actione, licet cedere velit creditori actionem sibi competentem, *l.* 13. *C. h.*

Quæ ratio generalis observanda est, si, cum res non præstatur, ad æstimationem sit deveniendum?

Siquidem convenerit, ut solutio certo die fieret, ejus tem-

temporis [a] habenda est ratio, *l.* 11. *D. de re jud.* Si de loco convenerit, æstimabitur secundum pretium loco adjecti, *l.* 22. *D. h.* Sin autem dies non sit adjectus, distinguendum est utrum æstimatio veniat actionis jure; veluti, si ea specialiter promissa sit, vel si fidejussor aliquid solverit; hoc casu tempus contractus inspicitur, *l.* 22. *D. de oblig. & act. l.* 28. *D. de novat. l.* 37. *D. mand.* an vero rei æstimatio sit per Judicem facienda; hoc modo spectari debet tempus moræ vel litis contestatæ, si ante mora non sit commissa, *d. l.* 37. *d. l.* 22. *D. h. t. l.* 3. *§. f. D. de condict. triticiar. l.* 8. *§. pen. D. de condict. l.* 3 *§. si venditorem D. de action. empt.* an deniq; æstimatio sit facienda per juramentum in litem; hoc casu, in bonæ fidei judiciis tempus condemnationis, in stricti juris, litis contestationis attenditur, *l.* 3. *§.* 2. *D. commod.* nisi res petita ante dolo vel culpa rei sit facta deterior: tunc enim & id tempus spectatur, *arg. d. l.* 3. *de condict. tritic.*

[a] Concordat sententia *Costalii*, *Bartoli*, *Alexandri*, *Busii*. Dissentit *Arumæus disp.* 11. *ad ff. Thes.* 5. qui arbitratur, quod indistincte tempus moræ usque ad condemnationem spectari oportet. Vide Iatius *Lyclama de incunda rerum æstimat. Hotomann. illust.* Q. 16.]

Quare aliter in juramento in litem, quam aliis casibus, disponitur?

Quia post sententiam demum juramentum causam accipit ex contumacia.

Quomodo hoc accipiendum est, quod tempus moræ spectandum sit?

Ut ab eo tempore præstetur rei maxima [a] æstimatio, in quam omnis utilitas venit; non quæ haberi possit per negotiationem; sed quæ revera circa ipsam rem consistit, *l.* 21. *§.* 3. *D. de act. empt. junct. l.* 3. *§.* 3. *D. eod.*

[a] Ita enim communiter in praxi receptum est, quod à die moræ semper crescat debitum usque ad condemnationem, *Sande lib.* 3. *decis. tit.* 4. *defin.* 8. nec morator conqueri potest de iniquitate, quia ex suo facto detrimentum patitur, quo *fac. l.* 15. *ff. si quis omissa causa test.*]

Qui-

Quibus, & contra quos datur actio ex mutuo?

Datur iis, qui mutuo dederunt, & hæredibus eorum pro portionibus hæreditariis; &, si plures dederint, non singuli in solidum, sed pro suis portionibus agent, *l. 9. C. h.* adversus eos, qui mutuum acceperunt, vel eorum hæredes pro portionibus hæreditariis, *l. 1. C. h. l. 8. §. 1. D. de condict. furt.*

De [a] Suffragio. Tit. 3. Lib. 4. Cod.

Si quid nomine suffragii apud Principem obtinendi aulico sit promissum, estne hoc præstandum?

Etsi quidem ambitus non sit permissus, tamen quod aulico ad remunerationem & laboris præmium promissum est, quasi mutuo datum, solvi debet, *l. un. C. h.* sive res mobilis, sive immobilis sit promissa: modo in re immobili adhibita sit scriptura, *d. l. un.*

[a] Hoc jus hodie abrogatum est, *Mornacius* & *Anum. h. Christin. vol. 3. dec. 6. inf. Zypæus h.* quia sapit hoc negotium aliquo modo ambitum.]

De non numerata pecunia. Tit. 30. Lib. 4. C. De literarum obligationibus. Tit. 22. Lib. 3. Inst.

Quid, si quis in chirographo sit professus se pecuniam accepisse, quam non accepit?

Specialiter hac de re constitutum est, ut, qui spe futuræ numerationis cautionem emiserit, qua se pecuniam accepisse & debere ex mutuo fatetur, quæ tamen non est numerata, intra biennium [a] non obstante tali confessione possit vel condicere suam syngraphan, *l. 3. C. h.* vel, si conveniatur, opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ; quæ habet hanc prærogativam, ut, si creditor probare non possit se numerasse, debitor absolvi debeat per solam suam negationem, *tot. tit. Inst. h. l. 3. C. h. t. junct. l. 10. 14. C. eod.* Quod beneficium indultum est debitoribus, quia sæpe ex nimia facilitate cautionem emittunt, antequam pecunia sit numerata.

[a] Frisii hodie jus scriptum in hac re sequuntur, *Sandelib. 1. tit. 8. definit. 3.* Galli & plerique Belgæ, etiam

etiam Hollandi ab eo recedunt, *Gudelin. lib. 3. de I. N. c. 6. in f. Christin. vol. 3. dec. 37. n. 9 Zypæus de except. Argentr. in consuetud. Britann, art. 280. n. 1, 2. Mornac. & Autumn. in l. 14. C. h.*]

Quid ergo, si debitor renunciaverit huic exceptioni?

Id ei non [a] oberit, modo probet, Notarium, qui instrumentum scripsit, magis ex consuetudine, quam certa intentione illam adjecisse, *arg. l. pen. Cod. h.*

[a] Decisum est in Frisiæ Curia, hunc esse effectum renuntiationis, quod onus probandi in debitorem devolvatur, *Sande l. 3. tit. 2 def. 1.* Quod ita accipi potest si debitor non possit probare Notarium non certa intentione, sed ex consuetudine renuntiationem adjecisse.]

Quid, si in instrumento fiat mentio jurisjurandi?

Nihil oberit: quia juramentum sequitur naturam contractus, cui adjunctum est, *l. fin. C. h.* modo juramentum cum emphasi ad renunciandum vel præcise solvendum, non sit adjectum: tunc enim inefficax esse non debet, *arg. l. 77. §. 23. D. de legat.*

Estne hoc tantum in mutuo verum?

Id videtur, *l. 5. 6, 11, 23. C. h.* Numeratæ enim pecuniæ nomen ad mutuum tantum refertur. Et quidem, si ex priori aliqua causa debitum quid narretur, exceptio hæc non habet locum, *l. 13. C. h.*

Competitne hæc exceptio etiam hæredi?

Hæredi quoque datur: ita tamen, ut residuum temporis, quod restabat defuncto, ipsi indulgeatur, *l. 8. C. h.* Quod & in fidejussore recipiendum, *l. 12. C. h.*

Suntne casus, quibus hæc exceptio cessat?

Enumerantur in *l. 14. §. 1. & 2. C. h.* 1. In instrumento depositionis pecuniæ. 2. In securitatibus tributorum. 3. In apochis post confectionem dotalium instrumentorum. 4. Si reus partem sortis vel usurarum solverit.

Quamdiu quis potest consistere adversus apocham, quam debitori suo de solutione facta tradidit?

Tantum ad 30 dies, *d. l. 14. §. 2.* quia non tam facile creditor apocham dat spe futuræ solutionis, quam debitor numerationis.

Quid Iuris post biennium?

Hæc exceptio non habebit locum, *l.* 8. 10. *C. h. tit.* Nisi de dolo conqueratur, *l.* 5. *§. f. D. de excepi. dol.* vel is casus probetur, quo impossibile fuerit, ut pecuniam accepisse potuerit, *arg. l.* 13. *C. h.* vel denique, nisi ipsum chirographum neget. Imo non licet debitori post biennium actori [a] deferre juramentum, *d. l.* 14. *§.* 3.

[a] Id nec in Hollandia hec Gallia observatur, *Autumnus, Mornacius in l.* 14. *C. h.*]

Quod est igitur fundamentum obligationis literarum?

Quoniam Judex, ignorans quid actum sit, præsumit numerationem factam ob confessionem instrumento comprehensam, lapsum temporis, & negligentiam debitoris, *arg. l.* 30. *D. de verb. oblig. l.* 14. *C. de contrah. stipul.*

Quid, si scripturam negans, postea convincatur mendacii?

Damnatur in [a] duplum, nisi sacramento delato confiteatur, tunc enim in simplum & expensas condemnandus est: at, si post hanc numerationis inficiationem, prætendat solutionem, æque solidum exigetur, nec proderit ei solutio, si quam fecit, *Nov.* 18. *c.* 8.

[a] Pro re nata solet infligi pœna arbitratu judicis, *Instruct. Supr. Curiæ art.* 208. *Mornac.* & *Autumn. in Auth. contra C. h. Rebuff. ad proœm. constit. reg. Gloss.* 5. *num.* 6.]

Tit. 3. De jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.

Quod est juramentum?

Affirmatio intentionis nostræ, invocato nomine divino in veritatis testem, si jurans verum dixerit, & in vindicem perjurii, si falsum enunciaverit.

Estne permissum jurare?

Ex Jure Divino, & Civili, *Deuter.* 6. 10. *Exod.* 22. *Levit.* 16. *ad Hebræos* 6. *Rom.* 1. 2 *Corinth.* 11. *tit. h. n.* Non autem temere, vel modo illegitimo.

Quomodo

Quomodo distinguitur Iuramentum?

Aliud pertinet ad judicialia, aliud ad extrajudicialia.

Quæ sunt species illius, quod pertinet ad extrajudicialia?

1. Subjectionis & fidelitatis, quod præstant subditi suis magistratibus, milites suo Duci, vasalli suis dominis. 2. Confirmatorium, quo negotium, quod geritur gestumve est, arctius confirmatur. Uti, si fidei de fideicommisso præstando juramentum addatur, *l. 77. §. 23. D. de leg. 2.* Si fœmina renunciet paternæ hæreditati, beneficiisque aliis, *c. 2. de pact. in 6. c. 28. D. x. h.* Si minor juramento corroboret venditionem, *l. 1. & auth. seq. C. si adverf. vendit.*

Daturne actio ex jurejurando, quod causam non habet?

Iure Civili vix ejus efficacia major, quam pacti, *arg. l. 56. D. de fidejuss. l. 95. §. 4. D. de solut. l. 7. §. 16. D. de pact. l. 5. C. de legib.* Præterquam in casu, *l. 7. pr. & §. 2. D. de oper. lib. l. 44. D. de lib. caus.* Verum, moribus actionem ex eo dari, non est dubitandum, cum ex quolibet pacto deliberato inito competat.

Quousque licet confirmare contractum invalidum?

Siquidem invalidus sit, quia contra bonos mores formamve publicam est, frustra abhibetur juramentum, *d. l. 7. §. 16. de pact. l. 5. D. de legib.* Verum, si sit invalidus ex privilegio concesso juranti, & nullus subsit dolus ex re aut persona, metusque, aliaque causa, quæ destruit vinculum conventionis, valet, *arg. d. l. 1. & auth. seq. C. si adverf. vendit. d. c. 2. de pact. in 6. d. c. 28. x. h.*

Quæ juramenta pertinent ad judicialia?

1. Quæ pertinent ad decisionem litis; uti sunt in specie voluntarium, judiciale, & necessarium 2. Quibus proceditur ob dolum adversarii, vel interitum rei ad taxationem: qualia sunt juramenta in litem. 3. Quæ incidunt in litem, præstanturque vel à litigantibus eorumque adjutoribus; quale est Iuramentum purgationis, calumniæ; vel à testibus, quale est veritatis, &c.

Quomodo distinguuntur juramenta litis decisoria?

Ea vel ex conventione à partibus, vel sine conventione à Iudice deferuntur. Quæ ex conventione, sunt vel voluntaria vel judicialia; quæ à Iudice, sunt necessaria.

Qui possunt ex conventione deferre?

Qui possunt contrahere: unde prohibentur pupilli, sine tutorum autoritate, *l.* 17. *s.* 1. *D. h.* prodigi, *l.* 35. *s.* 1. *h.* & similes.

Quid statuendum de ipsis tutoribus? possuntne & illi deferre?

Recte deferunt, siquidem probationes deficiant, *d. l.* 35. *pr. D. h.*

In quibus causis?

Omnibus honestis, iisque, quæ sunt in potestate partium.

Quis est effectus juramenti conventionalis?

1. Ab actore præstitum, parit actionem, *s.* 10. *Inst. de action.* à reo, exceptionem, *l.* 6. *D. h.* eaque datur non tantum jurantibus, sed & successoribus, vel in personam vel in rem, *l.* 7. *&* 8. *D. h.* 2. Sub prætextu perjurii non retractatur, nisi ita convenerit, *l.* 31. *in fin, D. h. l.* 1. *C. de reb. credit.* 3. Licet revocare, antequam præstitum sit, usque ad litis terminum, siquidem revocans plenissime probare voluerit: verum, si is postea probare non possit, causa cadit, nec ei ad juramentum datur regressus, *l.* 11. *C. h.*

Quomodo appellatur actio, quæ proficiscitur ex juramento?

Ex jurejurando in factum, in qua non quæritur de probatione & veteri causa, sed tantum, an juratum sit. *d. s.* 10. *l.* 5. *s.* 2. *D. h.* Ea tamen sic est instituenda, ut veteris actionis forma, mentione jurisjurandi facta, observetur, *l.* 13. *s.* 4. *&* 5. *D. h.*

Quod est voluntarium?

Quod pars parti defert extra judicium; inde dictum, quod is, cui defertur, ex nulla necessitate vel præstandi vel referendi adversario id præstet, *l.* 10. *pr. l.* 28. *s.* 10. *D. h.*

Pote-

Potestne hoc referri?

Semel susceptum non refertur, *d. l. 17. arg. l. 5. C. de oblig. & act.*

Quod est judiciale?

Quod pars parti defert in judicio, & quasi judice autore. *l. 12. C. h.*

Estne hoc necessario præstandum?

De hoc valet regula: (quæ admittenda est, licet nihil sit probatum: *Cum leges non distinguant, & etiam in principio litis deferri possit, l. 12. C. h.*) *Manifestæ turpitudinis & confessionis est, nolle, nec jurare, nec juramentum referre, l. 38. D. h.* Nisi sit is, qui deferre non possit; uti, si turpis sit, aut pejerare solitus, cum tuto ipsi referri non possit; vel nisi is, cui defertur, plene velit probare, *arg. c. 2. x. de probat. l. 11. C. h.* vel actor malit referre. *l. 34. §. 7. D. h.* vel nisi deferens recuset jurare de calumnia, *d. l. 34. §. 4. & 7.* vel nisi causa sit talis, quæ desiderat plenissimam probationem; qualis est causa criminalis. *l. f. C. de probat.*

Si hoc fuerit præstitum, desideraturne sententia?

Non opus est sententia ad hoc, ut actio ex jurejurando in factum competat: quia ea est ex vi conventionis, *d. §. 10. Inst. de act.* sed, ut executio detur.

Quod est necessarium?

Quod à Iudice defertur ex inopia probationis in causis dubiis, *l. 31. D. l. 3. C. h.* Quæ autem sit causa dubia, arbitrio Iudicis æstimandum est. Non vero fit dubia per solam inficiationem; sed tunc, cum quis aliquid probare incepit, non tamen plene: uti &, si unum testem pro se produxerit.

Imo, non potest unus testis causam facere dubiam. arg. l. 9. §. 1. Cod. l. 12. D. de testibus?

Ad probationem unius testimonium nullius est momenti, si solum hoc spectetur: verum, accedente juramento, plurimum valet. unde unus testis nihil probat, sed potestatem Iudici facit, ut jusjurandum deferre possit. Iudicis autem est sollicite omnes circumstantias ponderare.

Quibus defertur?

Non tantum reo, sed & actori, prout alterutrius pro-

probatio est potior. Cum vero sunt æquales probationes, reus absolvendus est, *d. l.* 31. *& d. l.* 3. *C. h. junct.* 121. *de Reg. Iur. l.* 47. *D. de oblig. & act.*

Quid, si Iudex non sit rogatus?

Non tantum non rogatus impertitur suum officium, *d. l.* 31. *& d. l.* 3. *c. f. §. sano. x. h.* sufficit enim, eum in genere per provocationem ad judicium esse rogatum: verum etiam invita parte adversa defert: cum & judicium in invitos detur, *l.* 83. *§.* 1. *D. de Verb. Oblig.*

In quibus causis defertur?

In civilibus: non vero iis, quæ sunt maximi momenti? quales sunt, criminales, matrimoniales, [a] ob metum perjurii, *arg. d. l.* 31. *& d.* 3.

[a] Vide *Gail lib.* 2. *obs.* 94. *n.* 12. *Grot. lib.* 1. *sect.* 5. *vers.* Van Outs.

Quando defertur?

Potissimum post causæ conclusionem, cum Iudex litem & probationes examinavit.

Potestne & hoc referri?

Nequaquam: cum tantum relatio in conventionali sit permissa. unde hoc juramentum rectius dicitur necessarium; quia omni modo & necessario est præstandum, nisi is, qui præstare non vult, causa velit cadere, *l.* 12. *§.* 2. *C. h.*

Potestne hoc retractari?

Quia non ex voluntate, sed ex necessitate præstatur, jure retractari potest, propter instrumenta postea reperta, aliamve justam causam, *d. l.* 31. *in fin. D. h.*

Quæ actio oritur ex hoc juramento?

Quoniam sententia sequi debet, datur actio judicati, *d. l.* 31. poteritque post sententiam appellari: cum, si juramentum conventionale sit præstitum, & secundum id sententia lata, provocatio non sit permissa, *d. l.* 12. *§.* 12. *& l* 3. *C. h.*

Quod est juramentum purgationis?

Quod præstatur ab eo, qui suspectus est [a] de malitia vel crimine aliquo, ad probandam innocentiam.

[a] Videatur *Berlichius p.* 1. *concluſ.* 52. & de hac specie tradit *Mynſingerus*, quod si præstitum sit, audien-

diendus sit is qui vult probare perjurium *cent.*, 2. *observ.* 82.]

Tit. 3. De in Litem jurando. 53. Lib. 5. Cod.

Quod est Iuramentum æstimatorium sive taxatorium ?

Quo lis, vel id quod interest, jurato æstimatur: & appellatur juramentum [a] in litem.

[a] *Zypæus tit. de jurejurando* refert hanc speciem jurisjurandi non frequentari in Galliis, nec in plerisque locis Belgii.]

Quis hoc defert ?

Tantum Iudex, *l.* 4. *s.* 1. *D. h.* Si vero alius detulerit, vel eo non delato juratum sit, nulla erit religio, nec ullum jusjurandum, *d. l.* 4. *s.* 1.

Cui defertur ?

Domino litis, eique qui suo nomine litem contestatus est. *l.* 7. *D. h.* adeoque curatores vel tutores jurare non coguntur, nisi velint, ut judicio finis adhiberi possit, &, si jurent, non ad suam utilitatem, sed domini referent, *l.* 4. *pr. h.*

In quibus defertur ?

In iis, quæ non habent certam æstimationem, unde, si nummi solvendi sint, non juratur, *l.* 2. *D. h.*

Potestne retractari ?

Non facile de perjurio quæritur, *l. fin. D. h.* Ex magna autem causa, admittetur restitutio, *l.* 4. *s.* 3. *D. h.*

Quomodo distinguitur hoc jusjurandum ?

Est vel affectionis, vel veritatis. Affectionis est, cum exceditur etiam verum rei pretium; & affectioni, quæ alias in æstimationem non venit, *l.* 33. *D. ad L. Aquil.* quid tribuitur, *arg. l.* 1. *l.* 4. *s.* 2. *D. h.* Veritatis, quo, quanti revera interest sit æstimatio, *l.* 2. *s.* 1. *D. h.*

Ex qua causa juramentum affectionis defertur ?

Tantum ob dolum non restituentis, *l.* 5. *s.* 3. *D. h. l.* 41. *s.* 1. *D. de re jud.* Non ob latam culpam, nisi in tutela, certo casu, *l.* 2. *C. h.* Dolus autem hic est vel præsens, vel præteritus, *d. l.* 41. *s.* 1. *l.* 68. *D. de rei vind, l.* 16. *s.* 3. *de pign. l.* 25. *s.* 1. *D. solut. matrim.* De

dolo

dolo autem defuncti adversus hæredes non juratur in litem, nisi lite cum defuncto contestata, *l.* 4. *&* 5. *Cod. h.*

In quibus actionibus juramentum affectionis præstatur?

In actionibus in rem, ad exhibendum, & bonæ fidei judiciis, *l.* 5. *D. h.* omnibusque arbitrariis, *arg. l.* 18. *D. de dol. mal. l.* 8. *§.* 1. *D. rer. amot. l.* 16. *§.* 3. *de pignor l.* 7. *§.* 8. *de Public. l.* 68. *D. de rei vind.* Non autem in stricti juris judiciis, *d. l.* 5. *pr. junct. §.* 4. *& l.* 6. *D. h.*

An ergo semper in bonæ fidei, nunquam in stricti juris?

Non in omnibus bonæ fidei, sed his duntaxat, quibus agitur de restituenda; uti in commodato, deposito, locato, *l.* 3. *§.* 2. *D. commod. l.* 1. *§.* 26. *D. depos. l.* 48. *§.* 1. *D locati.* Unde non præstatur hoc juramentum in emptione, qua de re præstanda agitur, *arg. l.* 4. *C. de act. empt.* Et tantum in directis, non contrariis, *l.* 5. *D. depos.* In stricti autem juris judiciis, eo tantum casu, quo promissor moram fecit, & res interit, *d. l.* 5. *§. f. & l.* 6.

Quousque juratur ex affectione?

Lex certum quidem modum non ponit, & sic ratione legis in infinitum, *d. l.* 68. verum Iudex arbitrabitur quantitatem, ad quam jurari debeat, *d. l.* 4. *§.* 2. adeoque Iudex potest ex justa causa etiam id non sequi, *d. l.* 4. *§.* 3.

Cur hic & affectionis habetur ratio?

Propter dolum & contumaciam non restituentis: est enim permittendum æstimare in re nostra affectionem, *arg. l.* 25. *§.* 1. *D. solut. matr.*

In quibus causis juramentum veritatis præstatur?

In omnibus actionibus, cum tantum de culpa non restituentis quæritur, *l.* 2. *§.* 1. *D. h.* vel res non extat, ac probari ejus æstimatio nequit.

Tit.

Tit. 4. De condictione causa data causa non secuta. 6. Lib. 4. Cod.

Cum condictionis [a] variæ sint, procedamus ad nonnullas species. Quæ est condictio causa data causa non secuta?

Est actio in personam, qua, quod ob causam non honestam datum est, causa ea non secuta, repetitur, *l. 1. & 5. D. h.*

[a] Revera condictiones nihil aliud sunt quam repetitiones, & hodie si ob causam aliquid datum sit, non licet ex sola pœnitentia repetere, *Grot. lib. 3. sect. 6. & sect. 31. Gomez. tom. 2. var. resol. c. 8. n. 4. & seqq.*]

Quomodo hæc condictio distinguitur ab actione præscriptis verbis?

Hac repetimus quod datum est: actione præscriptis verbis agimus ad adimplenda promissa, *d. Ll. junct. l. 1. 7. 9. ff. de præscrip. verb.*

Quid accipitur pro dato?

Non tantum cum realiter quid est datum, sed & cum acceptilatum, *l. 10. D. l. 4. C. h.*

Quid est hic causa?

Nihil aliud quam finis, vel conditio, vel modus: nec refert, utrum causa pendeat ex voluntate, vel non, *l. 5. D. h.*

Quid, si conditio impossibilis adjecta sit?

Cessat condictio, si impossibilis natura, vel turpis sit, *l. 8. C. h. arg. l. 53. ff. de reg. jur. l. 1. ff. de condict. indeb.* Si nec natura obstet, nec turpitudo, sed legis tantum dispositio; ut, si militi quid sit datum ad procurandam litem; datur repetitio, *l. 5. C. h.*

Quid, si causa non sit secuta ob culpam debitoris, & non ob dolum?

Sive causa non sit secuta ob dolum, sive ob culpam, sive sine ea, potest fieri repetitio, modo re integra dantem pœniteat, *l. 3. §. 2. l. 5. pr. §. 1. & 2. ff. h.*

Quid, si ob casum fortuitum causa, pro qua pecunia data est, non fuerit secuta?

Aut causa consistit in alienatione vel amissione rei illius,

illius, qui ob causam accepit: uti, si Titius centum acceperit, ut servum suum manumitteret: hoc casu condictio cessat, *l.* 10. *pen. C. l.* 3. *s.* 4. *D. hic.* aut consistit in facto nudo: hoc modo, si factum postea præstari nequeat, valet regula, *d. l.* 10. *C. h.* si postea possit adimpleri, fiet repetitio; ita tamen, ut sumptus aliaque detrimenta adversario refundantur ac præstentur, *l.* 5. *D. h.*

Solane res repetitur?

Imo & fructus, & aliæ accessiones, *l.* 7. *s. fin. l.* 12. *D. h.*

Habetne hæc condictio quoque locum in nominatis contractibus?

Nequaquam. In iis enim non licet pœnitere, *l.* 5. *C. de oblig. & action.*

Atqui contrarium videtur in l. cum te 6. *C. de pact. int. empt. & vendit. l.* 11. *s.* 6. *D. de act. empt.*

Nihil difficultatis habent, *d. Ll.* quia in *l. cum te* non vera est emptio: sed magis permutatio, quæ facta est addito exiguo pretio. deinde, non tam ex pœnitentia, quam quia conditio, quæ adjecta erat de certa re, non impleta fuit, revocatur. Sic & in *d. l.* 11. *s.* 6. non datur directo condictio ex emptione, recessum enim ab ea erat, sed arrhæ, quæ ad substantiam emptionis non pertinet, repetitio, postquam soluta esset emptio.

Tit. 5. De condict. ob turpem, vel injustam causam. 7. Lib. 4. Cod.

Quæ est condictio ob turpem vel injustam causam?

Qua repetimus, quod datum est ob turpem, vel illegitimam causam.

Semperne id repetitur quod ob turpem causam datum est?

Aut est turpitudo dantis, aut accipientis, aut utriusque. Si dantis, vel utriusque, cessat repetitio, *l.* 3. *l.* 4. *s.* 2. *D. h.* Si solius accipientis, reperi datum potest, *l.* 1. *s. f. D. h.*

Si

Si meretrici quid sit datum vel promissum, quid juris?

Datum non repetitur; quia utriusque turpitudo versatur, imo magis dantis quam accipientis. Non enim meretrix, cum sit meretrix, adeo turpiter facit, quod pecuniam accipiat, *l.* 4 *s.* 3. *D. h.* Promissum autem peti non potest, *l.* 27. *&* 123. *D. de Verb. Oblig.*

Quid, si quid datum ob causam injustam?

Datum repetitur, *l.* 6. *D. h.*

Tit. 6. De condictione indebiti. Tit. 5. Lib. 4. Cod.

Quæ est condictio indebiti?

Est actio personalis, qua indebitum, per errorem solutum, repetitur.

Quod indebitum repeti vel non repeti potest?

1. Si naturaliter & civiliter simul sit indebitum, datur repetitio, *s.* 1. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* 2. Si naturaliter tantum sit indebitum, civiliter vero exigi possit efficaciter; ut fit in literarum obligatione; cessat repetitio. Sin autem civilis obligatio sit inefficax, & exceptione possit elidi, (quippe cum Jus gentium vel naturalis æquitas obstat, uti fit, cum quid dolo vel metu extortum est) dabitur condictio, *l.* 1. *D. de dol. mal. l.* 1. *D. quod met. caus.* 3. Si civiliter tantum indebitum, naturaliter vero debitum, cessat condictio, *arg. l.* 13. *D. h.* 4. Si reus exceptione perpetua sit munitus, eaque competat ob odium creditoris; uti est in exceptione ob SConsultum Macedonianum; cessat: Sin autem ob favorem debitoris; uti fit in Vellejano; datur repetitio, *l.* 40. *D. h.* Uti & datur, si dubitetur, utrum temporalis, an perpetua sit exceptio, *l.* 56. *D. h.* 6. Si quid sub die incerto debeatur, de quo constare non possit, quando, sed qui veniet certo (veluti, si quid promissum sit die mortis, certum enim est nos morituros, etsi de die non constet) repeti non potest, *l.* 16. *s.* 1. *l.* 17. *ff. h.* 7. Si quid sub conditione indubie exstitura debeatur,

cessat

cessat repetitio, *l.* 18. *ff. h.* Non autem cessat, si sub conditione incerta, *l.* 16. *l.* 48. *ff. h.*

Annon interusurium petetur, siquidem sors ante diei, vel conditionis existentiam, sit soluta?

Etsi quidem stricta juris ratione nihil peti possit, quia nusquam id est traditum, & ubi principale [a] peti nequit. ibi nec accessorium: tamen, ne quis lucrum ex alterius detrimento sentiat, statuendum est, non quidem usuras pecuniæ, sed fructus & similia emolumenta peti posse, & eo magis, quia dies obligationis pars est, *l.* 1. *s.* 2. *ff. de edend.* & fructus peti possunt, licet quis rem ipsam non habeat, *arg. l.* 3. *Cod. de condict. sin. caus.*

[a] *Busius in l.* 10. *ff. h.* sic argumentatur; Qui ad sortem non admittitur, is neque ad usuras, *l.* 26. *C. de usur.* alii tamen asserunt contrarium obtinere; Vide *Costal. Bald. Salicet. in d. l.* 10. sed præstat distinguere, ut hic.]

Ob quem errorem solutum potest repeti?

Ob errorem facti solutum indistincte condicitur, *l.* 10. *C. de jur. & fact. ignor. l.* 9. *C. ad L. Falcid.* Verum, in errore juris distinctio hæc est necessaria. aut solvens certat de damno vitando, ut, si rem suam amissurus sit, hoc casu non debet denegari repetitio, *l.* 7. *&* 8. *ff. de jur. & fact. ignor.* ne admittamus aliquem locupletari, vel quid acquirere cum alterius injuria & contra voluntatem domini, secus quam traditum est, *l.* 14. *ff. h. s.* 4. *Inst. de rer. divis.* aut certat de lucro captando; hoc modo (veluti si quis solvat integra legata, non habita ratione legis Falcidiæ) condictio inhibetur; quia nihil imminuitur ex patrimonio, & sequitur voluntatem testatoris, *d. l.* 9. *C. ad L. Falcid. l.* 9. *s.* 5. *ff. de jur. & fact. ignor.* Sin autem quis errore juris lapsus præstiterit cautionem, quam testator remiserat, & remittere jure poterat, eam recte condicet, *l.* 1. *ff. ut in poss. legat.*

Quid, si quis solverit, quod revera debebat, non vero illi, cui solvit?

Dabitur condictio, *l.* 65. *s. f. ff. h.* Unde, si quis solverit falso procuratori, domino non ratum habente, repetendum est, *l.* 8. *C. h.*

Quid,

Quid, si quis solverit quod debebatur accipienti sed non ab illo, qui solvit?

Repetitio [a] nulla est ab eo qui suum recepit, licet verus debitor non solverit, *l.* 44. *ff. h.* sc. si nomine debitoris solutio sit facta; verum, si quis suo, non debitoris, nomine solverit, competit condictio, *l.* 15. *§.* 1. *l.* 19. *§.* 1. *l.* 65. *§. f. ff. h. junct. l.* 31. *ff. de petit. hæred.* Solet enim in condictionibus non spectari origo pecuniæ, sed persona solventis, *l.* 6. *C. h. junct. l.* 7. *si cert. petat.*

[a] Vide *Busium in l.* 19. *§.* 1, *ff. h.* ex vero fundamento rem hanc explicantem.]

Datur ne hæc condictio hæredibus?

Quia rei persecutoria est, & hæredibus, & contra hæredes datur, *l.* 12. 46. *ff. l.* 5. *C. h.* datur etiam condictio adversus delegantem, si promiserit pecuniam indebitam, *l.* 2. *C. h.*

Quid petitur hac actione?

Vel id ipsum, quod solutum est, vel tantundem, hoc est, æstimatio, si quantitas fuerit soluta, *l.* 7. *l. si non sortem. §. libertus.* 12. *ff. h.* Debet vero res restitui cum fructibus & naturalibus accessionibus, *l.* 15. *l.* 5. *§. pen. ff. h.* quæ rem ipsam comitantur, non cum usuris, *l.* 1. *C. h.*

Quid, si quis alternative obligatus, utramque rem solverit, utram debet repetere?

Habebit electionem recipiendi; quia & dandi habuit, *l. pen. C. h.* non obstante *l.* 26. *§. pen. ff. h.*

Quis debet probare, debitum vel indebitum fuisse?

Probare debet indebitum esse generaliter, qui solvit, *l.* 1. *C. h.* Nisi is fuerit, cui ex speciali ratione indultum est, ut in adversarium transferat hoc casu onus probandi; veluti, pupillus, minor, mulier, miles, agricola, forensium rerum expers, simplicitate gaudens, desidiæ deditus, *l.* 25. *§.* 1. *D. de probat.*

Cessatne aliquando condictio indebiti?

Cessat multis modis. 1. In causa, ex qua lis per inficiationem crescit. *§. f. Inst. de oblig. q. ex q. contr.* quia videtur tacite esse transactum, *arg. l.* 50. *D. de pecul.* 2. In causa pietatis; ut si quis dotem, ad quam dandam

dam non tenebatur, solverit, *l.* 32. *s.* 2. *ff. h.* 3. In causa transactionis, licet res nulla media fuerit, nisi evidens calumnia detegatur, & transactio sit imperfecta. *l.* 65 *s.* 1. *ff. h.* 4. Pari modo cessat in naturali tantum debito, & eo quod solutum est per errorem juris in mero lucro, aliisque modis, de quibus & ante.

Tit. De condictione sine causa. Tit. 9. Lib. 4. Cod.

Quæ est condictio sine causa?

Qua repetitur, quod sine causa apud alium est.

Quomodo hæc distinguitur ab aliis?

In hac plane nulla est: in aliis est vel turpis, vel erronea, vel vera, quæ non est secuta, vel alia aliqua causa. Verum hæc cum aliis omnibus concurrere potest.

Quibus casibus habet hæc locum?

Sunt varii, 1. Si quis condicat Syngraphum, qua debere se confessus est, quod non accepit, agatque intra biennium, *l. f. C. h.* 2. Si quis condicat instrumentum, cum solvit, *l.* 2. *C. h.* 3. Si dominus petat fructus perceptos, vel consumptos à malæ fidei possessore, *l.* 3. *C. h.* 4. Si fullo condicat pretium, quod solvit domino ob amissa vestimenta post restituta, *l.* 2. *ff. h.* 5. Si quis condicat nummos, quos servus alterius subripuit, & dominus quasi peculiares ademit & consumpsit, *l.* 30. *in fin. pr. ff. de act. empt.*

PANDECTARUM

LIBER XIII.

Tit. 1. De Condictione furtiva. Tit. 8. Lib. 4. Cod.

Quæ est condictio furtiva?

ACtio personalis rei persecutoria, quæ datur, præter actionem furti pœnalem, domino, vel ejus hæredi, *l.* 1. 11. *D. h* adversus furem vel ejus hæredem, etiamsi nihil pervenerit ad eum, in solidum,

l. 7.

l. 7. §. 2. l. 8. 9. ff. h. ut rem furtivam, si extet, cum fructibus, *l. 8. §. fin. ff. h.* & eo quod interest, *l. 3 ff. h.* vel, si non extet, justam æstimationem præstet.

Quæ æstimatio est præstanda?

Quæ semper fuit maxima, *quia fur semper in mora est. l. 8. §. 1. ff. h.*

Annon est nimis durum, quod heres teneatur in solidum, licet nihil pervenerit?

Etsi quidem hæc actio ex delicto nascatur: tamen, quia rem tantum persequitur, *l. 7. §. 1. & 2. ff. h.* in hæredem competit, estque ob singulare odium furti constitutum, ut hæres in solidum, licet nihil acceperit, obligetur.

Tit. 2. De Condictione ex lege Tit. 9. Lib. 4. Cod.

Quæ est condictio ex lege?

Actio in personam, quæ datur ex nova aliqua lege, quæ obligationem introduxit, sed non expressit, qua actione sit agendum, *l. un. ff. h.*

Suntne species harum actionum?

Variæ. Ut, si quis agat ex lege *Diffamari.* Ex contractu emphyteutico, varias ob causas, *l. 2. & 3. C. de jur. emphyt.* Ex donatione solo pacto facta, *l. 35 §. fin. D. de donat.* Ad rescindendam venditionem, vel eam ad æqualitatem in precio redigendam, ob enormem læsionem, *ex l. 2. C. de rescind. vendit.* Ad supplementum legitimæ, *ex l. 30. C. de inoff. &c.*

Tit. 3. De Condictione Triticiaria.

Quæ est condictio Triticiaria?

Est actio personalis, qua generaliter agitur de rebus quibusvis certis vel incertis, sola pecunia numerata excepta, *l. 1. ff. h.*

Tit. 4. De eo quod certo loco dari oportet. Tit. 18. Lib. 3. Cod.

Quæ est condictio de eo quod certo loco?

Si agatur eo loco quo solutio fieri debuit, est actio personalis ex contractu inito, *l. 4. pr. ff. h.* Sin autem alio

alio loco, forte promissore ad locum quo dare promiserat, nunquam accedente, vel data opera, vél ex justa causa, constituta est peculiaris actio de eo quod certo loco; quæ est arbitraria, qua petitur alio loco, quam quo dari promissum est, facta commemoratione ejus loco, quo solvi debuit, *l.* 1, 2. *ff. h.*

Cur dicitur arbitraria?

Quia Iudex, licet actio in se sit stricti juris, arbitrari debet, quanti interfit non solvi dicto loco, *l.* 1. 2. *l.* 4. *§.* 1. *ff. h.* sive ex mutuo, sive ex testamento, vel alio contractu stricti juris quid debeat, *l.* 5. 6. 7. *ff. h.*

Cur non habet locum in actionibus bonæ fidei?

Quia iis ipso jure inest uberior bona fides, daturque Iudici potestas laxior judicandi, quomodo & quantum satis fieri debeat, *§.* 30. *Inst. de act.*

Cujus utilitas hic spectanda est?

Tam actoris quam rei, *l.* 2. *pr. & §. fin. l.* 8. *l. fin. ff. h.* Itaque, si rei pluris interfit, minor: si pluris actoris, major sit condemnatio.

Debetne æquili modo utilitatis haberi ratio?

A parte rei semper, sive actor in mora fuerit sive non: A parte actoris tunc demum, cum reus fuit in mora. *l.* 8. *fin. ff. h.* In mora autem esse non videtur, qui vi majore detentus non venit in locum destinatum, *l.* 137. *§.* 2. *ff. de Verb. Oblig.* vel, si actor ipse non venerit.

Daturne hæc actio etiam contra fidejussores?

Æque datur in fidejussores, ut in reos: sed non ante conveniri debent, quam rei in locum constitutum venire potuerint: inest enim hisce obligationibus ex sua natura dies, *l.* 2. *§.* 6. *ff. h. junct. l.* 49. *§. fin. ff. de fidejuss.* Nec augebitur eorum obligatio propter reorum moram, *l.* 8. *l. fin. ff. h. arg. l.* 68. *§.* 1. *l. f. in fin. ff. de fidejuss.* Verum, si fidejussores, vel se obligaverint in omnem causam, vel in id, quod interest, etiam tenebuntur, *l.* 54 *ff. locat.*

At videtur statui l. 88. *ff. de Verb. Obl. fidejussori obesse moram rei?*

Id, quod *in d. l.* 88. respondetur, non pertinet ad obligationem fidejussoris augendam, sed perpetuandam. adde *l.* 58. *§.* 1. *ff. de fidejuss.*

Annon

Annon etiam ratione temporis hæc actio est arbitraria?

Nusquam id relatum, imo contrarium suadet *l.* 16. *§.* 1. *D. de constit. pecun.* & ratio dictat, cum hæc actio sit introducta ex necessitate, deficiente actione ex stipulatu, *l.* 1, 2. *D. h.* cum autem tempus stipulationi adjectum est, etiam elapso eo ex stipulatu actio dari potest.

Quid, si promissio sit facta alternative duobus locis, uti, Romæ aut Capuæ solvam?

Etsi in alternativis electio sit promissoris, *l.* 10. *§. f. D. de jur. dot. l.* 75. *§.* 8. *de Verb. Oblig.* tamen, ne debitori daretur potestas perpetuo eludendi creditorem, data est hoc casu electio creditori, *l.* 2. *§.* 3. *D. h.* Quod etiam receptum est in alternativa stipulatione rerum & locorum, *d. §.* 3. ita tamen, ut reus ante petitionem solvere possit quo loco velit, *d. §.* 3.

Quid, si fors sit soluta, potestne Interesse loci arbitraria actione alibi peti?

Vix fieri id poterit: nisi aliter convenerit, *l.* 8. *D. h.*

Tit. 5. De constituta pecunia. 18. Lib. 4. Cod.

Quid est [a] constitutum?

Conventio, qua quis nudo pacto promittit se soluturum, quod ipse, vel alius, debet ex contractu, vel ex delicto.

[a] Hodie constitutum pro alio non differt à fidejussione, *Gudelin. lib.* 3. *c.* 11. quia hodie tam ex pacto datur actio quam ex stipulatione, & pactorum & stipulationum nomina sunt confusa.]

Quare introductum est constitutum, cum sufficere possit fidejussio?

Magnum est inter hæc duo discrimen: cum fidejussor tantum ad alienam obligationem accedat, *pr. Inst. de fidejuss.* & obligetur non aliter, quam mediante stipulatione: Constitutum vero interponatur, & de suo, vel alieno debito, & nudo pacto fieri possit, *l.* 1. *§.* 4. 6. & 7. *D. h.*

Qui possint constituere?

Omnes, qui alias recte obligantur, sive masculi, sive fœminæ: Hæ autem non constituunt alienum, sed tantum suum, *d. l.* 1. *s.* 1.

De quibus rebus sit constitutum?

Licet pecuniæ tantum fiat mentio: non tamen ad pecuniam numeratam, vel quantitatem tantum, sed ad omnes res pertinet, *l.* 2. *s.* 1. *C. h. arg. l. pecunia. D. de Verb. Signif.*

Quomodo sit constitutum?

Semper præsupponi debet debitum, sive naturale tantum, sive naturale & civile, *l.* 1. *s.* 6. & 7. *D. h.* sive contractum pure, sive in diem, sive sub conditione, *l.* 2. *C. h.* non vero civile tantum, *l.* 3. *s.* 1. *D. h.* nec opus est, ut certa quantitas exprimatur, *l.* 14. *D. h.* modo ad eam relatio fiat, *l.* 20. *D. depos.* Potest præterea fieri, vel inter absentes per nuntium, aut literas; vel inter præsentes, quibuscunque verbis, *d. l.* 14. *s. fin.* Potest & aliud pro alio constitui, *D.* 1. *l. s.* 1.

Quid, si sine die quis constituerit se soluturum, quod sub conditione debebatur?

Constituens demum existente conditione tenetur, eaque deficiente, utraque actio deperit, *l.* 19. *pr. D. h.* Sed in eum, qui sub conditione constituit, quod pure debetur, actio utilis parata est, *d. l.* 19. *s.* 1.

Si plures constituerint, & hac actione conveniantur, habeatne beneficium divisionis?

Ipso quidem jure adversus singulos dabitur actio in solidum, *l.* 16. *D. h.* Sed per epistolam Divi Hadriani ipsis succurrendum, *l.* 3. *C. h.* Pariter & ei, qui pro alio constituit, accommodatur jus ordinis, *Nov.* 4. *cap.* 1.

Potestne creditor invitus cogi, ut ante diem ex constituto recipiat debitum?

Id negant nonnulli per *l.* 18. *D. h.* Sed cum regulariter sit receptum, ante diem solvi posse. *l.* 38. *s. inter l.* 43. *s. quoties. l.* 137. *s. cum. ita D. de Verb. Oblig. l.* 70. *D. de solut.* nihil novi in hac conventione statuendum est; nisi specialis aliqua ratio Iudicem moverit.

Tit.

Tit. 6. Commodati vel contra. 23. Lib. 4. Cod.

Quid est commodatum?

Est contractus re initus, quo usus rei certus gratuito conceditur, §. 3. *Inst. quib. mod. re contrah. obl.* Quia gratuitus est usus, separatur à locatione: quia certus distinguitur à precario, quod semper revocari potest, *l.* 1. *D. de precar.*

Qui possunt commodare?

Non tantum rerum domini, sed & fures, & prædones, *l.* 16. *D. h.* Non autem immediate ex sua improbitate actionem fur consequitur, sed ex negotio legitimo.

In quibus rebus consistit?

Mobilibus & immobilibus, *l.* 1. §. 1. *D. h.* propriis & alienis, *l.* 15. *D. h.* Imo & pecunia, si dicis gratia commodetur, *l.* 4. *D. h.* non tamen iis quæ usu pereunt, *l.* 3. §. 6. *h.* quia in his est vel quasi ususfructus, vel mutuum.

Quæ actio oritur ex hoc contractu?

Vel directa, quæ datur commodanti adversus commodatarium ejusque hæredem, ut finito usu res integra non deteriorata restituatur, *l.* 3. §. 1. *D. h.* aut, re deteriorata, id quod interest. Vel contraria, quæ datur commodatario adversus commodantem vel ejus hæredem, si re commodata uti sit prohibitus, *l.* 17. §. 1. & 3. vel damnum ex re vitiosa scienter commodata senserit, *l.* 18. §. *pen. l. pen. D. h.* vel sumptus majores fecerit: modici enim cum usu rei solent compensari.

Quam culpam præstare debet commodatarius?

Si in gratiam commodantis contractus sit initus; ut, si sponsæ vel uxori quis, quo honestius ad se deduceretur, quid commodaverit, tantum dolus præstabitur: si utriusque causa; veluti, si communem amicum ad cœnam invitaverint, & unus alteri, qui curam suscepit, quid commodaverit, culpa levis: si in commodatarii solius, ut plerumque fieri solet, etiam levissima, *l.* 5. §. 2. *vers. commodatum. & l.* 10. *l.* 18. *D. h.*

Quid est præstare culpam vel dolum?

Nihil aliud quam resarcire damnum ex culpa vel dolo ortum.

De culpa, dolo, & casu fortuito.

Quid est culpa?

In genere accepta, nihil aliud quam omissio diligentiæ in alienis rebus præstandæ; vel commissio ejus, ex quo damnum alter sentit. Eaque fit vel ex proposito, & dicitur culpa malitiæ vel versutiæ, sive dolus malus; de quo actum supra: vel fit sine proposito per negligentiam, imprudentiam, imbecillitatem, vel imperitiam; hæc in specie culpa appellatur, doloque opponitur.

Quomodo hæc distinguitur?

Prout homines sua agunt, etiam hæc recipit gradus. Uti enim aliqui supine negligentes, aliqui affectate curiosi, *l. 6. D. de jur. & fact. ign.* aliqui mediocriter res suas curant, secundum communem hominum morem; ita culpa, est vel lata, vel levissima, vel levis.

Quid est culpa lata?

Omissio diligentiæ, quam omnes homines rebus suis adhibent, cum quis non facit vel intelligit, quod omnes faciunt, vel intelligunt, *l. 223. D. de Verb. Sign.* vel id facit, quod nemo facit. Hæc comparatur dolo, imo dolus dicitur, *l. 1. §. 1. D. si mens. falsi mod. l. 226. D. de Verb. Sign.* sc. cum agitur de damno resarciendo, non vero de pœna infamiæ, corporali, aut capitali.

Imo definitur omissio diligentiæ suis rebus adhibendæ, l. 32. D. depos.

Male id applicatur *ex d. l.* quia ibi agitur de homine socorde. Negligens enim videtur quasi esse in dolo, si minorem alienis quam suis adhibeat curam. Idque volunt hæc verba: *Nam, si quis non sit diligens ad quod hominum natura desiderat*, hoc est, sit summe negligens.

Quæ est culpa levissima?

Omissio diligentiæ, quam exactissime diligentes rebus

bus suis adhibere sunt soliti. Hæc etiam sæpe exprimitur emphatice per custodiam, diligentiam, custodiam plenam, exactam, *l. 5. §. 2. l. 18. D. hic. l. 2. §. fin. l. 3. D. de peric. & comm. rei vend.*

Quæ est culpa levis?

Omissio diligentiæ, quam homines mediocriter diligentes suis rebus adhibent.

Annon præstaret culpam definire, non secundum communem hominum diligentiam, sed singulorum,

Id legibus reprobatum est; qui quod communiter fit, spectari solet, *l. 3. D. de legib.* Verum, singulariter in societate, propter electionem & repræsentationem mutuam personarum in officio gerendo, culpa levis dicitur, cum quis omisit diligentiam, quam suis adhibere solet, *§. fin. inst. de societ.*

Cum inveniatur nomen culpæ, diligentiæ, custodiæ periculi, &c. de quo gradu id accipiendum est?

Etsi culpæ nomen, simpliciter positum, regulariter denotet culpam levem: tamen conveniens est, accipi nomen culpæ secundum gradum, quem subjecta materia desiderat, idemque de cæteris est judicium.

Quid est casus fortuitus?

Qui prævideri, vel prævisus impediri nequit, *l. 25. §. 6. D. locat.*

Quæ regulæ sunt observandæ circa præstationem dolî, culpæ, vel casus?

Circa dolum, quod is præstari debeat in omnibus contractibus, & non valeat conventio, ne futurus præstetur, *l. 23. D. de reg. jur.* præteritus vero remitti possit. Circa culpam, quod in contractibus omnibus præstari debeat culpa lata. In iis, qui dantis solum causa fiunt; tantum lata: in iis, qui accipientis tantum causa fiunt; culpa leviſſima: & in illis, qui utriusque gratia ineuntur: lata & levis, *l. 5. §. 2. D. h.* unde in emptione, locatione, lata & levis; in depositо, lata tantum; in commodato, etiam leviſſima. Circa casum fortuitum, quod is à nemine præstetur, *l. 6. C. de pignerat. act. d. l. 23. de Reg. Jur.*

Annon receditur ab hiſce regulis?

Receditur aliquando ex natura contractus. Ita in precario lata culpa tantum præſtatur, quia ſemper poteſt repeti, *l.* 1. *junct. l.* 8. *§.* 3. *D. de precar.* Ita in mandato leviſſima præſtatur, licet mandantis cauſa fiat, *l.* 21. *C. mand.* quia in officio ſeu facto negotioſo verſatur. Aliquando ex facto contrahentium ſimul; uti, ſi honorarium, cum contractus id non deſiderat, ſit præſtitum, *arg. l.* 1. *§.* 35. *D. depoſ.* vel, ſi aliter convenerit. Poſſunt enim hæ de culpa & fortuito caſu obligationum cauſæ pactionibus immutari, *d. l.* 23. *D. de reg. jur. l.* 1. *C. commod. l.* 1. *§.* 6. *D. depoſ.* Aliquando propter naturam rei: ita major diligentia in cuſtodia pecuniæ & ſimilium rerum requiritur, *§. pen. Inſt. de locat. l.* 25. *§.* 7. *D. locat. junct. l.* 3. *§.* 1. *D. naut. caup.* Aliquando ex facto eorum, qui res alienas detinent, ut, ſi ſeſe obtulerint, partemve adverſam induxerint, *arg. d. l.* 1. *§.* 35. *junct. d. l.* 32. *D. depoſ.* vel ſi peritiam vel artem aliquam profeſſi ſint, *arg. d. l.* 25. *§.* 7. *&* 8. *D. locat. junct. d. l.* 3. *§.* 1. *D. naut. caup.* vel, ſi in mora aut culpa fuerint.

Si de caſu fortuito præſtando convenerit, debetne etiam præſtari inſolitus?

Facti eſt quæſtio. Siquidem enim in genere omnis ſit receptus, videtur etiam de inſolito eſſe cogitatum, *per l.* 32. *D. mand. l.* 78. *§. frumenta. D. de contr. emt. l.* 9. *§.* 2. *l.* 15. *§.* 1. 2. *D. locat. l.* 1. *C. comm. l.* 1. *§. ſæpe. D. depoſ.* Nec opus eſt enumerari ſingulas ſpecies caſuum, quia nuſquam id requiritur. Sin autem ſimpliciter quis caſum in ſe receperit, non præſumuntur contrahentes egiſſe de inſolito.

Quid, ſi mora vel culpa præceſſerit caſum?

Præſtari debet, niſi eo modo apud dominum res periiſſet. Hoc enim caſu domino periculum imputari oportet, *l.* 14. *§.* 11. *D. quod met. cauſ. l. ſi is qui Stichum* 56. *D. de ju. dot. l.* 14. *§.* 1. *D. depoſ.*

Tit. 6.

Tit. 7. De actione pigneratitia. Tit. 24. Lib. 4. Cod.

Quæ actiones oriuntur ex contractu pignoris?

Sunt vel reales vel personales. Reales, Serviana vel quasi; quæ etiam hypothecariæ dicuntur: personales immediate ex contractu. daturque insuper interdictum Salvianum.

Quomodo distinguuntur personales?

Sunt vel directæ vel contrariæ pigneratitiæ.

Quæ est directa pigneratitia actio?

Est, quæ datur debitori sive domino pignoris, ejusque hæredibus, adversus creditorem vel ejus hæredem, cum satisfactum est creditori, ut rem pignoratam non deterioratam restituat.

Quando dicitur satisfactum?

Sive sit solutum, sive aliis pignoribus sive caveri voluerit creditor, sive fidejussoribus, sive reo dato, sive nuda conventione. Et generaliter, quoties recedere voluit à pignore, si, ut ipse creditor voluit, sibi cavit, licet in hoc deceptus sit, *l. 9. §. 3. ff. h.*

Quomodo solutum esse debet?

Vel realiter, vel per acceptilationem, vel per delegationem, modo omnis pecunia sit exsoluta in proba moneta: sic nec aliter satisfactum esse videtur, quam secundum omnem pecuniam, *d. l. 9. §. 3. l. 11. ff. h.* hoc est, sortem cum accessionibus.

Quid, si in sortem duntaxat vel usuras obstrictum sit pignus?

Eo soluto, propter quod obligatum est, datur quidem pigneratitia ipso jure, *l. 11. §. 3. ff. h.* verum creditor retinere id potest etiam alterius debiti nomine, *l. un. C. si ob chirograph.*

Cui debet fieri solutio?

Perinde est, an creditori, an voluntate ejus alii vel ei cui hæres extitit, vel Procuratori ejus, vel servo pecuniis exigendis præposito fiat, *d. l. 11. §. 5.*

Quid, si quis offerat solutionem vel satisfactionem, & creditor suscipere nolit?

Si pro parte offerat, non tenetur recipere; & licet

receperit, non est ipso jure pignus pro parte liberatum, *l. 6. C. de distract. pign.* Est enim pignoris causa individua. Si totum offerat extra judicium, non liberabit pignus, nisi consignet & deponat, *l. 10. l. f. C. h.* Sin autem judicialiter offerat, recte aget pigneratitia, *d. l. 9. §. f. h.* Si vero non solvere, sed alia ratione satisfacere paratus sit, nihil ipsi hoc proderit, *l. 10. D. h. l. 6. §. 1. D. quib. mod. pig.*

Quid, si litem sit contestatus?

Etsi quidem litis contestatio sit novatio, *l. 29. D. de novat.* non tamen per eam tollitur pignus, *d. l. 11. pr. h.* Cum non per necessariam, sed voluntariam novationem pignus liberetur.

Quid petitur hac actione?

Non tantum res ipsa oppignerata, sed & fructus, quos creditor percepit vel percipere potuit, fructusque rationem debitorum minuunt, *l. 3. C. h.* &, si sufficiant ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus: si debitum excedant, qui supererunt, redduntur, mota hac actione, *l. 1. & 2. D. h.* sed hoc, nisi convenerit de ἀντιχρήσει *l. 33. D. h. l. 17. C de usur. l. 11. §. 1. D. de pignor.* Resarcire insuper debet creditor omne damnum, quod debitori obtigit per creditoris dolum & culpam levem, *l. 13. §. 1. l. 14. D. l. 3. & 7. C. h.* quinimo & creditor, cum pignus reddit, repromittere debet de dolo: &, si prædium fuerit pigneratum, & de jure ejus repromittendum est, ne servitutes, cessante uti debitore, amissæ sint, *l. 15. D. h.*

Quot annis præscribitur hac actio?

Debito non soluto nullo tempore præscribitur: quia antequam solutum est debitum, non potest agere debitor, *d. l. 9. §. 3.* & contra non valentem agere non currit præscriptio, *l. 1. in f. l. 2. C. de annal. præscript.* Soluto vero debito, longissimi temporis præscriptione res amittitur, *arg. l. 10. & f. C. h. junct. l. 3. C. de præscript. 30 vel 40 annor.*

Quæ est actio contraria?

Quæ datur creditori adversus debitorem, ut, quicquid ei abest, præstetur; veluti, si quid circa pignus debi-

debitor commiserit malitiose, vel rem alienam, vel alteri obligatam, aut vitiosam obligaverit. in genere; si quid pignoris nomine ipsi absit, vel ratione sumptuum, vel alia aliqua, *l.* 8. *pr. l.* 9 *pr. l.* 32. 36. *§.* 1. *D. h.*

Quales impensæ sunt restituendæ?

Necessariæ, etiam modicæ, *l.* 8. *D. h.* Imo & utiles. A Judice autem dispiciendum est, ut neque delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur, *l.* 25. *D. h.*

PANDECTARUM

LIBER XIV.

Per quas personas cuique acquiritur. Tit. 17. Lib. 4. Cod. 29. Lib. 3. Inst.

Suntne tantum obligationes à nobis ipsis?

ETsi quidem generatim definitum, quod quæ gerimus, contrahimus, nisi à nostra [*a*] persona initium acceperint, inanem actum efficiant, *l.* 11. *D. de obl. & act.* placuit tamen in specie etiam per filios nostros & servos obligationes acquiri, & per eos, qui nostro mandato quid agunt, vel quos præfecimus rebus nostro commodo gerendis.

[*a*] Hoc quidem generaliter verum est, sed sæpe accidit ut ex negotio alterius nobis detur actio: ut, ubi bonorum communio est inter conjuges, fœminis datur actio ex contractu maritorum, *Grot. lib.* 3. *p.* 1. Sic & per tutores pupilli consequuntur actiones, *l.* 2. *D. quando ex fact. tutor.*]

Quæ ergo per procuratorem acquiritur obligatio?

Constitutum est, condictionem & hypothecariam, ipso jure, & sine aliqua cessione ad dominum pervenire, cum nomine domini pecunia est alteri numerata: si enim procuratori necessitas cedendi actionem sit imposita, quare & non transibit ea sine cessione? *l.* 2. *C. h.*

Quid, si præsente domino Procurator sit stipulatus?

Nemo ambigit, quin domino competat actio, *l. si procuratori 79. D. Verb. Oblig.* Imo, si quid vendiderit domino mandante, recte dominus cum emptore, & cum domino emptor aget, *l. Iulianus 13. §. si procurator. 25. ff. de act. empt.*

Tit. 1. De exercitoria actione. Tit. 25. Lib. 4. Cod.

Quæ est actio exercitoria?

Hæc illis, qui contraxerunt cum magistro navis, datur adversus exercitores. Inventa est ob utilitatem navigantium & negotiantium, qui, cum eos oporteat cum magistris contrahere, non falli debent, *l. 1. pr. D. h.*

Quis est exercitor?

Ad quem omnis navis quæstus pertinet, sive sit dominus navis, sive à domino navim per aversionem, etiam ad tempus, conduxerit, *l. 1. §. 15. ff. h.*

Qui possunt esse exercitores?

Et masculi, & fœminæ: & patres & filii familias, omnesque, qui possunt alias obligari, *d. l. 1. §. 16.*

Quis est magister navis?

Cui navis cura est demandata, *d. l. 1. §. 1.* qui locandis navibus, vel etiam mercibus vendendis, vel emendis, non solum ab exercitore est præpositus, sed & à magistro, *d. l. 1. §. 3. 5.*

Quomodo datur hæc actio adversus plures?

Contra quemlibet in [a] solidum, ne in plures adversarios distringatur, qui cum uno contraxit, *l. 1. §. f. l. 2. ff. h.* &, qui quid præstiterit, judicio societatis id, quod expendit, à cæteris consequetur, *l. 4. ff. h.* Si vero plures per se exerceant, pro rata conveniantur: neque enim invicem sui magistri sunt, *l. 4. ff. h.*

[a] Id hodie apud nos non observatur, sc. ut non in amplius teneantur exercitores, quam ad æstimationem navis & eorum quæ in navi sunt, ad illos nimirum pertinentium, *Grot. lib. 3. sect. 1. vers.* Ten tweede. *Coren obs. 40.*]

Ex

Ex qua causa præcipue hæc actio competit?

Non ex omni, sed ejus rei nomine, cujus præpositus est; ut puta, si ad onus vehendum locatum sit, aut aliquas res emerit utiles naviganti; vel, si quid reficiendæ navis causa contractum, vel impensum: vel, si quid nautæ operarum nomine petent, *d. l.* 1. *§.* 12. Sic ut præpositio certam legem det contrahentibus. Quare, si eum præposuit navi, ut tantum vecturas exigat, & magister locaverit, & vice versa, ea res ad exercitorem non pertinet, *d. l.* 1. *§.* 12.

Quid, si mutuatus sit pecuniam magister?

Si ad usum ejus rei, in quam præpositus est, competit actio, *d. l.* 1. *§.* 8. & sufficit ita mutuatum esse: licet enim in suos usus converterit, dabitur æque actio adversus exercitorem; nec est necesse, ut creditor probet, in eum usum pecuniam esse versam, sed tantum, quod res, cui erat præpositus, exigeret, *l. fin. §. fin. d. l.* 1. *§.* 9. *D. h.* Debet enim sibi imputare exercitor, cur talem præposuerit. Quod si ab initio consilium ceperit fraudandi, & non specialiter expresserit, quod ad navis causam accipiat, contra est, *d. l.* 1. *§.* 6.

Potestne & magister ipse conveniri?

Est electio creditori, utrum magistrum, an exercitorem convenire velit, *d. l.* 1. *§.* 17. Si cum utro eorum sit actum, cum altero agi nequit, sed, si quid sit solutum ab alterutro, minuetur obligatio, *d. l.* 1. *§. pen.*

Daturne & actio adversus exercitorem, si cum quolibet nautarum sit actum?

Quanquam ex delicto nautarum exercitor teneatur; non tamen ex contractu: quia, cum magistrum præponit, contrahi cum eo permittit: qui nautas adhibet, non permittit cum iis contrahi, sed malitia & culpa carere eos curabit, *d. l.* 1. *§.* 2.

Quid, si magister præposuerit aliquem invito exercitore?

Eo usque producenda est utilitas navigantium, ut contra exercitorem hoc casu detur actio, *d. l.* 1. *§* 5.

N. 6. Hac-

Habentne exercitores actionem adversus eos, qui cum magistro contraxerunt?

Non: sed aut ex locato cum magistro, si mercede operam exhibet, aut si gratuitam, mandati agens: solet autem ex justa causa extra ordinem exercitoribus subveniri, *d. l.* 1. §. 18.

Daturne hæc actio hæredi & contra hæredes?

Quia rei persecutoria est, & hæredibus & contra hæredes est danda, *l.* 4. §. *fin. D. h.*

Tit. 2. De Lege Rhodia, De Jactu.

Quid cautum est lege Rhodia?

Ut, si levandæ navis gratia jactus mercium sit factus, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est, *l.* 1. *D. h.* Æquissimum enim est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut suas habeant salvas, *l.* 2. *in fin. pr. D. h.*

Qua actione procedendum est?

Actio ex locato adversus magistrum instituenda est, & ex conducto magister aget. Commodius vero est, ut magister merces retineat, donec singuli portiones damni pro rata intulerint, *l.* 2. *pr. D. h.*

Qui debent contribuere?

Omnes, quorum interfuit jactum fieri, sive res oneraret navem, si non; uti, si gemmæ fuerint. etiam dominus ratione navis pro portione obligatus est. Ratio quoque habenda est vestimentorum [a] & annulorum, *d. l.* 2. §. 2. veniet quoque in contributionem precium solutum piratis, à quibus navis est redemta, *d. l.* 2. §. 3.

[a] Quotidianarum vestium hodie non habetur ratio, ut est in *Placito Ordin. Holland. promulgato ult. Octob. van Schipbreuk art.* 7. *Grot. lib.* 3. *p.* 29.

Ob quod damnum debet fieri contributio?

Non tantum, si jactus sit factus, & res statim perierit; sed &, si merces, in scapham projectæ, submersæ sint, *l.* 4. *pr. D. h.* etiam cum arbor, aut aliud navis instrumentum communis periculi causa dejectum est, *l.* 3. *D. h.*

Qua-

Quomodo fiet contributi?

Portio pro æstimatione rerum, quæ salvæ sunt, & earum, quæ amissæ sunt, præstari solet: nec ad rem pertinet, si quæ amissæ sunt pluris venire [a] possent: quoniam detrimenti, non lucri fit præstatio. Sed in his rebus, quarum nomine conferendum, æstimatio habenda est, non quanti sint emptæ, sed vendi possint, *l.* 2. §. 4. *D. h.*

[a] Id mutatum est hodie, *Grotius d. sect* 29. *d. placit. art.* 6]

Ob quæ damna cessat contributio?

Cessat 1. In navi, quæ conservatis mercibus deterior est facta, aut exarmata: nisi ex voluntate vectorum, pro communi periculo id fuerit factum, *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *D. h.* 2. In ablatis à prædonibus, *d. l.* 2. §. 3. 3. In servis, qui in mari perierunt, *d. l.* 2. §. 5. Si navis perierit, *l.* 5. *D.* Nam tunc contributio locum habet, cum jactus remedio cæteris in communi periculo salva navi consultum est, *d. l.* 5.

Quæ res non subjiciuntur contributioni?

1. Corpora libera, *l.* 2. §. 2. 2. Quæ consumendi causa navi sunt imposita; quo in numero sunt cibaria: quia in commune sunt conferenda, *d. l.* 2. §. 2. 3. Quæ amissa navi sunt servata, *l.* 5. *D. h.* vel ex navi depressa vel dejecta, *l.* 7. *D. h.*

Ceduntne jacta occupantibus?

Nequaquam, *l.* 8. *D. h.* sed earum rerum nomine, quæ postea restituuntur, exoneratur collatio, *d. l.* 2. §. 7.

Possuntne & littorum domini jure portionem ex iis, quæ naufragio vel jactu in littora delata sunt, retinere?

Nullo jure [a]: nec conveniens est, ut fiscus ex aliena calamitate lucrum sentiat, *l.* 1. *C. de naufrag.* Præmium vero laboris honestum denegari nequit, *arg. l.* 7. *ff. de serv. export.*

[a] Consuetudo fere publica ubique in contrarium viget, verum est irrationabilis corruptela, cum afflictio afflicto addi non debeat, & nemo per illationem rei mobilis in rem immobilem fieri debeat dominus.

Quid

Quid si, cum jactus est factus, levata navis in alio loco submersa sit, & merces ejectæ data mercede per urinatores sint extractæ?

Habebitur etiam ratio ejus, cujus merces in navigatione [a] priori sunt jactæ: non vero eorum, quorum merces una cum navi postea perierunt: eorum enim merces non sunt jactæ causa navis servandæ, quæ cum illis periit, *l.* 4. *§.* 1. *D. h.*

[a] Quod ex navi submersa servatur, omni modo manet prioris domini, ut jam dictum est, & probatur per *l.* 5, 7. *ff. h.* Unde existimat *Autumnus in l.* 4. *§.* 1. *ff. h.* quod & merces servatæ per urinatores nullum onus collationis patiantur.]

Tit. 3. De Institoria actione. Tit. 25. Lib. 4. Cod.

Quæ est actio institoria?

Actio personalis, quæ datur ei, qui contraxit cum institore, adversus præponentem: æquum enim prætori visum est, sicuti commoda sentiunt præponentes ex facto institorum, ita etiam eos obligari & conveniri ex eorum contractibus, *l.* 1. *D. h.*

Quis est institor?

Qui tabernæ, vel alicui alteri negotiationi extra curam navis præpositus est, *l.* 35. *D. h.* sive locus ipsi sit adjectus, sive non, *l.* 18. *D. h.*

Ex quorum institorum contractu datur hæc actio?

Non tantum masculi, sed & fœminæ: imo & impuberes esse possunt institores, *l.* 7 *§.* 1. *&* 2. *l.* 8. *D. h.* ex quorum omnium facto institoria datur, *d. Ll.*

Ex quæ causa datur institoria?

Non ex negotio omni, quod cum institore geritur: sed ita demum, si ejus rei gratia, cui præpositus fuerit, contractum est, *l.* 5. *§.* 11. *& seqq. D. h.*

Ad quid agitur hac actione?

In solidum: quia omnis fructus negotiationis ad præfectum pertinet. Et, si plures sint domini, contra singulos in solidum: & quicquid præstiterit unus, ab

ab aliis servabit, judicio societatis, vel communi dividundo, *l.* 13. *§. f. D. h.*

Transitne hæc actio ad hæredes?

Et hæredibus, & in hæredes datur, *l.* 15. *D. h.* sic vero adversus hæredes, ut pro sua parte singuli conveniendi sint: quia cessat inter eos communi dividundo judicium, *l.* 14. *inf. D. h.*

Tit. 4. De Tributoria (*a*) actione.

Quæ est actio tributoria?

Qua agit, qui cum servo vel filio familias, sciente patre vel domino, contraxit.

[*a*] Hic Titulus in Hollandia, quia ibi nec patria nec dominica potestas viget, exolevit; in Frisia a. etiamnum observatur.]

Qualis scientia hic desideratur?

Tantum ea, quæ est in patientia: non enim velle vel nolle debet pater, vel dominus; sufficit scire & non contradicere, *l.* 1. *§.* 3. *D. h.*

Quid petitur hac actione?

Ut, quicquid in mercibus peculiaribus est, dividatur pro rata inter dominum aut patrem & actorem: sic tamen, ut, si unus creditor veniat, caveat pro rata se refusurum, si alii emerserint: non enim hæc actio occupantis meliorem causam facit, sed æqualem conditionem quandoque agentium, *l.* 5. *§. f. l.* 6. *D. h.*

Veniunt in hanc tributionem totum peculium?

Non: sed id duntaxat, quod ex merce est, vel in pretio existente, vel converso in peculium, *d. l.* 5. *§.* 11. 13. [*a*]

[*a*] Constitutum est in *l.* 5. *§.* 15. *& seqq.* quod si servus plures habeat negotiationes, vel plures tabernas ejusdem negotiationis, creditores non sunt confundendi, sed quilibet rejiciendi sunt ad suam negotiationem vel tabernam in quam crediderunt; Quæritur itaque an idem in liberis hominibus, qui diversas habent negotiationes vel tabernas sit recipiendum? *Affirmat Straga de decoctor. c. fin. n.* 10. *& seqq. Castrensis in d. §§* Negat *ibid. Raphael Cumanus*, hac ratione, quia liberi homines suas personas, non res obligent,

gent, ac æs alienum concernit totum cujusque patrimonii, idem approbat *Mornac. in d. 55.* Prior sententia magis arridet, si quis tabernas aut negotiationes non domi, sed alibi habeat seu exerceat.]

Quid ergo proprie est merx peculiaris?

Quæ peculiariter est comparata, etiamsi quoque nihil sit in peculio, *l. 1. §. 2. D. h.*

An igitur pater nihil habebit præcipuum?

Nihil omnino: quia eo sciente filius est negotiatus, *§. 3. Inst. quod cum eo.*

Tit. 5. Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur. Tit. 26. Lib. 4. Cod. 7. Lib. 4. Inst.

Quid est in edicto, quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur?

In genere refertur ad omnes actiones, quæ ex contractibus cum iis, qui in aliena potestate sunt, initis dantur; ut sunt, de peculio, in rem verso, &c. Verum in specie complectitur [a] actionem, qua, post solutam potestatem, adversus filium, non hæredem patris, agitur ex contractu ante habito, *l. 2. in fin. D. h.* qua, sive voluntate sua, sive jussu patris contraxerit, sive in peculium, sive in patrimonium patris res sit redacta, non ulterius convenitur, quam facere potest, *d. l. 2.*

[a] Hæc actio in Hollandia non frequentatur, & apud plurimos populos exolevit.]

Quid, si filiusfam. vivo patre sit condemnatus?

Dabitur actio judicati in id, quod facere potest, *l. 5. D. h.*

Annon cessat aliquando actio in id quod facere potest filius?

Cessat 1. si dixerit, cum contraheret, se esse patremfam. *l. 4. §. 1. 2.* In delictis, *d. l. 4. §. 2. 3.* In hæredibus filii, *d. l. 4. §. 3. 4.* Si filius fuerit hæres patris in solidum, *d. l. 4. pr. D. h.*

Tit. 6.

Tit. 6. De Senatusc. Macedoniano. Tit. 18. Lib. 4. Cod.

Potestne filiusfamilias ex omni contractu obligari?

Potest non tantum obligari, sed & conveniri, *l.* 39. *D. de obligat. & action.* excepta causa mutui. SConsulto enim Macedoniano constitutum, ut, si quis filiofam. pecuniam mutuo det, ei nec adversus filiumfam. nec post mortem patris patremfam. factum, actio petitioque daretur, ut scirent, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiifamilias bonum nomen, exspectata patris morte, fieri, *l.* 1. *pr. D. h.*

Qui sunt in hoc Senatusconsulto filiifamilias?

Non tantum liberi primi gradus, sed & ulterioris, *l.* 14. *D. l.* 6. *s.* 1. *C. h.* modo & illi sint in potestate; nec filii tantum, sed & filiæ, *l.* 9. *s.* 2. *D. h.*

Tantumne filio & patri succurritur?

Non solum illis, verum & successoribus, fidejussoribus, *l.* 7 *s.* 10. *h.* & mandatoribus, qui & mandati habent refugium: nisi donandi animo intercesserint, vel ex patris voluntate, *d. l.* 9. *s.* 3. *D. h.* Sin autem intercesserint sine voluntate patris, solvendo non repetunt, *d. l.* 9. *s.* 4. Et quanquam solvendo non repetant, tamen, si non opposita exceptione condemnati sint, uti poterunt, antequam solverint, etiam in executione SConsulto, *d. l.* 9. *s.* 5. *l.* 10. *&* 11. *D. h.*

Daturne exceptio hæc contra omnes creditores?

Datur non tantum contra privatos: sed & civitatem, *l.* 15. *ff. h.* Non minores, *l.* 11. *s. f. D. de minor.*

Potestne filiusfam. renunciare huic beneficio?

Nequaquam: quia non tam filiifam. quam patris beneficio introductum est, licet etiam juraverit: nec enim juramento quis alteri præjudicare debet, & præcipue si fiat contra bonos mores.

Quibus casibus cessat SConsultum?

Variis: vel ob qualitatem creditorum, eorumque factum: vel ob personam filiif.: vel ex causa patris, ob ejus utilitatem, vel factum: vel ob rem sive contractum. Ob qualitatem creditorum. 1. Ex favore perso-

personarum: ita SConsultum minoribus non obstat, *l.* 11. *in fin D. de min.* 2. Ex ignorantia; nulli enim nisi qui scit aut scire potuit esse filiumfamilias, obstat SConsultum, *l. pen. D. h.* 3. Siquidem promiserint creditores filiofamil., sed non ante solverint ei, quam patrisam. facto, quia numeratione, quæ mutuum perficit, paterfam. est obligatus, *l.* 3. *§. fin. l.* 4. *&* 5. *D. h* Ob personam filiifam. 1. Si fuerit institor vel exercitor, *l.* 7. *§.* 11. *D. h.* 2. Si ita egerit publice, privatim, & se gesserit, ac si esset paterfamilias, *l.* 3. *pr. D. l.* 1 *C. h.* 3. Si pro alio mutuum accipiente fidejusserit sine fraude, *d. l.* 7. *pr.* 4. Si acceperit mutuum, ut liberaret eum, qui non poterat submoveri per exceptionem, *d. l.* 7. *§.* 14. 5. Si, cum paterf. est factus, partem debiti solverit, *d. l.* 7. *§. fin.* vel, si rem pignori dederit: quo casu denegabitur actio usque ad pignoris quantitatem, *l.* 9. *D. h.* Ob personam patris. 1. Si mutuum à filiofam. acceptum in utilitatem ejus versum sit, *d. l.* 7. *§.* 12. 2. Si pater sciverit, & non continuo contradixerit, *l.* 12. *&* 16. *D. h.* Itaque magis, si jusserit, *d. l.* 12. licet ignorante creditore mutaverit voluntatem: initium enim contractus spectandum est, *d. l.* 12. 3. Si partem debiti solverit: alitervе ratum debitum habuerit, *d. l.* 7. *§.* 15. *l.* 7. *C. h.* Ob rem. 1. Ex contractu alio, quam ex mutuo, nisi fraus SConsulto sit facta, *d. l.* 3. *§.* 3. *d. l.* 7. *§.* 3. 2. Si vectigalia sint conducta, *d. l.* 3. *§.* 1. 3. Si peculium castrense sit filiof. ad ejus enim quantitatem cessat SConsultum, *l.* 1. *§. fin. l.* 2. *D. h.* 4. Si dotis causa mutuum sit acceptum, cum dos danda est, *d. l.* 7. *§.* 2. 2. Si ad probabilem modum in studia vel legationes mutuum sit acceptum, *d. l.* 7. *§.* 13. *l.* 2. 5. *Cod. hic.*

PAN-

PANDECTARUM

LIBER XV.

Tit. 1. De peculio.

Quæ est actio de peculio?

EST actio prætoria personalis, qua, qui cum filiofam. vel servo [a] contraxit, agit adversus patrem, vel dominum in tantum, quantum est in peculio.

[a] Hodie ex contractu famulorum non obligamur, nisi quatenus mercator sese extendit, *Grotius lib.* 3. *p.* 38. vel nisi aliter sit cautum in statutis: Quoad filios hodie obtinet, ut si majores sint, ipsi conveniantur, si minores, patres, qui conventi ex bonis propriis filiorum tanquam legitimi curatores debitum exsolverere tenentur, *Grot. lib.* 3. *sect.* 1.

Quid est peculium?

Patrimonium filiifam. aut servi, separatum à bonis patris aut domini.

Quomodo distinguitur?

Filiofamilias est, vel castrense, vel quasi castrense, vel adventitium, vel profectitium.

Quod est Castrense?

Quod filiusfamilias acquisivit occasione armatæ militiæ, vel à patre, vel alio, quod non haberet, nisi militasset, *l. Castrense* 11. *D. de Cast. Pecul.*

Quod est quasi Castrense?

Quod filiifam. sibi acquisiverunt ex militia togata. Tale habent Adsessores, qui juvare administratores provinciarum suis consiliis consueverunt, *l. velut* 7. *C. de adsessor.* Advocati, qui suis patrociniis, secundum *l.* 14. *C. de adv. diverf. judicior.* laborantium spem, vitam, ac posteros defendunt, *l. fort* 4 *C. eod.*

Quod est adventitium?

Quod extra militiam togatam, aut armatam, non à patre aut ejus contemplatione, sed aliunde [a] ad filiumfam. profectum est: videlicet ex hæreditate vel donatione matris, aut propinquorum, *§.* 1. *Inst.*

Inst. per quas person. cuique acq. Nov. 117. c. 1. aliave simili causa.

[a] Quod liberis donatur à susceptoribus è baptismate, illud, nisi aliter sit dictum, cedit parentibus, *arg. l. 19. §. 1. ff. h. l. 21. & seqq. D. de usuf. Mantica de ambig. convent. lib. 13. tit. 21.*]

Quod est profectitium?

Quod extra causam militiæ à patre. vel ex ejus rebus filiofamilias obvenit, *d. §. 1. junct. l. 5. ff. de jur. dot.*

De quo peculio actio de peculio comparata?

Tantum de profectitio: non de adventitio, quia in eo est pater conveniendus tanquam legitimus administrator, *l. 1. C. de bon. matern.* nisi permiserit filio administrationem. Nec de castrensi vel quasi, quia in eo est filiusfam. loco patrisfam., *l. 2. C. ad SC. Macedon.*

Ob quæ datur hæc actio?

Tantum ob ea, quæ ex contractibus vel quasi, *l. 44. ff. h. l. 14. ff. de negot. gest.* non, quæ ex delictis, vel quasi, filius debet, *l. 1 §. 7. ff. de h. q. ejec. vel effud.* Pœnalia enim judicia in patrem non dantur, *l. 58. ff. de Reg. Iur.*

Ad quid competit?

In tantum, quantum vires peculii patiuntur: eo enim usque creditur pater probare contractus, *l. qui peculii 46. ff. h.*

Quid, si patri quid debeatur extra peculium?

Recte hoc deducet: quia præveniisse creditur, *l. 9. §. 2. ff. h.* Quinimo & deducet, quod debetur personis suæ potestati, curæ, vel tutelæ subjectis, *d. l. 9. §. 3. 4.* verum, hæc deductio cessabit, si aliunde, vel alia actione suum possit consequi, *l. si noxali 11. §. 6. ff. h.*

Estne hæc actio perpetua?

Est perpetua filiofam. aut servo manente in potestate, *l. 2 ff. quand. de pecul. act. est annal.* ac transitoria ad hæredes.

Tit.

Tit. 2. Quando de peculio actio annalis est.

Quid ergo, si filiusfam. vel servus liberatus sit a potestate?

Actio de peculio annalis est, *l.* 1 *pr. ff. h.* Nam placuit, licet extinctum sit peculium, actionem in annum prorogari exemplo aliarum actionum prætoriarum, *d. l.* 1. *s.* 3. *ff. h.*

Quid, si interim auctum sit peculium?

Id cedit commodo agentium: quemadmodum & imminutio pertinet ad damnum eorundem, *l. fin. ff. h.*

Quid, si temporalis sit actio, qua agendum?

Non exceditur tempus, quo finitur temporalis actio. Itaque redhibitoria, quæ intra sex menses est instituenda, *l.* 19. *s. fin. l.* 55. *ff. de Æd. edict.* tantum sex mensium erit post mortem filii, *l.* 2, *ff. h.*

Tit. 3. De in rem verso. L. 4. 26.

Quæ est actio de in rem verso?

Actio personalis, qua, qui cum filiofam. contraxit, agit adversus patrem, ut, quantum in rem patris versum est ex eo negotio, præstetur.

Quando dicitur quid esse in rem versum?

Quoties est talis causa, ex qua procuratori mandati, vel ei, qui negotia gessit, negotiorum gestorum actio est, & patris res aut melior, aut non deterior reddita est, *l. quod si* 3. *s.* 2. *ff. h.* Nec spectatur, an bono patris cesserit, modo in negotia ejus, etiam in delitias & turpem causam, ex ejus voluntate sit expensum, *d. l.* 3. *s.* 6.

Quid, si voluptarii sint facti sumptus?

Si citra voluntatem patris sint facti, non potest hac actione agi, sed pati debet pater tolli sine rei læsione, *d. l. quod si.* 3. *s.* 4.

Quid si, quod erat in rem versum, perierit?

Non nocebit [a] id creditori, *d. l.* 3. *s.* 6. *& seqq.* Non enim fatalis rei eventus hoc modo excusat ab obligatione semel acquisita, *l. sed an* 10. *s.* 1. *ff. de neg. gest.*

[a] Quam-

[a] Quamvis hæc causa sit verissima, quia non in rem sed in personam sit creditum, in Galliis tamen hæc res æstimatur ex eventu, ut ex *l.* 3. *§.* 7. *ff. h.* censet *Autumnus.*]

Quid, si in rem patris mutuo sit datum, non autem versura?

Non habetur pro verso; ne credulitas creditoris patri obsit, aut calliditas filiifam. noceat, *d. l.* 3. *§.* 9 *ff. h.*

Tit. 4. Quod jussu.

Quæ est actio quod jussu?

Quæ datur ei, qui cum filiof. contraxit jussu patris, *l.* 1. *pr. ff. h.*

Quando jussus interveniisse dicitur?

Quoties generaliter vel specialiter, testato vel non testato, pater jussit, aut mandavit, vel ratum habuit, sive expresse, sive tacite, *l.* 1. *§.* 1. 3, 6. *ff. h.*

Quando tacite?

Cum pater chirographo filii subscripsit, *d. l.* 1. *§.* 4. *l.* 3. *C. quod cum eo.* vel id sigillo suo confirmavit.

Quid, si pater fidejusserit?

Non tenetur quod jussu; quia quasi extraneus intervenit. Aliud est fidejubere, aliud jubere. Unde & si inutiliter fidejusserit, non tenebitur quasi jusserit, *d. l.* 1. *§. quid ergo* 5. *ff. h.*

In quid datur hæc actio?

In solidum, *d. l.* 1. *pr. ff. h.* nam quodammodo contrahitur cum eo, qui jubet, *d. l.* 1. *pr.*

PAN-

PANDECTARUM
LIBER XVI.

Tit. Ad Senatus-Consultum Vellejanum. Lib. 4. Cod. Tit. 29.

Quid comprehensum est Senatus-Consulto Vellejano?

ETsi quidem fœminæ possint obligari in propriis causis, ac donare, *l.* 4. *s.* 1, *D. h.* tamen est statutum, ne pro ullo [*a*] intercedant, *l.* 1 *l.* 2. *s.* 1. *l.* 4. *D. h.* facile enim ad interveniendum inducuntur, at magno per hoc detrimento afficiuntur, *d. l.* 1.

[*a*] A Senatu Parisiensi ex æquitate maxima admittitur intercessio matris pro filio, ut notat *Autumn. cens. Gall. ad l.* 6. *D. h.*

Quando dicuntur fœminæ intercedere?

Cum in se suscipiunt alienam obligationem, *l. Senatusconsultum* 4. *C. h.* 1. Veterem: aut participando eam, cum fidejubent, vel constituunt pro alio, *d. l.* 2. *l.* 1. *s.* 1. *D. de const. pecun.* aut mandant alii dari pecuniam, *l.* 6. 7. 19. *ff. h.* aut res suas, aut sibi pignoratas, pro alio obligant, *l.* 5. 7. 12. *C. l.* 17. *s.* 1. *l. fin. s.* 2. *ff. h.* aut transferendo in se, fit, cum expromittunt pro alio, *l. quamvis* 8. *s.* 8. *ff. h.* vel alium defendunt, *l.* 2. *s. fin. ff. h.* 2. Novam, si pro alio pecunias accipiant, & statim sese reas faciant, *d. l.* 8. *s.* 14. *ff. d. l.* 4. *C. h.*

Quibus modis consulitur fœminis?

1. Ipso jure, vel generaliter in omni intercessione, de qua liquido constat, *l.* 2. *s.* 1. *verbis: neve eo nomine ab his petitio, neve in eas actio detur. ff. l.* 23. *s. fin. C. h.* vel specialiter in intercessione pro marito, *Nov.* 134. *c.* 8. *Auth. si qua mulier. C. h.* sive semel, sive multoties sit facta; sive publicum, sive privatum sit debitum, *Dd. Ll.* 2. Exceptione, si conveniantur, cum non liquido constat, quod intercessio sit facta, *l. qui* 40. *ff. de cond. indeb. l. quamvis* 8. *s. si mulier.* 2. *ff. ad*

SC.

SC. Vellejan. 3. Condictione, si quid ex causa intercessionis solverint, *d. l.* 8. *s.* 3. *ff. l.* 9. *C. h. d. l. qui* 40.

Prodesne & hoc hæredibus ac fidejussoribus?

Non tantum hisce, *l.* 10. *l.* 16. *s.* 1. *ff. h.* quia tota obligatio improbatur, *d. l.* 16. *s.* 1. sed & procuratoribus earum, *l.* 30. *s.* 1. *ff. h.* & ei qui pro iis intercedentibus pignus dedit. *l.* 2. *ff. quæ res pign.*

Quid, si una cum muliere interceſſerit alter, qui poterat obligari?

Subducitur persona mulieris, ac alter in solidum obligatur, *l.* 48. *ff. de fidejussor.* quia scire potuit, aut ignorare non debuit, mulierem frustra intercedere, *d. l.* 48.

Quid, si quis per interceſſionem mulieris sit liberatus?

Restituetur actio in eum, qui liberatus est, *l.* 8. *s.* 8. 14. *l.* 20. *ff. h.*

Quibus modis ceſſat hoc SConsultum?

1. Ob favorem rei in obligationem deductæ; uti, si pro libertate, pro dote, interceſſerint, vel dotem promiserint, *l. pen in fin. C. h.* 2. Ob factum [a] mulierum uti, si succesſerint reis, *l. quamvis* 8. *s.* 13. *ff. h.* quo casu vel restitutoria, vel directa actione conveniuntur, *d. l.* 8. *s.* 12. Si callide ac dolose interceſſerint, *l.* 30. *ff. h.* Si post biennale juge tempus secundam fecerint interceſſionem, *l.* 22. *C. h.* Si confessæ sint in publico instrumento, se pro interceſſione quid accepisse, vel si id aliter probari liquido possit, *l. antiquæ* 23. *C. h.* Si SConsulto legitime renunciaverint, *l. fin. s.* 3. *D. h.*

[a] Ita etiam cessat, si fœmina publice exercuerit mercaturam, *Busius in pr. ff. h.*]

Quid, si pater conſenserit in filiæ interceſſionem?

Æque erit locus SCto. Nec obstat, quod patrum consensus excludat beneficium SCti Macedoniani: quia Vellejanum in favorem mulierum; Macedonianum in commodum patrum, & odium fœneratorum introductum est, *l. qui* 40 *ff. de cond indeb.*

Quid, si creditor ignoraverit fœminam intercedere?

Subvenietur ei, nec SConsulto erit locus: quia alias nemo

nemo cum fœmina contraheret, *l.* 4. *l.* 11. 12. *l.* 19. *§.* 5. *l.* 27. *D. h.*

Poteſtne mulier huic beneficio renunciare?

Poteſt, [*a*] modo ſit certiorata: ſive in publico, ſive in privato inſtrumento, *l. ult. §. pen. D. h.* nec obſtat *l.* 23. *§. fin. C. h.* ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter, ſive jurato, ſive injurato fiat renunciatio, *arg. l. pen. C. de pact.* At *Auth. ſi qua mulier. C. h.* non aliter ceſſat, quam ſi facta ſit renunciatio per juramentum *arg. c.* 28. *x. de jurejur.*

[*a*] Poteſt & hodie extra judicium, *Buſius in l. ult §. ult. D. h.* quæ ſententia juris fundamentis eſt maxime convenienS; In Friſia a. receptum eſt, quod renuntiatio tantum fieri poſſit in publico inſtrumento, *Sande lib.* 3. *deciſ. tit.* 11. *def.* 2. 6. Et uxor pro marito intercedens non aliter quam ſi jurata intercedat, *Sande d. tit.* 11. *definit.* 4. Vide *Gail. lib.* 3. *obſ* 77.]

Poteſtne mulier S Conſulto Vellejano renuncians cum juramento, juvari per Auth. Si qua mulier?

Poſſet defendi eam juvari, quia jus *d. auth.* eſt ſingulare, quod per generalem renunciationem non tollitur, *arg. l. ſed & ſi* 4. *§.* 4. *D. ſi qui caution.* ſed, ne facile juramentum violetur, ſatius eſt contrarium tueri, licet etiam enormiter ſit læſa fœmina.

Tit. 2. De Compenſationibus. Lib. 4. Cod. Tit. 31.

Quid eſt compenſatio?

Eſt dibiti ac crediti mutua inter ſe contributio, *l.* 1. *D. h.* Diſtinguitur à retentione, quod retentio ſit corporis, vel ſpeciei alienæ ob id, quod nobis ob ſumptus in rem factos, vel ex alia cauſa debetur: compenſatio autem eſt quantitatum utrinque debitarum.

Quæ debent concurrere, ut compenſatio fieri poſſit?

Ut ſit perſona habilis: contractus, qui compenſationem admittat: res idonea, & debitum utrinque liquidum ac certum.

Qui possint compensare?

Omnes, qui solvere, imo & sæpe qui non solvere possunt. sic pupillus recte compensat, & pupillo compensatur, etiam ab ipso tutore, *l.* 11. *C. h. l.* 1. *s.* 4. *D. d. l.* 3. *C. de cont. int. act.*

Potestne fisco objici compensatio?

Potest, nisi ex tributis, ex precio rei à fisco emptæ, vel ex annonaria causa, aliave simili, de qua in *l.* 3. 7 *C. h. & l.* 46. *s.* 5. *D. de jure fisc.* quid fisco debeatur.

An & Procurator compensat?

In suam rem datus compensat, & post litem contestatam, *l.* 18. *D. h.* & ante, *arg. l.* 1. 6, 7. *C. de Obl. & Action. l.* 25. *in fin. D de procurat.* Etiam compensatio huic objicitur, quæ nocere poterat cedenti domino, siquidem cessio sit facta voluntario, non si ex [a] necessitate, *l.* 33. *s. fin. ff. de Procurat.* Imo cessionario imputabitur, quicquid à primo, secundo & tertio cedentibus, si ter sit facta successive cessio, debetur, *arg. l.* 143. 177. *ff. de Reg. Iur.* Qui vero in rem alienam est constitutus suo nomine non compensat, nec patietur compensationem, *l. ejus* 9. *C. l. pen. ff. h.*

[a] Vide si ex necessitate *Sande lib.* 3. *tit.* 17. *def.* 5.]

Quæ res admittunt compensationem?

Non species, licet sint æstimatæ, *l.* 2. *s.* 2. *l.* 6. *ff. si cert. petat. l.* 14. *D. de Iur. dot.* non diversi, sed tantum ejusdem generis quantitates utrinque debitæ: præcipue vero nummi, cum valor eorum tantum spectatur, *l.* 11. 15. 19. *ff. h.*

In quali debito admittitur compensatio?

Non distinguitur, utrum sit civile & naturale simul, an naturale tantum, *l.* 6. *ff. h.* sive sub usuris utrinque, sive sine iis debeantur, *l.* 6. *ff. h.* modo sit debitum certum, ac liquidum, vel quod sine ambagibus possit liquidari, *l. fin. s.* 1. *C. h.* & exceptione perpetua non possit perimi, *l.* 14. *ff. h.*

Quid, si in diem quid debeatur?

Compensari tunc demum potest, cum dies venit,

l. 7.

l. 7. *ff. h.* nisi humanitatis gratia lex indulgeat tempus *l.* 16. *§.* 1. *ff. h.*

An & in maleficiis locum habet?

Habet, modo pecuniarie agatur, *l.* 10. *§.* 2. *D. h.* Etiam injuria verbalis cum verbali compensabitur, *arg. l.* 25. *ff. de procurat*, *l.* 14. *§.* 6. *D. de bon. liberi*, *l.* 39. *D. solut. matrim.* dolus cum dolo. *l.* 42. *D. de action. empt.*

In quibus causis & contractibus habet locum?

In omnibus, sive sint stricti juris, sive bonæ fidei; sive in rem, sive in personam, *§.* 30. *Inst. de act. l. ult. C. h.* Excipiuntur tantum, depositum, *d. §.* 30. *d l. fin. fin. §.* 1. *in fin.* & actio momenti, *d. l. fin. §.* 1. Non vero commodatum, *l.* 18. *§. ult. D. commodat.* Non repetitio dotis, *arg. l* 15. *§.* 1. *l.* 22 *§.* 3. *D. solut. matrim.* Etsi enim in commodato, sub prætextu debiti, restitutio non inhibeatur, *l. fin. C. commodat.* nec ob ullam fere causam dos retineri possit, *l. un. §. Taceat. C. de rei ux. act.* tamen compensatio (terminis ut dici solet habilibus) non impeditur; quia longe aliud est retinere rem debitoris ob aliud debitum, quam compensare suum cum debitoris debito.

Quomodo fit compensatio?

Fit ipso [*a*] jure, *d. §.* 30. *& d. l. fin. §.* 1. allegari vero debet à reo convento; imo & per exceptionem proponi potest, si dubitetur an competat. Quod licet fiat injudicio, ipso tamen jure tollitur obligatio, *d. l. ult. §.* 1. Ita sc. ut, à quo tempore utrinque deberi cœpit, minus debitum fuisse creditori intelligatur, adeo ut & statim usuræ currere desierint, nec pœna debeatur, *l.* 11, 12, 13. *D. h.* cedit enim pro solutione compensatio, unde &, qui juravit se solvturum, liberatur compensando, *arg. l.* 124. *D. h.*

[*a*] Idem apud *Grot. lib.* 3. *sect.* 40. *Christin. vol* 3. *dec.* 39. *n.* 3.]

Potestne compensatio objici post sententiam?

Potest, *l.* 2. *C. h.* Nec sententia executioni mandabitur in eo quod compensari potest, cum debitum absolute sit sublatum.

DE [a] RETENTIONE.

Quid est Retentio?

Est remedium, quo id, quod debitoris est, ex justa causa creditor sibi servat, donec sibi sit satisfactum, vel quod ejus rei nomine, vel quod ex alia causa debebatur.

[a] De retentione videatur *Gail lib. 2. obs. 12. Althus. lib. 2. dicæol. c. 17. Petr. Malinet. de retent. Berlich. p. 2. concl. 32.*]

Quomodo retinetur res ob debitum ratione ejusdem rei?

Si quid in eam rem sit expensum. Ita bonæ fidei possessor incumbit rei, donec solutæ sint impensæ, *l. 48. D. de rei vind.* uti & conductor, ob reparationem domus; & depositarius ob sumptus in rem depositam factos.

Quomodo ob aliam causam?

Varie: uti, si quis retineat pignus ob usuras sibi debitas, *l. 4. C. de usur.* ob chirographiarum pecuniam, ex alia causa debitam, *l. unic. C. si ob chirogr.* ob mercedem ædium, *l. 4. D. ex quib. caus. tacit.*

Tit. 3. Depositi vel contra. C. 4. 34.

Depositum in genere est, quod alterius custodiæ demandatum est. Estque rei litigiosæ, vel non litigiosæ. Rei litigiosæ depositum, sequestratio: non litigiosæ, depositum in specie appellatur, *l. 17. ff. h.*

Quomodo definitur depositum in specie?

Accipitur nonnunquam pro re, nonnunquam pro contractu. Cum pro contractu accipitur, est contractus realis, quo quis gratuito alterius rem custodiendam recepit ea lege, ut eadem in specie restituatur.

Cur dicitur contractus realis?

Quia non aliter perficitur, quam cum revera & facto ipso res est tradita, *§. penult. Inst. quib. modis re contrah. oblig.*

Cur dicitur gratuito?

Quia, si mercedem recipiat, est locatio. Licet autem honorarium admittat, *l. 1. §. 35. ff. h.* non tamen desinit esse gratuitum.

Cur additur, de eadem re restituenda?

Quia, si initio convenerit de alia re præstanda, transit in aliud nomen contractus.

Quid,

Quid, si pecunia deposita convenerit, ut, si debitor velet uti, possit: vel, pecuniam non obsignatam deponens, permiserit debitori, ut tantundem reddat?

Si eo animo, ut mutuum sit, fiat, erit mutuum, *l. 9. §. fin. l. 10. ff. de reb. cred.* nec usuræ post moram debebantur. Si animo deponendi ita convenerit, erit depositum, & usuræ post moram solvi debent, *l. 24. l. 25. §. 1. l. 29. §. 1. ff. h.*

Quæ sunt hujus contractus substantialia?

Apparet ex præcedentibus, ea esse. 1. Consensum. 2. Rem 3. Rei traditionem. 4. Custodiam rei gratuitam 5. Conventionem ut eadem res restituatur.

Qui possunt deponere?

Et rerum Domini, & qui non sunt Domini, *l. 31. pr. & §. 1. ff. h.* Non tantum unus, sed & plures, *l. 17. ff. h.* Et, si latro deposuerit, ac superveniat dominus qui reperit, præstat reddi domino, quam latroni, *l. 31. ff. h.*

Quæ res proprie deponitur?

Mobilis, *arg. l. 1. pr. ff. h.* Res autem immobilis, licet custodiam recipere videatur, proprie deponi non videtur.

Quæ actiones sunt ex hoc contractu?

Depositi directa, & contraria. Directa datur Domino quocunque tempore volenti repetere, imo etiam ante tempus pacto constitutum, *l. 1. §. 45. & 46. ff. h.* adversus depositarium, ut rem restituat incorruptam cum fructibus & omni causa, *d. l. 1. §. 15.* Contraria depositario, qui quovis tempore ac officio suo liberari potest (nisi tempus pacto sit adjectum) contra deponentem, ut rem recipiat, & quicquid depositario sumtuum vel alia ratione abest, præstet, *arg. l. 11. C. h.*

Quæ culpa præstanda est in deposito?

Tantum lata, *l. 23. D. de Reg. Iur.* nisi aliter convenerit, *d. l. 23. & l. 1. §. 6. D. h.* vel depositarius se obtulerit, aut honorarium acceperit, *d. l. 1. §. 35.*

An etiam per depositum transfertur possessio?

Nullo modo, *l. 17. §. 1. D. h.* Nisi possessio pro

qualibet etiam nuda ac simplici detentione accipiatur, *l. 9. D. de rei vind.*

Quid, si tumultus, incendii, ruinæ, naufragii causa quid sit depositum?

Etsi ex depositi simplici tantum in simplum detur actio; tamen ex hisce causis in duplum agitur, si quid per inficiationem, *§. 26. Inst. de action.* vel aliter per dolum malum sit peccatum; nam propter necessitatem crescit perfidiæ crimen, & publica utilitas coërcenda est, *l. 1. pr. & §. 4. D. h.*

Suntne aliqua singularia in deposito?

Sunt varia. 1. Non admittit compensationem, *l. fin. §. 1. compensat.* 2. Si simpliciter sit factum, & res extet, præfertur deponens omnibus creditoribus hypothecariis & privilegiatis depositarii, tanquam rei dominus; sin autem apud nummularios pecunia sit deposita sine fœnore, præfertur omnibus privilegiariis; si sub fœnore, primas habebit partes inter personales, *l. 7. §. quoties. ff. h.* 3. Instrumentum depositi paratam habet executionem, *l. penult. C. h.* 4. Non datur depositario condemnato quadrimestre spacium, *arg. l. penult. C. h.*

De prohibita sequestratione pecuniæ. Tit. 4. Lib. 4. Cod.

Quid est sequestratio?

Est depositio [a] rei litigiosæ.

[a] Vide *Gœddei tract. de sequestratione, Berlich. p. 1. conclus. 73. Carpzov. p. 1. constit. August. 30.*]

Quomodo distinguitur?

Est vel voluntaria, vel necessaria sive judicialis. Voluntaria fit ex conventione partium, *l. 17. ff. h.* & regulariter est permissa, *l. 5. §. 1. 2. l. 6. ff. h.* Necessaria & judicialis est, quæ fit ex sententia judicis. hæc regulariter est [a] prohibita, *l. unic. C. de prohib. sequestr. pecun.* maxime in pecunia, *d. l. unic.*

[a] *Gail lib. 1. obs. 147. & Berlich. d. conclus. 73. n. 14.*]

Quæ res possunt sequestrari?

Res quælibet; tam immobiles, quam mobiles.

Tran-

Transitne in voluntaria poss. sito?

Videndum est, quid sit actum, de quo si non appareat, credendum est possessionem non esse translatam, nisi qua commodum victoris spectatur, *l.* 17. *s.* 1. *ff. h. t.* 39 *ff. de acquir. poss.*

Potestne sequester vendere aliquid ex rebus fidei suæ commissis?

Poterit, cum quid est, quod per moram fit deterius, vel bonus paterfamilias id venderet.

Quid, si bonorum, quibus jus patronatus adhæret, sequestratio sit facta, potestne interim id sequester conferre?

Affirmandum est, si differri negotium non possit, donec lis exitum habuerit, *arg. d. l.* 17. *s.* 1. *ff. depositi.*

Ex quibus causis auctoritate judicis fit sequestratio?

Multæ sunt [*a*] causæ, quas judex ante examinabit accurate; ut, si periculum sit, ne partes ad arma procedant, *arg. l.* 13. *s.* 3. *ff. de usufr.* si metus sit dilapidationis, *l.* 22. *s.* 8. *ff. solut. matrim. l.* 21. *s. ult.* D. *de appell.* si caveri non possit, & persona sit suspecta, & res sit mobilis, *l.* 7. *s fin. ff. qui satisd. cog.* vel ex causa incertitudinis status, *l. fin. C. quib. ad libert. proc. l. un. C. de aff rt. tollend.*

[*a*] V. *Mynsing. cent.* 2. *obs.* 11. & 5 *obs.* 35.]

Quomodo fiet sequestratio ad minimum partium detrimentum?

Præstat rem locari tertio, ut ex ea merces percipiatur, *arg. d. l.* 22. *s.* 8. *ff. solut. matrim.*

Potestne judicialis sequestratio per satisdationem impediri?

Nullo [*a*] modo, sed tollitur tantum decreto judicis contrario, *l.* 14. *ff. de re jud.*

[*a*] Nisi ob defectum cautionis fiat sequestratio, *l.* 7. *s. ult. D. qui satisd. cog.* quo casu etiam si sit vir frugi, potest admitti ad juratoriam cautionem, *Mynsing.* 2. *obs.* 11, *Gail lib.* 1. *obs.* 128. *n.* 6.]

Qua actione sequester conveniendus est in voluntaria sequestratione?

Depositi, *l.* 5. *s.* 1. *D. depos.* &, si convenerit, ut

sequester certo loco exhiberet, ibi exhibebit: si nihil convenerit, apud prætorem, *d. l. 5. §. 1.*

Quid; si sequester velit deponere officium?

Siquidem tempus comprehensum sit, vel simpliciter res sit suscepta in sequestrationem, non poterit contra legem depositionis; vel lite nondum finita, liberari, nisi justissima de causa, *d. l. 5. §. 1.* ut, si abfuturus sit, aut simili, *arg. l. 8. §. fin. & Ll. seqq. D. de procur.* Cæterum, finita lite, potest agere sequestraria, sive depositi contraria, ut, qui vicit, rem recipiat; ac quod sequestro abest præstet.

Debetne, cum permittitur sequestro deponere officium, res restitui alterutri ex litigantibus, qui prior venerit?

Nequaquam: sed oportet rem arbitratu judicis apud alium sequestrari, sive apud ædem sacram deponi, *d. l. 5. §. 2.*

PANDECTARUM

LIBER XVII.

Tit. 1. Mandati vel contra. Tit. 35. Lib. 4. Cod. 27. Lib. 3. Inst.

Quid est mandatum?

Contractus consensu initus; de officio præstando alteri gratuito.

Quæ sunt ejus substantialia?

Consensus. Factum sive negotium, Gratuito præstandum.

An est semper gratuitum?

Contractus hic admittit quidem honorarium; sed non mercedem; *l. 6. ff. h. junct. §. f. Inst. eod.*

Quomodo distinguitur?

Varie; contrahitur enim vel mandantis, vel mandantis & mandatarii, vel aliena tantum, vel mandantis & aliena, vel mandatarii & aliena causa, *pr. & §. seq. Inst. h. l. 2. pr. § 1. & seqq. D. h.*

Quo-

Quomodo aliena tantum, cum nemo alteri stipulari possit?

Non, ut ex mandato detur domino vel contra eum mandati actio, sed mandanti contra mandatarium, & vice versa.

An ergo nulla datur actio domino vel contra eum?

Datur, non mandati, sed negotiorum gestorum actio.

Potestne mandatarii tantum causa mandari?

Non potest: quia magis est consilium. Contrahitur vero tunc ex consilio obligatio, cum est fraudulentum, *l.* 47. *D. de Reg. Iur.* vel, si suggestum [*a*] circa certam personam, cui mandatarius non credidisset, nisi inductus fuisset à mandante, *§.* 6. *Inst. h. l.* 6. *§.* 4. *D. h.*

[*a*] Hodie vix illud obtinet, nisi compendii sui causa accesserit, *arg. l.* 7. *§. ult. l.* 8. *D. de dol. mal.* vel nisi affirmarit debitorem esse idoneum, & voluerit rem eam esse suo periculo, *l.* 12. *§.* 13. *ff. h.* vel nisi quis suo procuratori aut gestori affirmarit.]

Quid, si proxeneta interveneriit faciendi nominis causa?

Non tenebitur, tametsi laudet nomen; modo nominatim in se nihil receperit: quia monstrat magis nomen, quam mandat, *l.* 2. *ff. de proxenet.*

Quid, si quis commendaverit aliquem?

Non obligabitur mandati: quia ibi nulla est persuasio aut directa inductio, *l.* 12. *§.* 12. *ff. h.*

Quomodo aliter distinguitur?

Est vel generale, quod ad omnes causas pertinet: vel speciale, quod ad certam causam est datum. Fieri vero multa possunt per speciale, quæ non per quodvis generale; uti, si agatur de vendendo, *l.* 63. *ff. de procurat.* de restitutione in integrum minorum, *l.* 25. *§.* 1. *l.* 26. 27. *D. de minor.* & similibus.

Quomodo distinguitur generale?

Est vel simplex, vel cum libera. Simplex, cum simpliciter demandata est administratio omnium rerum, *d. l.* 63. *D. de procurat. junct. l.* 60. *eod.* Cum libera, cum ad omnia negotia quis mandatum habet, cum hac clausula, ut omnia possit agere ceu ipse Dominus

liberrime, *l. 60. §. fin. D. h. l. 58. D. de procurat.* Qui cum libera habet mandatum, potest vendere, & omnia agere, ac si esset Dominus; modo nihil faciat contra bonam fidem, nec ea, quæ Dominus probabiliter non faceret, *d. l. 60. d. l. 58.*

An non & aliter distinguitur mandatum?

Est aliud expressum, aliud tacitum. In expresso est expressus consensus: in tacito, præsumptus. De tacito est text. *l. 6. §. 2. l. 18. 53. D. h.*

Quid, si rati-habitio interveniat?

Comparabitur ea mandato, & ex ea agetur mandati, *l. 60. D. de Reg. Iur. l. fin. C. ad S. Consultum Macedon.*

Qui possunt mandare?

Qui contrahere possunt, etiam mulieres, nisi causam alienam tractent, *arg. d. l. 60. §. 1. D. h.* etiam filiifamilias, *l. 39. D. de Obl. & Act.* Nec tantum unus mandat, sed & plures. Potest etiam mandatarius administrationem rerum & negotiorum sibi demandatam alii mandare, *l. 8. §. 3. D. h.* non litem ante ejus contestationem, *d. l. 8. §. 3. l. 11. in fin. C. de procurat.*

Quibus potest mandari?

Quibuslibet, qui & obligari possunt, etiam filiisfamilias, *l. 12. §. 6. l. penult. D. h.* etiam fœminis, modo sit id mandatum, quod personis earum conveniat; litem enim alieno nomine exercere non possunt, *l. 18. C. de procur.*

De quibus rebus mandatum valet?

De omnibus præsentibus & futuris, modo sint honestæ ac licitæ, *l. 6. §. 3. ff. h.*

Estne ergo rei turpis mandatum plane inutile?

Inutile quidem est, qua mandati actio inter mandatorem ac mandatarium spectantur, *cap. non est obligatorium. de Reg. Iur. in 6.* unde, quod quis pœnæ nomine solvit, repeti nequit, *l. 22. §. 6. ff. §. 7. Inst. h.* verum, ad pœnam infligendam est obligatorium, *d. §. 7. Inst. h.* Hinc mandans homicidium, pro homicida punitur, si homicidium sit secutum, *l. 15. §. 1. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 5. C. de Assass.*

Quid,

Quid, si quis mandaverit vulnerari, & mandatarius occiderit?

Extra ordinem mandans puniendus est: quia licet causam præbuerit, dolo tamen, & proposito interficiendi caret, sine quo ordinarium supplicium non infligitur, *l.* 1. §. 3. *l.* 7. 14 *ff. ad L. Corn. de Sicar.*

Possuntne & mandati actiones?

Possunt. qua in re hoc singulare est, quod redemptores litium non plus possint consequi, quam ipsi dederunt, *l.* 23. *C. h. de qua re supra tit. de procurator.* licet etiam ex patre sit donatio facta, *l.* 23. *C. h.*

Quomodo fit mandatum?

Solo consensu, vel pure, vel in diem, vel sub conditione. § 12. *Inst. h.*

Quæ actiones dantur ex hoc contractu?

Mandati directa & contraria: illa mandanti, cum sine justa causa mandatarius non implet mandatum, vel, quod cœptum est, non exsequitur, *l.* 5. *Cod. h.* vel, eum quid perperam per dolum & culpam gessit, *l.* 9. 11. 12. *C. h.*

Quæ culpa præstanda est?

Omnis, etiam levissima, *l.* 13. *l.* 21. *C. h.* non vero casus fortuitus, nisi ad eum sese mandatarius obligaverit, vel mora præcesserit, *d. l.* 13. *l.* 26. §. 7. *ff. h.* Sed temperamento aliquo circa culpam est opus.

Quod est illud?

In ipso facto, quod mandatum est, exactissima diligentia est adhibenda, *d. l.* 23. & 21. Non vero in custodia rei, vel aliis, quæ factum tantum comitantur, *l.* 8. §. *fin. l.* 10. *ff. h.*

An etiam præstandæ sunt usuræ?

Sunt, quatenus in mora est mandatarius, *l.* 19. *C. h.* Quod si vero absque mora habuerit pecuniam domi otiosam, siquidem Dominus fœnori exponere soleat, tenetur ad usuras: contra, si id non sit solitus, *l.* 13. §. 1. *ff. de usur.*

Cui datur contraria?

Mandatario contra mandantem, competens ad hoc, ut mandans ratum habeat quod gestum est: solvat impensas, *l.* 2. *C. h.* una cum [a] usuris, *l.* 1. *C. h.*

non tantum post moram, *l.* 18. *C. h.* sed & ante, siquidem pecuniam, quam impendit, vel ab alio sub usuris sumpsit, vel ab eo, qui ipsi eam sub usuris debebat, exegit, *l.* 12. *§.* 9 *ff. h.* licet etiam ex voto negotium non successerit; denique, ut liberetur mandatarius ab obligatione, quam ex mandato contraxit, & consequatur, quidquid ipsi præterea nomine negotii gesti abest.

[*a*] Et quidem hodie à tempore litiscontestatæ debentur usuræ maximæ, si mandatarius expensas ex suo fecerit, *Morn. in l.* 1. *C. h. Ant. Faber. C. lib.* 8. *tit.* 26. *def.* 7, 8. *Zypæus tit. de usuris inf.*

Quid statuendum de damno, quod mandatarius ex casu fortuito passus est?

Id imputabitur mandatario, *l.* 26. *§.* 6 *ff. h.* nisi id damnum non fuisset passus, si mandatum non interveniisset, *arg. l.* 61. *§.* 5. *ff. de furt. junct. l.* 52. *§.* 4 *ff. pro soc.*

Quid, si mandatarius excesserit fines mandati?

Non in totum ei peribit actio, sed eam instituet usque ad limites mandati, *§.* 8. *Inst. h.* Ita qui ad certam summam rogatus est fidejubere, tantum ad summam, ad quam rogatus est, mandati aget, *l. rogasti* 33. *ff. h.*

Potestne fidejussor liberari, antequam solverit, à fidejussione?

Potest certis [*a*] casibus; ut, si condemnatus sit; si debitor sua dilapidare inceperit; si reus diu cessaverit in solutione, *l.* 10. *C. l.* 38. *§.* 1. *ff. h.* maxime urgente creditore, *c.* 1. *v. de fidejuss.*

[*a*] Hisce certis casibus addi potest ex Jure, si speciatim ita convenerit, *l.* 10. *C. h.* ex DD. si sit detrusus in carcerem, *Baldus in c. ex rescript. de Jurejur. Marsil. de Fidejuss. rubr. n.* 216. *Francus de fidejuss. c.* 5. *n.* 589. Insuper hoc addi potest, quod pro soluto habendum sit, si fidejussor consignarit, *l.* 56. *§.* 1. *ff. h. l.* 64. *ff. de fidejuss.* vel etiam compensarit, vel per acceptilationem remissionem impetrarit, vel si in inimicitias inciderit fidejussor cum reo, *Costal. in d. l.* 38. *ff. h.*]

Quan-

Quando diu in solutione cessasse dicitur debitor?

Non id ex biennio, secundum *l.* 56. *ff. locat.* non ex longo tempore aestimandum, *arg. pr. Inst. de usucap.* sed pro rei qualitate id tempus arbitrio judicis relinquendum, *arg. l.* 1. *in fin. ff. de Iur. delib.*

Quando contraria mandati est instituenda?

Finito negotio; quia, qui acturus est, à sua parte debuit ante facta facere, *arg. l.* 13. *§.* 8. *ff de act. emt.*

Quibus modis solvitur mandatum?

1. Morte mandantis, re integra, *l.* 15. *C. h.* nisi mandatarius, ignorans mortem mandantis, vel, ne ciens reluctari hæredes, executus sit mandatum, *§.* 10. *Inst. l.* 58. *pr. ff. h.* vel mandatum sit id, quod post mortem debeat expediri, *l.* 12. *§.* 1. *l.* 13. *D. h.* quod facit ad piam causam ac concordiam, *v. ex iis. verf. in eo. de Verb. signif.* aut ad dotis commodum, *l.* 9. *§.* 1. *ff. de Iur. dot.* 2. Morte mandatarii. 3. Revocatione vel renunciatione re integra, *§.* 9. 11. *Inst. h.* aut re non integra, ob justam causam, *l.* 17. *& seqq. ff. de procurat. l.* 22 *§. fin. & Ll seqq. ff. h.* quam judex examinabit. 4. Contraria utriusque voluntate, *§. fin. Inst. quib. mod. solv. oblig.* 5. Cum finis negotio est impositus.

Tit. 36. Lib 4. Cod. Si servus extero se emimandaverit.

Quid, si servus extero se emi mandavit?

Non datur actio mandati: quia servus pro mortuo est, & se Domino subtrahere non potest, *l. unic. C. h.*

Tit. 2. Pro Socio. Tit. 37. Lib. 4. C. & Tit. 26. Inst. Lib. 3.

Quid est societas?

Contractus, consensu initus, de rebus lucrisque aut damnis ex iis communiter habendis.

Quomodo distinguitur?

Est vel universalis, vel particularis. Universalis multos habet gradus. 1. Cum omnium bonorum, & acquirendorum & erogandorum, est communio. In hanc veniunt quælibet hæreditates, omnis quæstus, & imputatur quicquid in dotem vel honorem liberorum

rum honesta ex causa præstatur, *l.* 73 *pr. & §.* 1. *l.* 81. *D. h.* 2. Cum communiter habentur omnia bona, quæ ulla ex causa obvenire possunt, sine mentione erogandorum. In hanc veniunt hæreditates & quæstus, *l.* 3. *§.* 1. *ff. h.* 3. Cum socie as simpliciter initur sine ulla distinctione. In hanc veniunt, quæ ex quæstu sunt, & ex opera cujusque descendunt, *l.* 7. 8. *D. h.* Non hæreditas, non legata, non donationes, non æs alienum, nisi, quod ex quæstu est, *l.* 9. *& seqq. D. h.* Particularis est, vel negotiationis alicujus; uti emptionum. In quam venit omnis quæstus ex emptionibus. Vel certæ [a] causæ, quæ evenire possit, uti, si quæ justa hæreditas obveniat. In hanc venit tantum hæreditas ab intestato, *d. l.* 3. *§.* 2. Vel certæ alicujus rei, sive speciei. In hanc venit quicquid ex ulla re vel specie provenit.

[a] Dubitatur à nonnullis, an qui habet mandatum ad vendendum, etiam possit pecuniam seu pretium accipere? Resp. Quod non videtur, quandoquidem est actus alius vendendi, alius actus pretii recipiendi. V. *Stragam de mercat. tit. de mandat. n.* 2, 3.]

Qui possunt esse socii?

Omnes, qui se aliis, & alios sibi obligare possunt.

Quarum rerum est societas?

Non tantum specierum, sed & quantitatum, & factorum, à quibus omnis turpitudo abest. Maleficiorum, & rerum inhonestarum nulla est societas, *l.* 57. *D. h junct. l.* 52. *§.* 17. *l.* 53. *D. h.*

Quomodo initur societas?

Varie. 1. Universaliter, vel singulariter, ut dictum est. 2. In perpetuum, hoc est, dum vivant, vel ex tempore, vel sub conditione, *l.* 1. *D. h.* 3. Ut unus vel omnes pecuniam, alii operam conferant, *§.* 1. *Inst. h.* 4. Consensu, aut expresso per verba, per literas: aut tacito, rebus in commune illatis, citra conventionem, *l.* 4. *D. h.* 5. Partibus lucri ac damni expressis aut non, *§.* 1. *Inst. h.*

Si unus operam, alter pecuniam conferat, cujus periculo pecunia amittitur?

Etsi quidem domino pecunia pereat, *l.* 9. *C. de pignoratit.*

ratit. act. tamen, quia perit constante societate, commune erit damnum. *l.* 52. *§.* 4. *D. h.* quod ita admittendum est, ut etiam habeatur ratio operæ, cujus commodum per interitum rei est ablatum.

Ad quem pertinebit pecunia ab uno collata, si solvatur societas?

Ad eum, qui [a] contulit. nam non confertur, ut solutæ societate communis sit; sed ut per eam negotiatio ad commune lucrum possit exerceri, *§.* 2. *Inst. h.* [a] Vide *Sichard. ad l.* 1. *C. h.* & *Fachin. lib.* 2. *controvers.* 94.]

Quæ partes in lucro vel damno sunt servandæ?

Si nihil dictum sit, æquales, *§.* 1. *Inst. h.* sc. pro modo collationis pecuniæ vel operæ, *arg. d. §.* 1. *junct. l.* 29. *pr. D. h.*

De quibus partibus lucri vel damni valet conventio?

Non distinguitur, licet unus plus quam alter conferat, *d. l.* 29. *pr.* modo non convenerit, ut unus omne damnum, alter omne lucrum sentiat. est enim ea leonina conventio, *d. l.* 29 *§.* 2.

Quid, si portio sit in lucro expressa?

Eadem in damno servanda, & vice versa, *§.* 3 *Inst. h.* Est enim secundum naturam, ut æqualiter commoda & incommoda ejusdem rei habeantur, *l.* 10. *D. de R. I.*

Valetne pactio, ut alia lucri, quam damni feratur portio?

Siquidem ea sit facta, quoniam lucrum non intelligitur nisi omni damno deducto, nec damnum nisi lucro subducto, erit ejus hæc efficacia, non ut in omni lucro vel damno, sed in eo lucro, quod deducto damno, vel in damno, quod deducto lucro, residuum est, portio secundum modum conventionis feratur, *l.* 30. *D. h.*

Quid, si convenerit, ut, sorte sibi salva reservata, socius tantum lucri partem habeat?

Nulla ratio [a] id prohibet, & hæc pactio nihil iniquitatis habet, *arg. l.* 29. *pr. & §.* 2. *D. h. junct. l.* 1. *§.* 7. *D. depositi.*

[a] Vi-

[a] Videatur *Gail lib. 2. obs. 24. n. 6. Sichard. in l. 1. C. h.*]

Teneturne socius reddere socio quandocunque voluerit rationes?

Sic [a] videtur, *l. 9. D. de edend. arg. l. 3. §. 2. D. de administr. tutor.*

[a] Dissent. *Bartol. per l. neminem. C de suscept.*]

Potestne major sociorum pars invitis aliis aliquid agere?

Nullo modo, si quid sit insolitum, *l. 28. D. comm. divid.* Cæterum, si prohibentis non interfit, potest major pars ad autoritatem judicis appellare, *arg. l. 38. D. de evictionibus.*

Quibus modis solvitur societas?

1. Dissensu mutuo, *l. 5. C. h.* 2. Morte, etiam unius ex sociis, *l. 65. §. 9. D. h.* nisi in societate coëunda convenerit, ut inter superstites societas maneat, *d. §. 9.* 3. Maxima & media capitis diminutione, *l. 63. §. fin. D. h.* 4. Interitu rei, vel cum in totum periit, vel cum conditio ejus est mutata, ut, si publicata, consecrata, *d. §. fin.* Ita per universalem bonorum publicationem unius ex sociis, solvitur, *§. 6. h.* 5. Cessione bonorum, *§. 8. Inst. h.* nisi postmodum aliter convenerit, *d. §. 8.* 6. Renunciatione etiam unius, sive expressa sive tacita, *d. l. 63. §. fin. l. 64. 65. pr. §. 3. & seqq. ff. h.* quia nemo cogitur invitus manere in communione. Debet vero renunciatio fieri sine fraude & tempestive. Is enim, qui intempestive renunciavit, cogitur id, quod lucratur per calliditatem (non aliud lucrum, circa quod non est maligne versatus) communicare, & præterea amittit lucra, quæ interim ad socios pervenerunt, *§. 4. Inst. h.*

Succeditne hæres in societate?

Nullo modo, *d. l. 65. §. 9.* nec valet conventio ab initio, ut hæres succedat, nisi sit societas vectigalium, *l. 59. 63. §. 8. ff. h.* vel alia similis urgens causa; vel nisi agatur de rationibus reddendis.

Quid, si socius decoquat bona sua; an & per hoc societas tollitur?

Non ipso jure, nisi sequatur cessio bonorum, quo casu

casu præstat, ut, quorum interest, renuncient societati: vel nisi sit ad egestatem plane perductus, *l. 45. §. 1. in fin. ff. h.*

Quæ actio est ex societate?

Utrinque directa, *§. 2. Inst. de pœnis temer. litig.* qua agitur utrinque de eo, quod alter alteri ex natura contractus vel ex pacto præstare debet.

Quæ culpa præstanda est?

Tantum levis. quæ in hoc contractu est omissio diligentiæ quam quis suis rebus adhibet, *§. fin. Inst. h.*

PANDECTARUM

LIBER XVIII.

Tit. 1. De contrahenda emptione. Tit. 38. Lib. 4. Cod. 24. Lib. 3. Inst.

Quid est emptio, venditio?

CONtractus, consensu initus, de re, certo precio transferenda, *pr. Inst. h.*

Quæ sunt ejus substantialia?

Consensus, pretium, & merx. Nec unquam ex natura contractus, vel verba, vel literæ præcisè desiderantur.

Quomodo explicandum est principium Inst. h.?

Non, quod scripturâ præcisè requiratur, vel etiam arrhæ; verum, si convenerit, ut in scriptis fiat emptio, non absolute ea videatur esse perfecta, nisi omnia in mundum sint redacta, & subscriptiones accesserint. Licet enim ante pœnitere, &, si arrhæ sint datæ, illæ, amittuntur ab eo, qui eas dedit, vel duplicatæ restitui debent ab eo, qui eas accepit, si eum pœnituerit. Ita eum locum exponendum esse indicat, *l. 17. C. de fide instr.* ex qua desumptus est.

Quid, si quis erraverit?

Siquidem in corpore, sive materia error vel dissensus intervenerit, nulla erit venditio: secus, si in qualitate extrinseca, *l. 9. pr. & §. 1. §. 2. l. 14. D. h.*

Videtur

Videtur obstare l. 15. fin. de pig. act. l. 22. D. de V. O. ubi & in materia error non vitiat gestum.

Separanda est in hac causa emptio à pignore & stipulatione: quia interest creditoris pigneratitii & stipulatoris aliquid potius esse in obligatione, quam nihil: cum emptoris, qui pretium rei æquivalens præstare tenetur, magis interfit obligationem dissolvi in re viliori.

Quid, si inauratum pro aureo sit venditum?

Valet venditio: cum vero æs pro auro venit, *l. 14. D. h.* aut mensa argento cooperta, pro solida imprudenti venditur, *l. 41. §. 1. D. h.* emptio venditio nullius momenti est.

Qualis ignorantia in talibus excusat?

Quæ non sit supina, *l. 15. §. 1. l. 43. §. 1. D. h.*

Quæ sunt qualitates precii?

Debet precium consistere in pecunia numerata, *§. 2. Inst. h.* nam alias est permutatio, *d. §. 2.* & esse certum, *§. 1. Inst. h.*

Quid, si definitio precii collata sit in arbitrium tertii?

Potest id fieri; verum, si tertius noluerit vel non potuerit definire, conventio concidit, *§. 1. Inst. h. l. alt. C. h.*

Quid, si is iniquum dixerit precium?

Redigetur per arbitrium viri boni ad æquabilitatem, *l. 76. & seqq. ff. pro soc.* nec enim aliter partes contulisse in arbitrium alterius precii definitionem præsumuntur, quam, ut æquum statueret. nec necesse est deceptionem esse factam ultra dimidium, ut huic boni viri arbitrio sit locus.

De Commerciis & Mercatoribus. Tit. 63. Lib. 4. Cod.

Liceatne omnibus & cum omnibus commercia habere, & venditiones instituere?

Permissum est omnibus, modo non [a] prohibeantur. Sic cum hoste extra loca statuta, vel intra fines imperii sine Comite commerciorum non licet, *l. 4. & fin. C. h.* Deinde nobiles, ditiores, & potentiores non

non possunt exercere commercia: non, quia est indecens, sed qua pernitiosæ negotiationes & monopolia ab iis, propter potentiam & divitias, exercentur.

[a] Videantur hac de re *Mynsing. 6. obs. 54. n. 12. & seqq. Christin. vol. 3. decis. 106. n. 6, 7. Faber C. Forens. lib. 9. tit. 29. defin. 3. Mornac. & Autumn. h.* Summa tandem huc redit 1. Ne ditiores & nobiles, simulque potentes pernicioſa per monopolia & similes modos exerceant commercia, nec impediant quo minus cuivis pateat aditus ad mercaturam, vel etiam sordidius tractent negotiationes in rebus vilibus, simplatiis, &c. 2. Ut qui pauperiores sint & impotentes, licet sint nobiles, ex necessitate, ut suis rebus afflictis succurrant, etiam minimis negotiationibus vacent; nec n. fortuna adversior mutat statum, & necessitas facit licitum, quod alias non ita splendidum.]

Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum alienatione. Tit. 53. Lib. 4. Cod.

Licetne illis, qui res alienas administrant, & quorum res tacite vel expresse aliis sunt obligatæ, res suas alienare?

Omnino id permissum est, imo & oppignerare, at sine præjudicio ejus, cui jus quæsitum est, *l. unic. C. h.*

Si quis alteri, vel sibi sub alterius nomine vel aliena pecunia quid emerit. Tit. 50. Lib. 4. Cod.

Quid, si quis alteri rem emerit?

Nullius [a] momenti est hæc emptio. non enim actio acquiritur alteri, quia alteri sine mandato emere nemo potest, *l. 73. in fin. ff. de R. I.* non sibi, quia sibi noluit emere, *l. 6 C. h.*

[a] Hodie permissum est incertæ personæ, nominandæ scil. intra certum diem, emere, *Mornac. Rubr. h. Faber lib. 4. C. tit. 34.* Sin a. non nominetur is, qui emit

emit videtur sibi emisse, & recte convenitur, secundum ea quæ allegata sunt à *Fabro d. loc.*]

Nullus ergo hujus rei effectus?

Siquidem venditor rem tradiderit alterutri, & is acceperit, is, cui res tradita est, fiet dominus, *l. 3. d. l. 6. in fin. C. h.* confirmata in ejus persona emptione.

Quid, si nuncius nostro nomine quid emerit?

Videmur ipsimet emisse; quia nuncius noster se habet adinstar epistolæ nostræ, *l. ult. C. h.*

Quid, si Procurator nostro nomine quid emerit?

Siquidem in nostra sit potestate, actio ex empto directo nobis acquisita est: si vero sui juris fuerit, non aliter agere jure stricto possumus, quam mandata ab eo nobis actione, *l. 7. C. h.*

Quid, si pater filio, quem habet in potestate, quid emerit?

Dominium erit filii ex illa emptione, cum ipsi, licet emancipato, possessio est tradita *l. 2. C. h.*

Quid, si quis sibi sua pecunia, sed alterius nomine emerit?

Licet in instrumento alterius nomen sit scriptum, tamen rei gestæ quam scripturæ potior est ratio; ideoque sibi actionem empti, & per traditionem jus possessionis vel proprietatis acquirit, *l. 4. 5. & 6. C. h. junct. l. 1. C. plus valere.*

Quid, si quis sibi & tertio emerit?

Contractus in personam ementis consistit in solidum, *l. 64. D. de contrah. empt.* sive res divisionem recipiat, sive non; id enim videtur esse actum, ut tota res transferatur: nam, si in parte tantum venditio constaret, cogeretur venditor invitus esse in communione; quod non admittitur, *l. 26. §. si centum 4. D. de condict. indeb.*

Quid, si quis emerit sibi pecunia aliena?

Erit (nisi miles, [a] pupillus, [b] vel similis, [c] cui speciale privilegium est datum, ut res, pecunia ejus empta, sit ejus,) ementis, *l. 1. C. h. l. 6. C. de rei vindic.* atque adeo, qui communi pecunia sibi fundum comparavit, non tenetur eum communicare socio, nisi sit

omnium

omnium bonorum, *l.* 4. *C. comm. utr. judic.* pecuniam restituet, *d. l.* 1. *& d. l.* 4.

[a] V. *l.* 6. *C. de rei vind.* [b] *l.* 2. *C. quando ex fact. tutor.* [c] *l.* 54. *D. de Jur. dot.*

Quid, si Procurator suo nomine emerit, quod Dominus mandaverat sibi emi?

Domino mandanti non dabitur vindicatio, nec actio ad restituendum; sed tantum mandati, quanti sua interfit, *arg. l.* 8. *§.* 6. *& fin. D. mandat.*

De Pactis inter emptorem & venditorem compositis. Tit. 54. Lib. 4. Cod.

Quibus pactis potest fieri venditio?

Omnibus, modo honesta sint. Inter alia vero maxime eminent, de retrovendendo, de addictione in diem, & commissoria.

Quod est pactum de redimendo?

Quo venditor sibi reservat jus eam rem redimendi, vel simpliciter omni tempore, quo voluerit, vel intra certum tempus, *l.* 2. *C. h.*

Daturne & actio hæredibus venditoris, si nihil de iis sit dictum?

Non est dubitandum: quia in contractibus non tantum nobis, sed & hæredibus [a] nostris cavemus, *l.* 13. *C. de cont. & comm. stip. l.* 9. *D. de probat.*

[a] Vide *Zoannett. in l.* 2. *C. h.*

Quid, si unus ex hæredibus, si plures sint, redimere velit?

Non permittendum est ei simpliciter totam [a] redimere, *arg. d. l.* 1. *§.* 1, *ff. si pars hæred.* verum, erit in potestate emptoris, utrum totam an partem hæreditariam velit redimi. Eodem modo, si unus ex venditoribus pluribus redimere velit, ne emptor in litus in communionem incidat, contra *d. l.* 26. *§.* 4. *ff. de condict. indeb.* consequetur vel rem totam, vel partem, prout emptor restituere voluerit, siquidem simul vendiderint; secus, si separatim quisque suam portionem: nam eo casu singuli suas portiones possunt redimere.

[a] Est a. remedium practicum, ut reliqui hæredes ei cedant jus suum, cujus vi videntur & omnes agere, *arg. l.* 1. *D. Quod jussu.*

Potest-

Poteſtne & hoc jus cedi tertio?

Non eſt [a] dubitandum; quia non eſt perſonæ annexum, ſed eſt commodum ex contractu, quod in alios tranſire poteſt.

[a] Vide *Fachin. lib. 2. controverſ. 11. Zoannett. in d. l. 2. n. 7. & ſeqq.*]

Quæ actio dabitur ad redimendum?

Non proprie præſcriptis verbis, ut quidam colligunt ex *l. 2. C. h.* ſed ex [a] vendito, *l. 4 pr. ff de l. commiſſ.* ſi id pactum ſit adjectum in continenti, & tantum ad contractum conſummandum agatur; alias, cum dicit actor ſe dediſſe ea lege, ut oblato pecio ſibi reſtitueretur, poteſt locum habere actio præſcriptis verbis, *d. l. 2.*

[a] Actio ex præſcriptis verbis, vel ex vendito, ſæpius ſolet concurrere, quoties dubitatur qualis actio dari poſſit, ita in caſu *l. 6. ff. de reſc. vend. l. 1. ff. de exerc. act. 2.* Obſervandum, quod diverſa poſſit eſſe forma agendi; nam ſi quis ita agat, *quia vendidi eo pacto ut poſſim redimere*, datur actio ex vendito; quando ita agitur, *reus eſt mihi obligatus ex conventione ut vendat*, non facta prioris venditionis mentione, recte dicitur, quod ſit actio præſcriptis verbis. Hodie a. cum nominum & ſimiles ſolemnitates in agendo ceſſent, *l. 1. 2. C. de form. & impetr. ſub.* & ſufficiat tantum convenienter agi, etiam hæc ſubtilitas eſt ſublata.]

Contra quem datur?

Quia ex contractu eſt, tantum contra emptorem vel ejus hæredem, non contra tertium poſſeſſorem, *arg. §. 1. Inſt. de act. l. ult. §. ult. ff. de contr. empt.* niſi venditor ſibi vel expreſſe, vel tacite reſervaverit dominium.

Quid ergo præſtandum eſt, ſi res ſit alienata?

Id quod intereſt, *l. 1. 12. ff. de act. empt.*

Quid à ſua parte debet venditor, cum redimere vult?

Debet offere precium totum, &, ſi id non recipiat emptor, obſignatum deponere vel conventum, vel, ſi de eo non convenerit, quod juſtum eſt tempore retractus.

ctus. Partis oblatio non sufficit, *arg. l. 13. §. 8. ff. de act. empt.*

Cum pretium oblatum ac depositum est, annon ipso jure redit dominium ad venditorem?

Nequaquam, nisi sibi reservaverit cum venderet: est enim opus nova traditione, quia tantum datur ventori actio personalis, *d. l. 2. C. h.*

Suntne fructus restituendi?

Non, quos ante oblationem & moram emptor percepit; sed quos post, *arg. l. 5. C. de action. empt. junct. d. l. 2. & 5. C. h.*

Quomodo fructus ultimi anni sunt dividendi?

Est æquius, ut pro rata temporis fiat divisio, ne in potestate venditoris sit nimis magno detrimento afficere emptorem. Nec obstat *l. 13. §. 10. ff. de act. empt.* quia ea agit de simplici venditione, non ea, quæ fit ex retractu.

Quid, si nullum tempus sit adjectum?

Præstat tueri, actionem [a] præscribi 30 annis, uti solent omnes personales, *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40.* Non enim retractus absolute in facto est positus, sed ex contractus jure dependet.

[a] Dissentiunt *Zoannett. in d. l. 2. n. 28. & 35. Fachin. lib. 2. controvers. 13. Mynsi. 1. obs. 16. Gail lib. 2. obs. 18.*

Annon præter hunc retractum & aliæ sunt retractus species?

Sunt. Est retractus alius non conventionalis, qui dicitur gentilitius, qui est jure sanguinis.

Quibus consanguineis datur hoc jus?

Propinquioribus, si velint, vel etiam [a] remotioribus, si propinquiores nolint. Iis autem consanguineis, qui non repræsentant vere venditorem. eo modo hæres non potest retrahere, *arg. l. 14. C. de rei vindic.* Cum à matre domum.

[a] *Gail lib. 2. obs. 19. Grot. lib. 3. sect. 16. Reinking sing. tract. de hoc retractu.*]

Ob quas res datur hic retractus?

Ob res immobiles, quibus etiam annumerantur perpetui reditus, & similes.

Quomodo

Quomodo & quamdiu retrahere licet?

Retracturus totum, uti dictum est, offerre debet pretium, quod revera est solutum, &, si dubiter de veritate, potest deferre juramentum. In tempore vero sequi oportet modum in statutis præscriptum.

Suntne aliæ causæ ex quibus datur retractus?

Sunt variæ. 1. Ex jure societatis. 2. Ex jure confinii.

Potestne jus retrahendi ex jure sanguinis, societatis, confinii, vel debiti, tertio cedi?

Nullo modo: quia id omne est inhærens personæ, vel singulari isti rei, à qua transire non potest.

Tit. 2. De in diem addictione.

Quod est pactum addictionis in diem?

Quo agitur, ut constet emptio sub conditione, si melior conditio non offeratur intra certum tempus; vel discedatur ab emptione pura, siquidem quid amplius ab alio offeratur, *l. 1. & 2. D. h.* Ex quo intelligere est, quod per hoc pactum vel conditionaliter emptio ineatur, vel, ab emptione pura sub conditione recedatur, *Dd. Ll.*

Quæ est differentia, utrum pure, an conditionaliter sit hoc pacto facta venditio?

Si pure, transit interim absolute dominium una cum fructibus, quandiu nullus meliorem conditionem offert, vel, si falsus existit, qui offert, *l. 2. §. 1. l. 4. §. 4. l. 6. pr.* adeo ut & omne periculum emptor præster, *d. l. 2. §. 1.* Si conditionaliter, nec dominium, nec facultas usucapiendi, nec fructus transeunt, *l. 4. pr. ff h.*

Debetne ergo hic emptor interim lucrari fructus allata meliori conditione?

Nullo modo; sed eos restituet venditori, qui rursus refundet quod ei abest. *l. 16. d. l. 6. ff. h. junct. l. 23. 22. §. 1. & 8. ff. de ædil. edict.*

[a] Obiter hic notandum, quod in licitatione seu auctione publica ex eo quod secundus quid amplius offerat, primus non liberetur, *Grot. lib. 3. p. 17. Christin. ad ll. Mechlin. tit. 3. art. 13. Costal. ad l. 9. ff. h.* nisi cum secundo res est addicta, arg. *l. 4. §. 2. ff. de L. commiss.*]

Quan-

Quando melior conditio offertur?

Si pretio sit quid additum, vel id magis idoneo loco aut priori tempore promissum, vel aliud præstandum est, quod ad utilitatem venditoris pertinet, *d. l. 4. §. fin. l. 5. ff. h.*

Debetne venditor emptori denunciare conditionem meliorem sibi oblatam?

Debet, nisi aliter convenerit: & poterit emptor denuo addere, ut vel licitatione superet, vel superetur, *d. l. 6. §. 1. l. 7. l. 8. ff. h.*

Quid, si venditor noluerit meliorem conditionem admittere?

Potest id facere suo jure, nisi aliud actum, *l. 9. ff. h.*

Quid, si venditor simulaverit meliorem allatam conditionem, cum alii vel minori, vel precio eodem venderet?

Est utrique emptori fraudis non conscio in solidum obligatus, *l. 14. ff. h.*

Quid, si emptor, antequam conditio melior offeratur, pignori rem dederit?

Desinit [a] res esse pignori, ubi melior conditio sit oblata, *l. 4. §. 3. ff. h. l. 31. ff. de pign. l. 3. ff. quib. mod. pig. sol.* resoluto enim jure dantis, resolvitur & jus accipientis, *d. l. 31.*

[a] An idem in pacto de redimendo? Affirmat *Bussius in l. 4. §. 3. ff. h.* Sed hoc admitti non potest, cum jus creditoris, cui res oppignorata est à vero domino, ita solvi non potest; verum emptor à quo redimitur, compelli potest ut rem à pignore liberet.]

Tit. 3. De Lege commissoria.

Quid est lex commissoria?

Est pactum, quo convenit, ut, si ad certum diem non solvatur pretium, res sit inempta, *l. 2. ff. h.*

Habetne venditor electionem, utrum pretium petere an exercere commissoriam legem velit?

Habet, *l. 3 ff. h.* si autem semel elegerit, postea variare non potest, *l. 4. §. 2. ff. h.* & si pretium vel usuras petat, legi commissoriæ renunciasse videtur, *d. 6. in fin. l. 7. ff. h.*

Debetne emptor prius interpellari?

Non est necesse; debet enim offerre, modo sit cui possit offerre, *d. l. 4. §. fin. ff. h.*

Quid Iuris in fructibus?

Eos interim emptor sibi suo jure percipiet: lege vero commissa restituendi sunt venditori, qua nihil penes eum residere oportet, *l. 5. ff. h.* Quod verum est, si hoc actum sit, ut pretium solutum non amittat: siquidem enim perdat pretium, emptor lucrabitur fructus, *l. 4. §. 1. ff. h.*

Habetne hæc lex in omnibus contractibus locum?

Valet quidem in emptione, sed non in pignoribus, *l. fin C de pact. pign.*

De Monopoliis, & Conventu negotiatorum illicito, vel artificio ergo laborum, nec non Balneatorum prohibitis, & pactionibus illicitis. Tit. 59. Lib. 4. Cod.

Suntne nonnulla pacta in emptionibus plane prohibita?

Sunt plurima, quorum nonnulla hoc titulo recensentur. Primum est, quo pauci conspirant, ut soli omnia coëmant, aliosque in suis commerciis impediant, & non, nisi certo eoque magno pretio, inter certum tempus vendant. Hi rei sunt monopolii, & graviter puniuntur, *l. unic C. h.* Secundum est, quo architecti & operum redemptores paciscuntur, ne opus, ab alio inchoatum, alter absolvat, *d. l. unic. h.* Ad hæc accedit pactum, ex *Nov.* 122. *c.* 1. illicitum, quo mercatores & artifices inter sese agunt, ut plus nomine pretii vel mercedis exigant, quam consuetudo vel mos permittit.

Quæ res venire non possunt, & qui vendere vel emere vetantur. Tit. 40. Lib. 4. Cod.

Possuntne omnes res emi, vendi?

Aliquæ nullo modo possunt, uti sunt sacræ, religiosæ, sanctæ; quia non sunt in commercio, *l. 83. §. 5. D.*

de

de V. O. litigiosæ, *l.* 1. *§.* 1. *D. de litigios.* aliquæ non nisi cum certo modo, sic frumenta tantum loco ordinario, *l.* 3. *C. h.* feudum sine consensu Domini, *cap. unic. de prohib. feud. alien. per Freder.* jus emphyteuticum inscio Domino, *l.* 3. *C. de jur. Emphyt.* res pupillorum, minorum, & aliorum, qui sub curatoribus sunt, sine decreto judicis *l.* 22. *C. de administr. tutor. l.* 11. *D. de reb. eor.* vendi nequeunt.

Tit. 4. De Hæreditate vel actione vendita. Tit. 39. Lib. 4. Cod.

Possuntne res incorporales vendi?

Possunt, sive sint hæreditates, sive servitutes, sive actiones.

Quid desideratur, ut hæreditas recte sit vendita?

Desideratur, ut hæreditas [a] sit, *l.* 7. *D. h.* hoc est, defunctus sit is, de cujus hæreditate agitur *l.* 1. *D. h.* [a] Quinimo si quis cognatus vendiderit, vel donaverit rem sui cognati, qui adhuc in vivis est, se indignum reddit, ita ut fisco ea res cedat, *l.* 2. *§.* 3. *D. his q. ut indign. l.* 29, 30. *ff. de donat.*

Quæ transeunt in emptorem?

Omne jus, quod in bona defuncti venditor habuit, nihil amplius, nihil minus, *l.* 2. *§.* 18. *D. h.* adeoque transeunt actiones hæreditariæ adversus debitores *l.* 5. *C. h* & tenetur venditor, nisi dolosa persuasione inductus ad vendendum viliori vendiderit, *l.* 4. *C. h. l.* 9. *D. de dol.* non tantum corpora hæreditaria tradere, sed & actiones omnes cedere *d. l.* 2. *§.* 8. Etiam, si venditor fidejussorem ab hæreditario debitore acceperit, vel novationem instituerit, hæc jura cedere compellendus est, *d. l.* 2. *§.* 8.

Potestne & emptor suo nomine sine cessione movere actiones contra debitores defuncti?

Potest, non quidem directas, sed utiles, *l.* 5. *C. h.*

Debetne necessario à creditoribus hæreditariis conveniri?

Nullo modo, licet convenerit [a] inter venditorem & emptorem, ut emptor solveret, *l.* 2. *C. h.* nisi fiscus sit venditor, *l.* 1. *C. h.* Recipere autem potest, si ve-

lit actiones emptor, &, si susceperit, non possunt creditores denuo venditorem convenire, *l.* 2. *C. de pact.* quia videtur tacitum pactum intervenisse de venditore non conveniendo, *d. l.* 2.

[*a*] Ratio est, quia pacta non excedunt personas contrahentium, nec lædunt alios, nec iis prosunt, *l.* 27. 4. *in f. D. de pact. tot. tit. C. res inter alios act.*]

Transitne in emptorem hæreditatis jus accrescendi?

Nequaquam: quia id jus non simpliciter competit portioni, sed personæ, quæ, & quia adiit, *l.* 33. *in fin. ff. de. usufr.* nisi actum fuerit de omni, quod pervenit & perventurum est, *l.* 19. *ff. de. inof. test.* Non obstat, quod aliquando ei, qui rem non habet, dicatur non esse jus accrescendi, *l.* 83. *ff. de acq. hær.* quia aliud est restituere hæreditatem ex voluntate testatoris, uti in *d. l.* 83. aliud vero vendere, & ex venditione eandem tradere.

Teneturne venditor de Evictione?

Siquidem res aliquæ singulares sint evictæ, non tenetur, *l.* 1. *C. de evict. l.* 2 *D. h.* secus si de tota hæreditate evicta agatur.

Quæ actiones possunt vendi?

Et reales & personales, modo res non sint factæ litigiosæ, *l.* 2. *C. de litigios.*

Tantumne volente debitore nomen potest vendi?

Et volente & ignorante & invito debitore, *l.* 3. *C. h. l.* 1. *C. novat.*

Quid debet præstare venditor nominis?

Præstare debet, eum, contra quem cedit actionem, esse debitorem, licet non sit solvendo, *l.* 4. *D. h.*

Quid, si quis ignoraverit debitorem non esse satis locupletem?

Non facile succurretur, nisi justissimam [*a*] causam error habeat, *l.* 8. *l.* 9. *ff. de jur. & fact. ignorant, l.* 22. *s.* 2. *D. solut. matrim.*

[*a*] Idem confirmat *Bussus per l.* 19. *D. de reg. Jur.* & addit, quod dolus venditoris sive cedentis non debeat nocere cessionario, *l.* 74. *s. ult. D. de evict.* quod & cessionarius justa facti ignorantia deceptus, sit adjuvandus, quo pertinet, *l.* 22. *s.* 2. *D. solut. matrim.* ita *Costal. in l.* 4. *D. h.*]

De

De communium rerum alienatione. Tit. 52. Lib. 4. Cod

Potestne & res communis vendi?

Potest, pro parte, quæ venditori competit, licet res sit indivisa, & socius sit miles, *l.* 3. 4. *C. h.* Et si tota res sit vendita, socio non præjudicatur, quo minus portionem suam non ab emptore usucaptam vendicare possit, *l.* 1. *C. h.* Cum veto emptor, è quo evincitur, ignoravit, datur ei evictionis nomine actio in id quod interest, licet nihil de evictione sit dictum, & instrumentum nullum intercesserit.

Quid, si unus ex sociis rem, quam nondum in societatem intulit, totam vendiderit?

Acquiretur emptori, *arg. l.* 16. *D. de reb. cred.* verum alteri socio actione pro socio, nomine ejus quod interest, consuletur,

Licetne aliquibus casibus res communes in totum vendere?

Datum hoc est fisco, ita ut socii cogantur agere ad pretium, *l.* 2. *C. h. l. unic. C. de vend. rer. fiscal.* Etiam res venales, vel cum necessitas aut utilitas exigit, res alias potest unus vendere, *arg. l.* 25. *s.* 15. *fam. Erciscund.*

De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione vel hypotheca. Tit. 15. Lib. 4. Cod.

Potestne & res aliena vendi?

Non in præjudicium domini: sive sit maritus, *l.* 22. *C. h.* sive mater, sive pater, *l.* 4. *5. C. h.* Semper enim Dominus vendicare res suas potest, *l.* 6. *C. h.* nisi bona fide possessor eas usuceperit, *l.* 2. *5. C. h.* Cum sunt usucaptæ, datur domino actio ad pretium, *l.* 1. *C. h.*

Quomodo ergo dicitur l. 28. *D. de contrah. empt. quod res aliena possit vendi?*

Id accipiendum est, qua venditor obligatus est ad vendendum, & emptor usucapere possit, si res non sit facta furtiva, *s. furt. Inst. de usucap.*

Quid, si quis sciens alienam rem emerit & ab ipso evincatur?

Siquidem de ea re, ut aliena, fit actum, emptor nullam habet actionem ad id quod interest vel ad pretium, *l.* 27. *C. de evict. l. fin. C. de comm. rer. alienat.* Verum æquitas ex *l.* 14. 33. *D. de condict. indeb.* admittit repetitionem pretii, cum de re illa, ceu aliena non actum, licet emptor sciverit vendentem non esse Dominum.

Quid comprehenditur prohibitione alienationis?

Non solum Dominii alienatio sed & ususfructus datio, nexus pignoris, constitutio servitutis, vel Emphyteuseos, *l. fin. C. h.*

Qui possunt prohibere?

Fit prohibitio: 1. Per legem: uti in fundo dotali inæstimato; in rebus, quæ servando servari possunt; eorum, qui sub curatoribus sunt; in donatione inter virum & uxorem. 2. Per judicem sive magistratum, ut si prodigo interdicatur bonis. 3. Per ultimam voluntatem, uti in fideicommissis. 4. Per conventionem, ut cum convenit, ne res alienetur, *l. fin. C. de pact. int. emt. & vend. comp.*

Quis est effectus prohibitionis?

Si per legem, judicem, aut testatorem sit facta, dominii translatio in totum impeditur: si per pactum, non quidem impeditur translatio dominii, sed datur (nisi jus dominii paciscens expresse vel tacite sibi in eum casum reservaverit) persecutio ejus, quod interest, *l.* 26. *ff. de contrah. empt. l.* 114. *§.* 14. *ff. de legat.* 1. *l.* 20. 21, 24. *§.* 21. *ff. de fideicomm. libertat.* quia pactum non ita immediate rem afficit, *arg. l.* 3. *ff. de Act. & Obl.* ut mandatum judicis, testatoris, vel præceptum legis.

Quid, si pactum intervenerit inter emptorem & venditorem, ut alienatio ipso jure sit irrita, & dominium redeat ad autorem, facta alienatione?

Valebit pactum, *arg. l. fin. C. de pact. junct. l.* 48. *ff. eod.* & per alienationem dominium non transferetur.

De

De Eunuchis. Tit. 42. L. b. 4. Cod.

Quid juris in Eunuchis vendendis?

Etsi prohibitum, ne Eunuchi fiant, *l. 4. §. 2. ff. ad L. Corn. de sicar.* tamen permissum fuit barbarae gentis Eunuchos extra loca imperio subdita exsectos ubique distrahi; *l. 2. C. h.*

De patribus, qui filios [a] suos distraxerunt. Tit. 43. Lib. 4. Cod.

Licetne parentibus vendere suos filios?

Ne quidem jure civili patribus, licet filios habeant in potestate, nisi filii recens nati ob extremam egestatem vendantur. Et venditio hunc habet effectum, ut, si pater, filii ipsi aut alii extranei offerant pecuniam vel aliud mancipium, filii venditi restituantur ingenuitati, *l. 2. C. h.*

[a] Hic titulus hodie exolevit cum jure servorum, ut notat *Perez. Autumn. h.* verum id & hodie admitti potest, ut filiusfamilias tradatur alicui domino ad ei inserviendum certâ mercede, ex qua pater vivere possit, *Christin. vol. 3. dec. 65.*]

Quando liceat ab emptione recedere. Tit. 45. Lib. 4. Cod.

Licetne ab emptione recedere?

Licet utriusque contrahentium voluntate: modo res sit integra: quamvis fidejussor intervenerit, *l. 3. ff. h.* vel arrha, *l. 3. C. h.* non autem post traditionem; non post numerationem precii, nisi fiat redhibitio omnium, *l. 1. C. h.*

De rescindenda venditione: & quando licet ab emptione discedere. Tit. 44. Lib. 4. Cod.

Potestne quis ex contrahentibus, ex pœnitentia ad rescissionem agere altero invito

Non, *l. 80. ff. solut.* ne quidem fiscus, *l. 3. C. h.* vel miles, *l. 7. C. h.* licet denunciaverit emptori, ne emeret, *l. 13. C. h.* licet duplum pretii offerat, *l. 6. C. h.* li-

cet ab una parte non impleatur contractus, vel observetur conditio, *l.* 14. *C. h.* licet & pretium sit iæquale, *l.* 4. *C. h.*

An ergo nullus est casus quo fit rescissio?

Datur ex variis causis. 1. Ob dolum qui in contractum incidit, *l.* 5, 10 *C. h.* 2. Ob metum justum, *l.* 1. 8. *C. h.* 3. Ob deceptionem [a] ultra dimidium, sive emptor, sive venditor deceptus fuerit, *l.* 2. *C. h. cap.* 6. *extr. de empt.* cujus ratio est in humanitate: quia æquum est, ne quis locupletetur cum alterius jactura, & in tam enormi læsione circa pretium videtur committi re ipsa dolus, *l.* 36. *ff. de verb. oblig.*

[a] Idem etiam comprobant *Mornac. in l.* 2. *C. h. Grot. lib.* 3. *sect. ult. Sande lib.* 3. *tit.* 4. *def.* 11. Id a. in specie notandum quod in Hollandia ex hac *l.* 2. procedatur per modum restitutionis in integrum.]

Quid, si venditor sciverit pretium?

Non subvenietur ei: quia scienti non fit injuria, *l.* 145. *ff. de reg. jur. cap. Scienti de reg. jur. in* 6. Eum vero qui res suas diligenter curare solet, pro sciente non habebimus, *arg. l.* 1. *C. qui & adversf. quos restit: junct. l.* 2. *ff. de jur. & fact. ignor.*

Habetne etiam in aliis contractibus hæc res locum?

Utique, sive sit bonæ fidei sive stricti juris; sive sit nominatus, sive innominatus: etiam in transactione, in divisione, in venditione ex judicis decreto, & in [a] subhastatione, quia in omnibus bona fides servanda est, *l.* 8. *C. de judic.*

[a] In Hollandia *d. l.* 2. in subhastatione locum non habet, *Grot. lib.* 3. *sect. ult. Neostad. dec.* 75. nec etiam in Galliis, ut notant *Mornac.* & *Autumn. h.* sed aliis locis id non obtinet; Vide *Christin. vol.* 3. *dec.* 67. *in f. Sande lib.* 3. *tit.* 4. *def.* 12.]

Quæ actio competit?

Etsi defendi possit actionem ex contractu dari, tamen præstat statuere, locum esse condictioni ex lege, *l. unic. ff. de condict. ex lege. junct. l.* 2. *h.*

Ad quid agitur?

Ut, qui convenitur, eligat, utrum ad æqualitatem pretium

pretium reduci, an rem velit restituere aut recipere, *d. l. 2. C. h.*

Si res sit restituenda, annon ante impensæ sunt refundendæ?

Non est dubium, *arg. l. 5. §. si dos. ff. de impens. l. 40. §. si pars. ff. de condict. indeb. l. 5. C. de rei vindic.* quatenus cumfructibus non sunt compensatæ, *arg. l. 48. ff. de rei vind.*

An & fructus sunt restituendi?

Non; quia interim bona fide res possessa fuit, *l. 109. D. de V. S. junct. l. 25. §. 1. ff. de usur.*

Quamdiu durat hæc actio?

Ad triginta annos, uti solent omnes personales actiones, *l. 3. C. de præscript. 30 aut 40 annor.*

Si propter publicas pensitationes venditio fuerit celebrata. Tit. 46. Lib. 4. Cod.

Quid, si propter tributa publica, vel vectigalia, sit res vendita?

Non potest venditio retractari, etiamsi prior dominus pretium offerat, vel creditor jus pignoris prætendat; publica enim tributorum causa est prior, *l. 1. C. h.* modo celebrata sit venditio ex Judicis autoritate, bona fide, *l. 2. C. h* & auctione publica, omnibus ad licitationem admissis, *l. 3. C. h.*

Sine censu & reliquis fundum comparari non posse. Tit. 47. Lib. 4. Cod.

Quid, si fundus sit venditus, non facta mentione census & reliquorum; a quo solventur?

Ab emptore; non tantum census, qui apud ipsum, sed & qui apud venditorem cesserat, etiamsi converit, ut venditor solvat, *l. 2. 3. C. h.*

Tit. 6. De periculo & commodo rei venditæ. Tit. 48. Lib. 4. Cod.

Ad quem pertinet periculum rei venditæ?

Etsi ante traditionem venditor dominus maneat, *§. 3. Inst. de empt. & vend.* tamen ad emptorem omne periculum referendum est, *d. §. 3. 1.* Nisi venditor vendiderit materiam, *l. 14. §. 1. D. h.* vel quid sub

conditione, *l. 5. C. h.* vel alternative (quo casu si utraque res perierit, emptoris; si una tantum, venditoris damno cedet, *l. 34. §. 6. ff. de contrah. empt.*) vel ad mensuram, sive numerum, aut pondus, *l. 35. §. 5. eod.* 2. Nisi venditor precium acceperit pro re publicata, *l. 33. ff. locat.* 3. Nisi res ante venditionem fuerit vitiosa, *l. ult. C. h. l. 44. ff. de contrah. empt.*

Quæ res exportari non debeant. Tit. 41. Lib. 4. Cod.

Quæ res sunt prohibitæ exportari?

Vinum [a], oleum, aliudve liquamen extra fines imperii, *l. 1. C. h.* Prohibitum quoque est arma vel ferrum ad hostes transferre, sub pœna criminis læsæ majestatis, *l. 2. C. h. junct. l. 2. ff. ad L. Iul. Majest.*

[a] Hodie, si non sit prohibitio in contrarium, persoluto vectigali seu tollonio, vinum & similia exportare licet extra fines Imperii, quin & arma ad confœderatos, *Zypæus h. Christin. vol. 3. dec. 64. n. 6, 7.*]

Tit. 7. De servis exportandis, vel, si ita mancipium venierit ut manumittatur, vel contra. Tit. 55. Lib. 4. Cod.

Si mancipium ita venierit, ne prostituatur. Tit. 56. Lib. 4. Cod.

Si mancipium ita fuerit alienatum, ut manumittatur, vel contra. Tit. 57. Lib. 4. Cod.

Sunne & specialia pacta in servis?

Sunt varia: uti, de iis exportandis, vel ut manumittantur aut non, vel ne prostituantur, & similia.

PAN-

PANDECTARUM

LIBER XIX.

Tit. 1. De actionibus empti & venditi. Tit. 49. Lib. 4. Cod.

Quæ actiones sunt ex emptione & venditione?

SUnt empti & venditi. Actio ex empto datur emptori adversus venditorem, ut res vendita tradatur cum omni sua causa.

Quando ex empto agitur?

Cum emptor pretium quod debet, totum solvit, aut obtulit; non cum [a] partem, *l.* 13. *§.* 8. *ff. h.*

[a] Cum dicitur de parte non solvenda vel offerenda, id intelligendum est verum esse, nisi convenerit ut certis pensionibus persolvatur pretium; itaque in praxi hoc obtinet, ut si quis emerit fundum vel domum annua bima trima die, h. e. pensionibus annuis tribus, emptor agere potest ad tradendum si primam pensionem offerat, quia tunc offert totum, quod die traditionis faciendæ debebat.]

Estne necesse, ut res præcise tradatur?

Omnino id fieri oportet, *l.* 11. *§.* 2. *h.* modo venditor tradere possit, & emptor non velit agere in id, quod interest.

Quid, si venditor offerat id, quod interest?

Per hoc solum liberari non potest. Nec patrocinantur emptori textus in *l.* 4. *l.* 10. *l.* 12. *C. h. l.* 1. *l.* 12. *ff. h.* quia sunt accipiendi de casu, quo emptor voluntario agit ad id quod interest, loco rei, vel ad rem, & præterea in id quod interest, quod res suo tempore non sit præstita.

An & rerum emolumenta & fructus præstari debent?

Omnes fructus, qui post contractam venditionem percepti sunt, licet tempore contractus essent maturi, *l.* 13. *C. l.* 13. *§.* 10. *l.* 21. *§.* 3. *ff. h.*

Quæ est actio ex vendito?

Quæ datur venditori ad pretium, aut residuum ejus, si parsit soluta, *l.* 2. *C. h.* cum usuris post moram, *l.* 13. *in fin. C. h.* licet etiam nulla interpellatio intercesserit, sc. si emptor interim fructus ex re perceperit vel percipere potuerit, *l.* 13. *§.* 20. *D. l.* 5. *C. h.*

Tit. 2. Locati & conducti. Tit. 65. Lib. 4. Cod.

Quid est locatio, conductio?

Contractus consensu initus, quo usus aut fructus rei, vel opera personæ transfertur, constituta certa mercede.

Quæ sunt ejus substantialia?

Rei usus vel fructus sive opera personæ, merces & consensus.

Qua in re consistit merces?

Proprie in pecunia numerata: ast usu & per constitutiones receptum est, ut etiam in certis quantitatibus annuis constituatur, *l.* 8. *§.* 21. *C. h.*

In quo distinguitur præcipue ab emptione?

In emptione agitur, ut dominium transferatur: secus in hoc contractu, *l.* 80. *§. fin. D. de contrah. empt. junct. l.* 39. *D. h.*

Licetne omnibus locare?

Non est dubitandum; modo rei sint domini, & res suas administrare possint.

Possuntne omnes conducere?

Possunt qui non prohibentur. Prohibentur in specie milites procurandi animo alienas domos aut possessiones conducere, sub pœna, [a] *l. ult. C. h. junct. Nov.* 116.

[a] Hæc pœna hodie exolevit, nec prohibentur hodie milites in talibus negotiis aliena etiam curare, modo non per ea abstrahantur ab opera quam Reipubl. debent.]

Quæ res possunt locari?

Quælibet, mobiles sive immobiles; propriæ sive alienæ; corporales sive incorporales, nisi sit servitus prædialis, *l.* 44. *D. h.* vel usus, *in fin. princip. Inst. de us. &*

usf. & habitat. Ususfructus vero, *l.* 12. *s.* 2. habitatio *l.* 13. *C. de usufr.* recte locantur.

Potestne qui rem conduxit, alii eam locare?

Non est (*a*) prohibitum, nisi aliud convenerit, *l.* 6. *D. h.* modo bono viro locet.

(*a*) Aliter receptum esse docet *Grot. lib.* 3. *p.* 19. *een huerder.* In Frisia a. sequimur Jus Civile.]

Potestne res propria conduci?

Nequaquam, *l.* 20. *C. h.* imo & locatio dissolvitur, si res locata aliquo ex titulo cœpit esse conductoris; quo casu ad mercedem præteriti temporis tantum tenetur, *l.* 9. *s. fin. D. h.*

Quid, si convenerit in venditione, ut donec pecunia persolvatur, certa mercede emptor rem conductam habeat?

Valet conventio, verum non amplius præstabitur venditori, quam pro portione ejus temporis, quo pecunia non fuit numerata, *l.* 21. *D. h.*

Possuntne res communes locari?

Non recte ab uno ex sociis, sed ab omnibus, *l.* 1. *C. si res comm pig. l.* 11. *D. de serv. præd. rust.*

Possuntne & operæ locari?

Non est dubium, modo sint honestæ. In hac re est singulare, quod qui operas suas locavit, si per eum non stet quo minus præstentur, totius temporis merces sit præstanda, *l.* 38. *pr. D. h.* Unde advocati, si per eos non stet quo minus causam agant, honoraria accepta reddere non debent, *d. l.* 38. *s.* 1.

Quid, si famulus, qui ad certum tempus operas suas locavit, fugiat?

Siquidem sine justa causa, non tantum mercede carere, sed & damnum ex fuga datum resarcire tenetur, *arg. l.* 1. *C. de serv. fugit.*

Potestne quis operas præstare per substitutum?

Fieri id poterit, nisi electa (*a*) sit certæ personæ industria, *arg. l.* 31. *D. de solut.*

(*a*) Vel sit negotium tale, in quo vel artificium versatur, vel in quo una persona præ alia plus potest laboris & utilitatis præstare conductori operæ.

Quid

Quid si, qui ad tempus locaverat operas, per valetudinem eas præstare non possit?

Humanius est ut & in ejus commodum computentur hi dies, quibus operam non præstitit, modo morbus non sit diuturnus, *arg. l. 4. §. 5. ff. de statu liber.*

Quomodo sit locatio?

Solo consensu, licet nullum intervenerit instrumentum, vel stipulatio, *l. 24. C. h.* & consensus hic non tantum est expressus, sed & tacitus, recipitque diem vel conditionem, *l 20. ff. h.*

Quando tacitus intervenit?

Si locator patiatur conductorem, aut inquilinum, in prædio ultra tempus conventum manere, *l. 13. in fin. l. 14. ff. l. 17. C. h.*

Estne ulla differentia inter prædia rustica & urbana?

Est; nam in rusticis conductio renovata videtur ad annum, quia singulis annis fructus colliguntur: in urbanis prout quisque [*a*] habitavit, *d. l. 13. in fin. ff h.* [*a*] Adeoque in urbanis fieri semper potest interdictio, quod ita temperandum est, nisi secundum morem regionis fieri soleat emigratio & interdictio, prout fere nunc ubique receptum est.]

Annon in hac re distinguendum, utrum scriptura intervenerit vel non?

Distinguendum est, *d. l. 13. in fin.* ut, si non convenerit expresse de scriptura adhibenda in principio, licet probationis causa contractus sit scriptus, per solam taciturnitatem reconductio facta videatur: quia cum scriptura non pertineat ad essentiam, sed ad probationem, naturam actus non immutat, secus, si actum sit initio ut scriptura contractus iniretur.

Si reconductio tacita sit facta, an & pignora & fidejussores manent?

Manent pignora, *d. l. 13. §. fin. l. 16. C. h.* cum eorum obligatio dependet tantum ex persona conductoris: non vero fidejussores, nec pignora ab alio pro conductore obligata, *d. l. 13. l. 7. C. h.*

Possuntne

Possuntne etiam hæredes ex locatione vel conductione conveniri ?

Non ambigimus : modo tempus, quo locatio est facta, non sit finitum, *§. fin. Inst. h.* Post tempus impletum inviti non possunt retineri : uti nec ipsi conductores, nisi sint conductores vectigalium : hi enim, si maximos fructus sint consecuti,& postea tanto precio locari non possint vectigalia, compelluntur ea prioribus pensionibus suscipere, *l.* 11. *§. fin. ff. de publican.* Cum quo non pugnat *l.* 3. *§.* 6. *ff. de jur. fisc.* quia non eo loco agitur de iis, qui maximos fructus nacti erant.

Possuntne & locatores compelli, ut patiantur conductores manere in conductione ?

Nullo modo, nisi sint [a] fundi publici, & conductores augmenta eadem velint præstare, quæ offeruntur à novis conductoribus, *l.* 5. *in fin. C. de loc. prad. civil.*

[a] Solet itaque in praxi, cum conductori fundi publici facta est denuntiatio de decedendo ex fundo, eoque non utendo diutius, ut conductor respondeat se paratum esse manere in fundo,& præstare augmenta mercedis, quæ alius obtulerit ; hoc facto proponitur publice locatio, & antequam ulli addicatur usus fundi,denunciatur veteri conductori, ut aut solvat augmentum, quod alius obtulit,aut patiatur alteri, qui plus obtulit, addici ; hoc facto respondere debet conconductor, &, si noluerit præstare augmentum oblatum, tenetur fundum deserere.]

Potestne in perpetuum fieri locatio ?

Potest, *l.* 10. *C. h.* Nec per hoc [a] fit emphyteusis, quia quæque res, ut gesta est, effectum sortiri debet, & ex initio æstimanda est.

[a] Ita definiverunt *Donell. lib. 9. comment.* 13. *Tiraquell. de retract. gentilit. §.* 1. *gloss.* 13. *n.* 79. *& seqq.* contraria a. sententia est communior, *Heigius in §.* 3. *de locat. cond. n.* 4, 5. sed fundamentum stabile non habet.]

Potestne ex certis causis ante tempus conductor expelli ?

Dantur certæ causæ, ex quibus id permissum est. Prima

nia est, si merces non solvatur intra biennium, *l. 56. ff. h.* Secunda est, si dominus probaverit rem necessariam esse propriis usibus, *l. 3. C. h.* Tertia, si domus sit corrigenda, *d. l. 3.* sc. necessario *l. 35. D. h.* Quarta, si conductor re locata male utatur, *d. l. 3. C. h.*

Quæ actiones oriuntur ex hoc contractu?

Datur locatori actio locati adversus conductorem, ut conductor mercedem ejusque usuras post moram, &, quicquid damni illatum est ex dolo, lata culpa, vel levi præstet, *l. 58. D. l. 13. 17. C. h.* & rem restituat, finito usu, *l. 48. §. fin. D. l. 25. C. h.* si autem non reddat, vel corruptam reddiderit, præstat quanti locatoris interfit, *arg. l. 8. 57. D. h.* aut, si usque ad sententiam neget restitutionem, condemnatur in [a] æstimationem rei, *l. 34. C. h.*

[a] Id quidem verum est J. Civili, sed in praxi vix obtinet; nam hujuscemodi pœnaria privata hodie videntur cessare.]

Quando est merces præstanda?

Videndum, quid actum, & si de eo non appareat, morem regionis sequi oportet. si & de more non constet, in fine anni debet solvi, *arg. l. 34. D. de R. I.*

Quæ actio datur conductori?

Ex conducto adversus locatorem, ut liceat conductor re conducta uti, aut solvatur à locatore interesse, *l. 7. 8. 9. D. h.* ut reficiat [a] locator rem locatam, aut mercedem pro rata remittat, *l. 15. pr. l. 27. D. h.* & omne damnum ob vitium rei præstet conductori, *l. 19. §. 1. D. l. 21. C. h.*

[a] In praxi illud frequenter fit, ut cum locator recusat refectionem, conductor tanquam locatoris negotium gerens, reficiat, & sumptus illos cum mercede compenset; sumptus enim necessarii sunt possessori malæ fidei solvendi, *l. 5. C. de R. Vind.*]

Potestne agi, ut aliquando remittatur merces ob sterilitatem.

Potest, modo aliter expresse non convenerit, vel culpa coloni non præcesserit, vel non sit pensata sterilitas annorum ubertate, *l. 15. §. 2. & 3. l. 25. §. 6. D. l. 6. C. h. cap. propter sterilitatem extr. h.* similiter, nisi

nisi alius casus fortuitus intervenerit, *Dd. Ll. & l. 78. §. ult. D. de contr. empt.*

Quid, si domus spectris infestetur, vel periculum aliquod sit imminens?

Potest conductor emigrare non soluta mercede, *arg. l. 19. §. 1. l. 27. §. 1. D. h.*

Quid, si locator rem locatam vendiderit ante tempus conductionis?

Conductor ex conducto agit in id quod interest; verum, emptor locationi stare non tenetur, *l. 9. [a] C. h.* nisi fundum ea conditione emerit, vel conductor jus in rem sibi acquisiverit.

(*a*) Hæc lex in Hollandia & nonnullis aliis locis est abrogata, secundum *Neostad. decis. 30. Grot. lib. 1. sect. 19. in fin. Gudelin. lib. 3. c. 7.* In Frisia a. iisque locis, in quibus Jus Civile viget, etiam viget *l. 9. C. h.* Ita tamen ut emptor non statim cum emit expellat conductorem, sed ordinario tempore, *Sande lib. tit. 6. def. 1.* adde ad explicationem hujus *l. def. 7. ibid.*]

Teneturne maritus vel uxor, locationi factæ ab uxore ante dotis constituti nem, vel à marito, dum indotem datus esset, stare?

Nequàquam, quia singulares sunt successores: interim humanius est, si tempus sit modicum, etiam locationem factam agnoscere, *arg. l. 25. fin. D. solut. matr. junct. l. 25. D. de Ll.*

De jure Emphyteutico. Tit. 66. Lib. 3. 4. Cod.

Quod est jus Emphyteuticum?

Est jus constitutum alteri, ut re immobili uti frui possit, sub lege melioralionis, & præstatione canonis annui.

Quæ sunt ejus substantialia?

Res, consensus, melioratio, ac annuus canon.

Quomodo distinguitur Emphyteusis,

Est vel civilis, quæ est in fundo civili; vel Ecclesiastica, quæ est in Ecclesiastico fundo.

Quibus modis acquiritur Emphyteusis?

1. Contractu. qui & dicitur Emphyteusis, per quam domi-

dominnus fundi sterilis usum & fructum omnem, & quasi dominium alteri concedit ea lege, ut eum meliorem faciat, & canonem annuum solvat, *l.* 1. *C. h.* 2. Testamento, cum testator alteri hoc jus offert, ut dicta lege rei usum recipiat. 3. Præscriptione, sc. triginta vel quadraginta annorum, si ad hoc tempus quis tanquam emphyteuta possederit & canonem solverit: si enim conduxerit simpliciter initio, & de eo constare possit, non erit Emphyteusis, licet continuo eandem quantitatem præstiterit. Initium enim spectandum est, & nemo suæ possessionis causam mutare potest, 4. Successione.

An ad contractum scriptura requiritur?

Eam requiri docet, *l.* 1. *C. h.* verum id ita accipiendum, ut, si aliter exacte de omnibus constare possit, etiam sine ea contractus valeat. Indubium est, quod licet instrumentum sit amissum, contractus æque subsistat, *l.* 1. *l.* 7. *l.* 8. *l.* 9. *C. de fid. Instrum.*

Quid juris in successione Emphyteuseos?

Ut civilis transeat ad quosvis hæredes, Ecclesiastica tantum ad descendentes, nisi sit in majori Ecclesia. *C. T. Nov.* 7. *c.* 4. *Nov.* 55. *c.* 2. *Nov.* 120. *c.* 6. *§.* 1.

Potestne filius, repudiata hæreditate paterna, jus hoc retinere?

Nullo modo, *c. unic. cum agn. vel. fil. defunct.* est enim hoc jus pars hæreditatis: partem autem ejus solam nemo potest agnoscere, *l.* 1. 2. *ff. de acq. hæred.*

In quibus rebus constituitur hoc jus?

Proprie quidem in fundis: sed usus causa quoque in ædibus, maxime si in fundo sint, *l.* 25. *§.* 26. *ff. de damn. infect. auth. si quas C. de SS. Eccles.*

Quamdiu constituitur?

Vel ad certum tempus, vel in perpetuum admittitur, *l.* 1. *l.* 3. *ff. si. ag. vectig. d. Nov,* 120. *c.* 6.

Quæ sunt proprietates [a] *in hoc jure?*

Præter illas, de quibus ante, & hæ sunt. 1. Damnum particulare ad emphyteutam, universale ad dominum pertinet, *l.* 1. *in fin. C. h.* 2. Canone non soluto intra biennium Ecclesiastica, intra triennium civilis amittitur,

titur, *l.* 2. *C. h. Nov.* 7 *c.* 3. *§.* 2. 3. Emphyteuta non potest jus suum transferre in alium venditionis titulo, nisi consulto domino, *l.* 3. *C. h.* 4. Debet Emphyteuta laudemium præstare pro translatione juris ab Emphyteuta facta, *l.* 3. *in fin. C. h.*

[*a*] Per proprietates hic intelliguntur naturalia, i. e. ea quæ in contractu obtinent, si per pactiones non sint mutata.]

An in Emphyteusi ob sterilitatem, inundationem, canon remittendus?

Admittendum id quidem in locatione, sed non in hoc contractu, *arg. l.* 1. *C. h.*

Quomodo sit amissio ob non solutum Canonem?

Ipso [*a*] jure, si dominus velit, *l.* 2. *C. h.* sic tamen, ut propria authoritate dominus non possit expellere emphyteutam, sed declaratoria judicis sententia ei sit opus, *arg.* 176. *ff. de R. I.*

[*a*] Solet a.hodie mitius agi, & facile conceditur restitutio, *arg. c. ult. x. de locat. Coren obs.* 22. *Grot. lib.* 2. *p.* 40.]

A quo tempore cedunt domino fructus, non soluto Canone?

Ab eo tempore, quo dominus voluntatem suam declaravit, *arg. l.* 2. *verb. si dominus velit. C. h. junct. l.* 41. *ff. de cond. & demonstr.*

Quid, si Emphyteuta non solverit totum Canonem, sed partem?

Humanius est, ut jure suo non cadat: & sibi imputare debet dominus, quod partem receperit sine protestatione.

An Emphyteuta jure suo cadens ob non solutum Canonem, æque solvere debet canonem?

Debet, *d. Nov.* 120. *c.* 8. Imo, licet, postquam jure suo ceciderit Emphyteuta, canonem receperit, non videtur admisisse de novo Emphyteutam, *arg. l. penult. ff. locat. l.* 4. *C. de pact. inter. empt. l.* 10. *§. fin. de publican.*

Quid, si pœna sit promissa, si canonem non solvat Emphyteuta?

Siquidem pœna non novandi animo sit adjecta, quæ

æque cadet suo jure emphyteuta, *l. 4. §. 4. ff. de re jud.* Verum dominus simul expellere & pœnam exigere non potest, *l. 4. §. labeo ff. de dol. mal. except. l. 115. in fin. ff. de V. O.*

Quid, si Emphyteuta non fuerit interpellatus, vel intra tempus obtulerit canonem, vel paulo postquam solvere debuerat, purgare voluerit moram?

Non est necesse, ut interpelletur, sed ipse Emphyteuta debet offerre, & non tantum offerre, sed & consignatum canonem deponere, *d. l. 2. C. h.* ante diem, quo in pœnam incidet, non post; post enim non prodest obtulisse, quia cum hæc res & diem & pœnam habet, purgari mora non potest, *d. l. 2.*

Quid, si hæres ignoraverit rem esse Emphyteuticam, & non solverit canonem?

Jure stricto jure suo cadit, *l. 2. §. 2. l. 49. §. 2. l. 77. ff. de V. O. l. 38. ff. de minor.* sed ex æquitate succurretur ei, *l. 42. ff. de R. I.* per restitutionem in integrum, *arg. l. 26. in fin. ff. ex quib. caus. major.*

Quid, si unus ex pluribus hæredibus solverit, alius non solverit?

Tota [a] Emphyteusis amittetur, *arg. l. 5. §. fin. l. 85. §. penult. ff. de V. O.* nisi res Emphyteutica consentiente domino inter hæredes sit divisa.

[a] Dissentit *Carpzov. part. 2. constit. 38. def. 5.* verum ea sententia ex eo non subsistit, quod jus emphyteuticum per se est individuum, & quidem reliqui habent jus suum adversus eum qui non solvit, cum ex ipsius culpa sit factum, quod illi suo jure priventur.

Quid Iuris, si inscio domino res Emphyteutica sit alienata?

Nullius momenti est alienatio, & jus ipsum [a] amittitur, & ad [a] dominum redit, *l. 3. in fin. C. h.*

[a] Id cessat I. Saxonico; & hodie plerisque in locis seu provinciis Belgii valet alienatio salvo jure retractus, *Grot. l. 2. p. 40. Christin. vol. 3. dec. 122. n. 1, 2. Neostad decis. 39.*

Quomodo procedet emphyteuta, si vendere debet?

Transmittit domino attestationem, qua comprehendet precium ab alio sibi oblatum, & dominus, si

quidem

quidem solvere tantum maluerit, præferetur, tenetur- que dominus intra duos menses voluntatem suam exprimere, *d. l.* 3. quo tempore elapso potest Emphyteuta jus suum in alium transferre.

Quid, si Emphyteuta donet alteri jus suum?

Humanius est, ut denuncietur domino, ut dominus judicare possit de qualitate personæ, quia ejus interest Emphyteutam habere virum bonum & locupletem. cæterum, præferri in donatione non potest dominus, *arg. d. l.* 3.

Quid, si partem fundi alienaverit Emphyteuta?

Idem juris erit, quod in toto, *l.* 76. *D. de rei vind.* eoque casu res tota amittetur, *arg. l.* 5. *§.* *d. l.* 80. *§. penult. junct. d. l.* 30.

Quid, si oppigneraverit?

Etsi prohibitione alienationis etiam veniat oppignoratio, *l. fin. C. de reb. alien. non alienand.* tamen Emphyteusis potest oppignorari, *l.* 6. *§. fin. D. de pignor. act. l.* 31. *D. de pignor.* ita tamen, ut ad venditionem creditor non procedat, nisi requisito domino secundum formam, *d. l.* 3. *C. h.*

Quid est [a] *Laudemium?*

Est oblatio, quæ fit domino pro subscriptione instrumenti & receptione novi Emphyteutæ. Solvi autem debet quinquagesima pars fundi, *d. l.* 3. *in fin. C. h.*

[a] Vide de Laudemio *Carpzov*, *constit. Elector.* 39. *def.* 11. *& seq.*

Quid, si concessa sit licentia alienandi, an & laudemium remissum?

Nullo modo, quia nemo præsumitur suum velle jactare, *l.* 25. *§.* 1. *ff. de probat.*

Quid, si intra triennium Emphyteuta non solverit laudemium?

Non cadet suo jure, nusquam enim id expressum, & præstat favere ei, qui de damno vitando certat, quam ei, qui de lucro captando est sollicitus, *l.* 41. *D. de reg. jur.*

Tit. 3. De Æstimatoria.

Quis est contractus æstimatorius?

Est contractus [a] innominatus, quo convenit, ut res certo pretio æstimata vendatur, & pretium ea vendita restituatur; vel, si non sit vendita, res incorrupta reddatur, *l.* 1. *ff. h.*

[a] Hodie non est ulla disputatio de actionum nominibus, *Gudelin. de J. N. lib.* 5. *tit.* 4. *s. tertium*, quo fac. *l.* 1, 2. *C. de form. & impetrat. subl. Autumn. in l.* 1. *C. de eden.*]

Quare est contractus innominatus?

Quia certam non habet formam, & dubitatum, utrum emptio an locatio, *d. l.* 1.

Ad quem pertinet periculum, siquidem res ante venditionem perierit?

Si venditor rogaverit, erit venditoris periculum: si is, qui rem æstimato acceperit, erit ejus: si neuter, præstabitur dolus & culpa, *l.* 17. *s.* 1. *ff. de præscript. verb.*

Quomodo igitur explicanda l. 1. *s.* 1. *h.?*

1 Quod periculum in *d. l.* 1. *s.* 1. debeat accipi secundum distinctionem in *d. l.* 17 *s.* 1. sc. id periculum, quod est ex culpa vel dolo, si neuter rogaverit, vel quod est ex casu fortuito, si is, qui suscepit, rogaverit 2. Quod in *d. l.* 1. *s.* 1. sit expressa conventio facta, ut aut res reddatur, vel æstimatio, cujus conventionis non est facta mentio in *d. l.* 17.

Quid, si is, qui suscepit, nec vendere nec restituere velit, sed æstimationem solvere?

Non est dubitandum, quin hoc ei sit permittendum, *d. l.* 1. *s.* 1. siquidem expresse convenerit, ut aut æstimatio justa persolvatur, aut res restituatur.

Quid, si merces intervenerit?

Æque dabitur actio utilis, *l.* 2. *ff. h.*

Tit. 4. De rerum permutatione. Tit. 64. Lib. 4. Cod.

Quid est permutatio?

Contractus innominatus, quo certa species pro alia certa specie transfertur in alium.

In

In quo distinguitur ab emptione?

1. Permutatio fit rebus sive speciebus utrinque, emptio ab una parte desiderat precium, *l. 1. §. 1. ff. de contrab. empt.* & sic alius est emptor, alius venditor, *l. 1. ff. h.* 2. Emptor, nisi nummos accipientis fecerit, tenetur ex vendito, & sufficit venditori, se ob evictionem obligare, possessionem tradere, & se purgare à dolo malo; quod secus in permutatione, *d. l. 1. ff. h.* 3. Emptio nuda voluntate contrahitur; permutatio autem ex re tradita [*a*] initium obligationis quærit, *d. l. 1. §. 2. ff. h.* 4. In emptione ante rei traditionem nullus est locus pœnitentiæ, licet etiam duplum venditor præstare velit, *l. 6. C. de rescind. vendit.* In permutatione licet pœnitere [*b*] ante traditionem, *l. 3. C. h.* vel si tradita sit res, potest agi præscriptis verbis, ut satisfiat obligationi, vel condictione causa data causa non secuta, ut restituatur quod datum est, *l. 4. & 5. C. h.*

[*a*] Id hodie secus se habet, quia quælibet pacta, quæ justam habent causam, hodie actionem pariunt, ut supra *tit. de Pact.* dictum. [*b*] Ei hoc hodie non obtinet, quia nominatorum & innominatorum contractuum eadem est efficacia.]

Quid, si ab una parte res cum pretio intervenerit, ab altera species tantum?

Distinguendum [*a*] est: si pecunia intervenerit ad æquandas utrinque species, est permutatio; si principaliter res pecunia æstimetur, & alia res veniat in supplementum, est emptio, *arg. l. 18. §. 1. ff. de donat.* In dubio videndum, quid valore prævaleat, ut si pecunia, sit emptio, & si species, permutatio sit.

[*a*] Vide de hac re *Buf. in l. 1. ff. h.*]

Tit. 5. De præscriptis verbis & in factum actionibus. Tit. 64. Lib. 4. Cod.

Suntne plures species contractuum innominatorum?

Sunt, & reducuntur ad hasce quatuor: Do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des, *l. 5. ff. h.*

Estne

Esne species, do ut des, distincta ab emptione & permutatione?

Etsi quidem frequenter, *do ut des*, confundatur cum permutatione, *d. l. 5. §. 1.* tamen negari non potest, esse inter has species, ut & emptionem, differentiam. Nam si pecunia promittatur pro re transferenda, est emptio, *d. l. 5. §. 1. D. h.* Si species pro specie detur, est permutatio, *d. l. 5. §. 1.* Si detur ut accipientis fiat res vel pecunia eo animo, ut ab altero rursus res detur, hoc est, accipientis fiat, erit do ut des, *l. fin. D. de condict. caus. dat.*

Cujus periculum erit, si schyphum dederim ut stichum dares, & stichus perierit?

Meum, (a) *d. l. 5. §. 1. in fin.* sc. hactenus, ut stichum non petam, non ut amittam rem datam, *d. l. ult. D. de condict. caus. dat.*

(a) Dicit *Bursius in l. 5. D. h.* quod in *l. ult. D. de condict. caus. dat. caus. non sec.* sit omnino diversus casus ab eo qui est in *l. 5. §. 1.* hoc fundamento, quod in *d. l. ult.* agatur de pecunia danda, hic de corpore.

Quomodo facio ut facias?

Distinguitur à mandato, vel commodato. Si utrinque factum sit præstandum, est facio ut facias, cum in mandato ab una parte sit factum, *d. l. 5. §. 4.* Ac deinde in hac specie nihil gratuito fit, uti in commodato & mandato, *l. 17. §. 3. D. h. §. fin. Inst. de mand.* Denique in commodato tantum rei usus spectatur, nunquam opera; cum in facio ut facias, desideretur semper factum.

Quomodo distinguitur do ut facias à locatione?

Si sit factum, quod locari soleat, & certa merces promittatur, est locatio; si sit factum, quod locari non solet, vel res detur, erit do ut facias, *d. l. 5. §. 2. D. h.*

Quid, si faciam ut des, & postea quam feci, cessas dare?

Possum agere, ut des, *d. l. 5. §. 5.*

Quid respondendum ad l. 5. §. 5. D. h.?

Vel, quod Paulus id, quod dixerat in *d. l. 5. §. 3.* corrigat *§. 5. ejusdem legis.* ubi inquit, si id obtineat cum utrinque factum intervenit, etiam in proposita

quæ-

quæstione, quæ erat de articulo si facio ut des, idem obtinebit, ut actio detur civilis: vel distingui potest inter condictionem & actionem præscriptis verbis, ut si repetere velit, qui fecit, agere debeat de dolo, quia factum infectum fieri nequit; si ad consummandum contractum, possit agere actione præscriptis verbis, secundum *l.* 15. 22. *ff. h. l.* 6. *C. de transact.*

Quæ est actio præscriptis verbis?

Est, quæ datur ex omni contractu innominato, dicitur que incerta, quia & ex incero contractu est, *l.* 1. 2, 3. *ff. h.*

Estne distinctio inter actionem præscriptis verbis, & in factum?

Differunt ut genus & species. Actio in factum est, non tantum ex conventione, sed & ex maleficiis vel alia causa, competitque quoties nomen actionis deficit. Si ex conventione detur, appellatur præscriptis verbis, *t. h. t.* si ex maleficiis descendat, directa vel utili deficiente datur, & nomen generis retinet, *s. fin. ff. ad l. Aquil.* vel dici potest actio præsc. verb. civilis in factum prætoria.

Quæ sunt proprietates in contractibus innominatis?

1. Quod causam quidem habeant, sed proprio nomine & essentia destituantur. 2. Quod pœnitere alterutrum in iis liceat, *l.* 3. *s.* 6. *l.* 5. *in pr. s.* 1. *ff. de condict. caus. dat.* sc. antequam ab una parte acceperint implementum. 3. Quod si quis non impleat, possit conveniri ad [a] consummandum, vel condictione ad restituendum, *l.* 5. *s.* 2. *&* 4. *l.* 7. *ff. h.*

[a] Id non in permutatione tantum, ut supra dictum est, sed in omni innominato procedit, & verissimum est, ut notat *Gomez. lib.* 2. *Var. resol. c.* 8. *n.* 4, 5. *Grot. lib.* 3. *p.* 6. *inf. & p.* 31.]

QUARTA PANDECTARUM PARS.

LIBER XX.

Tit. 1. De Pignoribus & Hypothecis. Tit. 14. Lib. 8. Cod.

Quid est pignus?

IN genere, est quævis oppigneratio facta in securitatem creditoris.

Quid est pignus in specie?

Res, quam debitor tradit creditori, *l. 1. ff. de pignor. act.* sive ea sit mobilis, sive immobilis, *l. 2. §. fin. ff. de religios.*

Imo res mobilis tantum dicitur dari pignori?

Propria vocabuli & stricta appellatione id quidem procedit, quatenus ita frequenter solet fieri, *l. 238. §. 2. ff. de V. S.* verum, qua usus vocabuli legalis spectatur, etiam non improprie dicitur esse in rebus immobilibus, quæ traduntur.

Quid est hypotheca?

Oppigneratio, quæ fit tantum per conventionem, *d. l. 1. ff. de pignor. act. l. 9. §. 2. D. eod.* ad quam traditio non accedit, *d. l. 1.*

Atqui dicitur inter pignus & hypothecam tantum nominis sonum interesse, l. 5. §. 1. D. h.?

Id verum est quoad actionem hypothecariam, uti docetur *§. 7. Inst. de action.* non quoad alia.

Quomodo distinguitur pignus in genere acceptum?

Est vel conventionale, vel non conventionale. Illud per expressam conventionem contrahitur: hoc sine ea, vel per testamentum, vel per missionem in bona debitoris latitantis, vel ex causa judicati, vel ex solo legis beneficio.

Quomodo

Quomodo per testamentum, cum videatur actus à testandi forma alienus, l. 20. D. de verb. sign.?

In testamento Testator tantum declarat voluntatem suam de pignore, & ejus suscipiendi conditionem offert creditori, *l. 26. ff. de pignor. act.*

De prætorio pignore, & ut in actionibus debitorum missio prætorii pignoris procedat. Tit. 22. Lib. 8. Cod.

Quod est pignus, quod constituitur per missionem in bona debitoris?

Est [*a*] prætorium, quod Prætor indulget, vel coactionis, vel rei servandæ causa; veluti si cautio ob damnum infectum exigatur, *l. 4. §. 1. de damn. infect.* vel si quis crediti, dotis, legati aut fideicommissi servandi ergo, custodiam rerum debitoris nanciscatur, donec debitor, sive hæres, sive alius solvat, aut aliter caveat, *l. 1. 12. ff. pro emptor. l. 2. ff. pro hæred. l. 2. 3. C. qui pot. in pign. l. 9. C. de bon. author. jud. poss. l. 1. & tot. tit. ff. qui in poss. legat. l. 1. C. h.*

(*a*) Existimant aliqui pignus prætorium simpliciter exoleviſſe, sed id simpliciter admittendum non est, cum & hodie creditores, vel etiam fideicommissarii mitti soleant in possessionem.]

Quæ sunt hujus proprietates?

1. Constituitur etiam ante rem judicatam, *arg. l. 1. C. h.* 2. In hoc custodia datur & tantum jus pignoris *l. 5. ff. l. 5. C. ut in poss. legator.* 3. Hoc pignus non ante constitutum dicitur, quam si realiter ventum fuerit in possessionem, *d. l. 26. §. 1. ff. de pignoratit. act.* cum in conventionali sola sufficiat conventio, quamvis creditor non incumbat rei. 4. Quia prætorium non in personam, sed rem dirigitur: ideo proficit omnibus creditoribus, licet unus post alium mittatur, *d. l. 5. §. 2. & 3. Ut in possession. l. 12. ff. de reb. auth. jud.* salva tamen prærogativa in aliis, *l. 3. C. qui pot.*

In quibus rebus constituitur pignus?

In omnibus, sive sint corporales, sive incorporales, *l. 1. C. h.* adeo ut & nomina affectentur.

Quid, si creditor possessionem pignoris amiserit?

Vtilis ei accommodatur hypothecaria, *d. 2. C. h.*

Si in causa judicati pignus captum sit. Tit. 23. Lib. 8. Cod.

Quomodo ex causa judicati?

Per executionem sententiæ, *l. 1. C. h.* In hoc sequi oportet ordinem præscriptum, *l. 15. §. 2. ff. de re judicat.*

Quæ sunt hujus proprietates?

1. Tantum post sententiam locum habet. 2. Quia in personam dirigitur, habetur in hoc ratio temporis, *l. 10. ff. qui pot.* 3. Hoc non à creditore, sed judice publica licitatione venditur, *l. 2. C. h.* 4. Ad licitationem etiam ipse creditor admittitur, *l. 2. C. h.* 5. Potest & à principe creditor impetrare dominium, si per subornationem condemnati nullus extraneus licitator accesserit, *l. 3. C. h.*

Tit. 2. In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahitur. Tit. 15. Lib. 8. Cod.

Quomodo ex solo legis beneficio?

Ex duabus causis: vel ex singulari favore, rei vel personæ delato, vel ex præsumpta partium voluntate.

Quibus in causis locum habet?

1. In ædibus, ob quarum restitutionem, hoc est, restaurationem, sive refectionem quis nummos credidit, *l. 1. ff. h. l. 52. §. 10. ff. pro soc.* quod non admittitur in reficienda [a] navi vel alia re: cum textus deficiat. 2. In opere, ad quod extruendum domino mandante redemptori, ei, qui suis sumptibus alieno nomine ædificat, nummi sunt subministrati, *d. l. 1.* quod non extendendum est ad eum, qui credidit redemptori operis publici, nisi respublica mandaverit, *arg. d. l. 1. 3.* In invectis & illatis [b] in prædium urbanum (non autem rusticum) licet etiam sint tantum res venales, *l. 34. ff. de pignor.* Vrbano prædio etiam accensentur horrea, stabula, quæ ad id pertinent, licet in continentibus ædificiis non sint, etiam areæ, & diversoria, *l. 3. & 4. ff. h.* Hoc pignus cedit pro mercedibus & deterioratione, *l. 2. ff. h.*

l. 2. *ff. h.* quamvis & à primo conductore quis conduxerit, *l.* 11. *§.* 5. *ff. de pign. act.* nisi gratuito sit habitatio concessa, *l.* 5. *ff. h.* 4. In fructibus in fundo natis, pro mercedibus fundi, *l.* 7. *ff. h*, Nec distinguendum est, utrum sint naturales, an industriales, *arg. d. l.* 7. 5. In rebus mariti, pro dote restituenda, *l. unic. §.* 1. *C. de rei ux. act. l.* 12. *§.* 1. *C. qui pot.* 6. Pro paraphernis, in rebus mariti, *l. ult. C. de pact. convent. supra dot.* 7. In bonis tutorum velcuratorum, pro administratione, *l.* 20. *C. de administr. tutor.* 8. In bonis patris, pro bonis liberorum maternis & materni generis, *l.* 6. *§. ult. C. de bon. quæ liber.* 9. In bonis parentum, qui ad secundas nuptias transvolarunt, pro conservandis lucris, quæ ex priori matrimonio ad superstitem pervenerunt, *d. l.* 6. *§. ult. l.* 8. *§. fin. C. de secund nupt.* 10. In bonis debitoris, pro tributis, *l.* 1. *C. h.* 11. In bonis debitoris, pro contractu habito cum [c] fisco, *l.* 2. *C. h. l.* 46. *§.* 3. *ff de jur. fisc.* 12. In bonis testatoris, pro legato vel fideicommisso, *l.* 1. *C. comm. de legat.* 13. In bonis vitrici, si mater impuberum tutelam gesserit, & non petito alio tutore, nec restituta tutela, ad secunda vota transierit, *l. penult. C. h.* uti & in bonis matris, ex eadem causa. 14. In bonis administratorum rerum civitatis, *arg. l.* 4. *C. ex quib. caus. major. junct. l.* 20. *C. de administr. tutor. l. fin. C. quo quisque ord. convenivnd.* 15. In fundo, ex quo annuus reditus constitutus est; quia quoties onus rei certæ imponitur, vel convenit de præstatione aliqua, ex certa re percipienda, ea res hypothecæ censetur obnoxia. *arg. §.* 7. *Inst. de action.* Nec contrarium est in *l. fin. §. fin. ff. de contr. empt.* quia ea loquitur, non de hypothecaria, sed personali actione. 16. In fructibus perceptis ex fundis oppignoratis, non vero in prædiis emptis ex pretio fructuum, *l.* 3. *C. h.*

[a] Moribus contrarium obtinet, *Grot. lib.* 3. *p.* 48. [b] *Autumn. in l.* 5 *C. locat.* dicit id non observari in Galliis; at in Belgio ubique observatur, *Grot. d. lib.* 3. *p.* 48. [c] Idem Societati Indiæ Occidentalis & Orientalis datum est, *Grot. d. p.* 48.

Qui ad emptionem domus mutuavit, vel domum vendidit, an is tacitam in domo habet hypothecam?

Nulla lege id demonstrari potest; verum venditori, quamdiu possidet, datur jus retinendi, ac rei incumbendi, tanquam pignorata, *l.* 13. *s.* 8. *ff. de act. empt. l.* 22. *D. de hæred. vend.*

Estne differentia, quoad effectum, inter pignus tacitum & expressum?

Est. Qui enim expresse pignus dedit, non potest id aliter distrahere, quam cum suo onere, *l.* 12. *ff. de distract. pignor. l.* 15. *C. de pign.* præterquam si sint res venales. In iis oportet sequi regulam, *l.* 34. *ff. de pignor.* Verum, invecta & illata vendi possunt libere, antequam præcludantur, *l. penult. D. h.* In aliis autem tacitis pignoribus ordinario receptum est, ea non distrahi, nisi cum onere.

Etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri posse. Tit. 27. Lib. 8. Cod.

Annon & extra causam venditionis datur retentio rei non pignoratæ?

Datur ex variis: veluti pro impensis, & similibus causis. Imo & in specie constitutum est, quod creditor pignus sibi traditum ex certa causa, possit, licet solutum ipsi sit debitum pro quo obligatum est, retinere aliud debitum chirographarium, *l. unic. C. h.*

Contra quem hæc retentio locum habet?

Tantum contra debitorem, adversus creditorem secundum, cui eadem res est obligata, *d. l. unic. C. h.*

Tit. 3. Quæ res, pignori vel hypothecæ datæ, obligari non possunt. Tit. 17. Lib. 8. Cod.

Possuntne quælibet res oppignorari?

Possunt etiam nomina creditorum, *l.* 4. *C. h.* res futuræ, *l. fin. C. h.* & quælibet, quæ non prohibentur.

Quæ sunt, quæ prohibentur?

Aliquæ in totum, neque generaliter, neque specialiter obligari possunt; uti sunt res sacræ, religiosæ [4] & quæ non sunt in commercio, *l.* 3. & 6. *C. h.* nisi ex-

stet

ſtet is caſus, quo alienatio eſt permiſſa. Eodem modo oppignorari nequeunt dotales fundi, *v. Inſt. quib. alien. non lic.* res fideicommiſſo ſubjectæ, *l.* 3. *§.* 2. *C. comm. de legat.* Sub certo modo non poſſunt obligari res minorum ſc. ſine decreto, *l.* 22. *C. de admin. tut. l.* 3. *§.* 1. *l.* 7. *§.* 1. *D. de reb. eor.* ſpes præmiorem athleticorum, ſc. ſine judicis authoritate, *l.* 5. *C. h. junct. l.* 40. *D. de re jud. l.* 4. *C. de execut. rei jud.* Inſtrumenta [*b*] ad agriculturam parata, ſc. ſi abſtrahantur in totum ab agricolis, *l.* 7, 8. *& auth. agricult. C. h. junct. l.* 32. *D. de. pign.*

[*a*] Cum hodie res religioſæ jure dominii habeantur, *Grot. lib.* 2. *p.* 1. *Mornac. in l.* 4. *C. de relig.* etiam recte eædem poſſunt obligari. [*b*] Id hodie non adeo præciſe obſervatur, quia & inſtrumenta ubique haberi poſſunt, & fundi ſatis commode locari, *Zypæus tit. de execut. rei. jud. verſ. inſtrumenta. Faber C. lib.* 8. *tit.* 6. *def.* 18.]

Poſſuntne & ſervitutes oppignerari?

De uſufructu non dubitatur. Reales, ipſo jure quidem oppignerari nequeunt, niſi propter utilitatem, & certo modo, *l.* 11. *§. fin. junct. l.* 12. *D. de pignor.*

Quomodo ratione rerum diſtinguitur pignus?

Eſt vel [*a*] generale: quod eſt de omnibus bonis; vel ſpeciale, quod ad certam rem pertinet, *l.* 1. 6. *D. l.* 2. *C. de pignor.*

[*a*] Hodie generale pignus aliter conſtituitur quam ſpeciale; requirit n. ſpeciale ſpecialiter, ut conſtituatur coram judice loci ſub quo res eſt ſita, *Grot. lib.* 3. *ſect.* 48.]

Quid comprehenditur ſub generali?

Non tantum præſentia, ſed & futura bona, etiam actiones & jura, *l.* 3. 7. *C. de hæred. vend. l.* 4. *C. h. fin.* quin & merces venales, *l.* 34. *ff. de pignor.* bona emphyteutica, *l.* 31. *D. de pignor.* Non autem, quæ veriſimiliter quis non obligaret; uti eſt ſupellex, veſtis, & quod in uſu quotidiano habetur, vel ſpecialiter diligitur, *l.* 6, 7, 8. *D. de pignor.* Sic nec continentur ſub generali, prohibita alienari propter fideicommiſſum, *l. fin.*

§. 2. *C. comm. de legat.* aut prohibita alienari sub pœna, *cap.* 1. *de prohib. feud. alien. per Frederic.*

Quid, si quis immobilia, vel mobilia oppignoraverit?

Non comprehendentur [a] actiones: quia aliud sunt mobilia vel immobilia, aliud actiones, l. 15. §. 2. *ff. de rejud.*

[a] Si quis sic oppigneravit; *Obligo omnia mea bona vel omnia mea tam mobilia quam immobilia*, etiam obligavit actiones, quia mentio mobilium & immobilium ex abundanti est adjecta, *l.* 9. *ff. de supell. leg. l.* 12. §. 46. *D. de instrum. & instr. leg.* Si a. quis dixerit, *Obligo tam omnia mea mobilia quam immobilia*, actiones, ut hic indicatur, non comprehendentur.]

Si res aliena pignori data sit. Tit. 16. Lib. 8. Cod.

Qui possunt oppignerare?

Non tantum veri rerum domini, sed & quasi: uti emphyteutæ, superficiarii, bonæ fidei possessores, *l.* 13. §. 3. *l.* 3. §. 1. *junct. l.* 18. *l.* 21. §. 1. *D. de pignor.*

Annon potest res aliena oppignerari?

Non [a] potest pure, *l. penult. C. h.* sed recte sub hac conditione, si debitoris facta sit, *l.* 16. §. 7. *D. de pignor.*

[a] In iis quæ emuntur in nundinis, debet pretium persolvi, si venditor à sua venditore non possit recuperare, *Zyp. de R. Vind. Grot. lib.* 2. *p.* 3.]

Atqui vendi potest res aliena. l. 28. *D. de contrah. empt.*

Longe alia est ratio venditionis, quam oppignerationis, quia in venditione res ipsa non afficitur, sed obligatur persona ad rem tradendam: vel, si ea non tradatur aut sit evicta, agitur ad id, quod interest, *l.* 11. *D. de act. empt. l.* 3. *Cod. de evict.* Per pignus vero res ipsa afficitur, & datur actio realis, §. 7. *Inst. de act.* quæ dominii jus spectat. Semper enim debet esse dominus, qui oppigneravit, *l.* 15. §. 1. *D. de pignor. act.*

Sunt ne

Sumne ergo nonnulli casus, quibus valet vel convalescit pignus rei alienæ?

Valet, si voluntate domini res sit obligata, *l.* 20. *D. de pignor. act.* Convalescit autem: 1. Per ratihabitionem, *l.* 20. 2. Si debitor postea dominium sit nactus, *l.* 5. *C. h.* non quidem ipso jure, sed ex æquitate.

Quid, si creditor sciverit rem esse alienam?

Difficilius actio hypothecaria ei accommodabitur, *l.* 1. *in pr. D. de pigner.* Ad hoc vero huic creditori fit hæc oppigneratio, ut adversus debitorem ei detur retentio, *d. l.* 1.

Quid, si dominus successerit debitori?

Pugna est inter *l.* 22. (*a*) *ff. de pignor.* & *l.* 41. *ff de pignor. act.* Verum, si *d. l.* 41. accipiamus de illo domino, qui contradixit: legem vero 22. de eo, qui tantum ignoravit, nulla erit difficultas: ideoque statuendum, quod, si dominus, qui contradixit, successerit, non valeat pignus, secus si ignoraverit tantum.

(*a*) Lex 22. est recepta in praxi, ut notant *Mornac.* & *Autumn. ad eam l.*]

Potestne tutor vel procurator oppignerare?

Pignus hoc defenditur, si in rem pupilli vel domini sit pecunia mutuo accepta, *l.* 1. 3. *C. h. l.* 16. *ff. de pign. act.*

Si res communis sit pignori data. Tit. 21. Lib. 8. Cod.

Potestne res communis pignori dari ab uno ex sociis?

Non potest, nisi pro parte dominii, *l. unic. C. h.* Excipitur fiscus, qui, ut vendere potest, ita & oppignerare rem totam.

Si pignus pignori datum sit. Tit. 24. Lib. 8. Cod.

Potestne pignus pignori obligari?

Etsi quidem creditor non sit dominus, tamen propter utilitatem contrahentium constitutum est, ut oppigneratio valeat, tum diu donec jus prioris pignoris maneat; *l.* 1 & 2. *C. h.*

Potestne is, cui pignus obligatum est secundo loco, durante causa pignoris primi, rem pignoratam distrahere?

Potest, denunciationibus primo factis: sibi enim imputet debitor cur non solverit. Verum, hæc distractio non fiet in majorem quantitatem, quam primo creditori debebatur, *l.* 1. *C. h.*

Quid, si dominus solverit secundo creditori?

In totum solvetur pignus, etiam respectu primi creditoris, si tantum est solutum, quantum primo debebatur, *l.* 40. *§.* 2. *D. de pignorat. act.*

Quid, si primo suo creditori solverit debitor?

Siquidem secundus denunciaverit jus sui pignoris, & petierit, ut sibi, non primo creditori solveretur, dabitur ei actio hypothecaria adversus debitorem, *l.* 4. *C. quæ res pignor.* Cæterum, si non certioraverit dominum pignoris, nullam habet actionem, *d. l.* 4.

De partu pignoris, & omni causa. Tit. 25. eod.

Tantum ipsa res pignori est, annon etiam causa ejus?

Sequitur omnis causa rem; ut sunt partus ancillarum, fructus fundi, & similia, *l.* 1, 2. *C. h.* Fructus vero percepti, vel, qui percipi potuerunt, à creditore imputandi sunt in usuras, & in sortem, adeo ut residuum tantum possit peti; quod si debitor offerat, & si non accipiat creditor, consignatum deponat, potest recipere pignus, *l.* 2. *C. h.*

De Pactis pignorum, & de lege commissoria in pignoribus rescindenda. Tit. 35. eod.

Suntne omnia pacta in pignoribus permissa?

Recipit pignus de die, conditione, aliasque pactiones, *l.* 4. *ff. de pignor.* Etiam pactum antichreseos, ut puta, ut creditor pro usuris pignore possit uti, *l.* 11. *§.* 1. *D. de pignor. l.* 39. *D. de pign. act.*

Quousque hoc pactum valet?

Tantum ad legitimum usurarum modum, adeoque sorti imputandum est, quod modum excedit, *l.* 14. *C. de usur.*

Unde

Unde constabit, cum incerta sit fructuum quantitas, modum usurarum excedi?

Ex mercede, quæ communiter pro usu rei solet præstari; aliàs, si incertus eventus fructuum vel ordinaria merces non excedat usuras, conqueri nequit debitor *l.* 17. *l.* 23. *C. de usur.*

Quid statuendum de lege commissoria pignori adjecta?

Ea tanquam injusta rejicitur, *l. fin. C. h.* secus est in emptione, *l.* 2. *D. de leg. commiss.* Quia in emptione res redit ad suum principium. In pignore dominus rem suam amittit.

Quid, si ex intervallo pactum commissorium addatur?

Æque non valet: quia textus in *d. l. fin. C. h.* generaliter loquitur.

Quid, si quis pactus sit, nisi intra certum tempus debitor solvat, cessurum se pignus creditori?

Pactum valet, non, ut eo creditor pignus sibi sine pretio habeat, sed vendere possit communi jure, *l.* 1. *C. h.*

Quid, si convenerit, ut pignus, si debitor non solvat, sit venditum justo pretio creditori?

Valet ea conventio, *l.* 16. *§. ult. D. de pignor. l.* 34. *D. de pignor. act.* Justum autem pretium referetur ad arbitrium boni viri.

Quid, si convenerit, ut, si res vendita evincatur, alia res pro ea obligata debitori reddatur?

Pactum hoc validum est, *l.* 2. *C. h.*

Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur, & de his, qui in priorum creditorum locum succedunt Tit. 18. Lib. 8. Cod.

Qui sunt potiores in pignore?

Ante omnes creditores præferuntur [a] rerum domini, quia jus dominii fortius est jure pignoris, *l.* 7. *§.* 2. *D. depos.* Inter pignoratitios creditores ratio est prima eorum, qui crediderunt in causam primipilarem, *l.* 3, 4. *C. de primip. l.* 4 *C. in quib. caus. pign. tacit.* sub qua causa comprehendi debet, quicquid militibus immediate præstandum est. Secunda eorum, qui crediderunt in militiam emendam, modo expressim hoc

scribatur in instrumento, & in hoc fiat pactum, ut priores sint soli. *Nov. 97. c. 4.* Tertia [*b*] mulieris, in causa dotis, *l. 12. C. h.* uti & liberorum ejus, *d. l. 12. in fin.* non aliorum hæredum. *L. unic. C. de privileg. dot.* Quarta eorum, quorum pecunia res est emta, & quibus specialiter ea est obligata, *l. licet. 7. C. h.* Eodem loco sunt pupilli, quorum nummis res comparata est, *l. 7. ff. h.* Quinta eorum, qui in pignus conservandum crediderunt, *l. 5. 6. D. h.* Hisce annumerandi, quibus merces horreorum, vel areæ, vel vectura jumentorum debetur, *l. hujus enim 6. §. fin. D. h.* Sexta, reliquorum hypothecariorum, qui privilegium nullum speciale habent: inter quos referendi sunt etiam fiscus, *l. 8. ff. h. l. 2. C. de privil. fis.* pupilli & minores. *l. 20. C. de admin. & peric. tutor.* Sic quidem ut priores posterioribus sint potiores, *l. 2. 4. C. h.* cujuscunque sint generis, *d. l. 2. 4. 7. & 8. C. h.* modo observetur distinctio inter publicum & privatum instrumentum (publicum enim privato est potius, *l. 11. C. h.*) & de eadem re agatur; sive sint hypothecarii conventionales, sive habeant pignus prætorium, sive judiciale, sive ex testamento, *l. 10 11. ff. d. l. 2. & seqq. C. h. l. 5. §. qui prior. ff. ut in possess. legat. l. 15. §. si plur. ff. de damn. infect. l. 12. ff. de reb. author. jud.*

[*a*] De Jure prælationis tractat eleganter *Berlich. p 1, conclus. 64. & seq* [*b*] Dotium privilegia hodie non sunt tanti in Hollandia, secus in Frisia, licet fœmina in pactis dotalibus excluserit communionem, & bona sua salva sit stipulata, *Neostad. de pact. antenupt. obs. 10. Grot. lib. 2. p. 12. in f. Argentr. ad consuet. Britann. art. 410 gloss. 3. n. 3.* adde limitationem ex *Neostad. d. obs. n. 9.* Vide *Sande lib. 2. tit. 5. def. 8. vers. si mulier.* Ratio est quia hodie magis sunt bona paraphernalia mulierum, quam in specie dotalia.

De

De his, qui in priorum creditorum locum succedunt. Tit 19. Lib 8. Cod.

Potestne, qui posterior est, in priorum creditorum jus succedere?

Hypothecarius posterior, sive debitore volente, sive invito, sive ignorante, priori solvat, vel, eo, cui offertur non recipiente, obsignatum deponat, jus prioris in se transfert, & sibi confirmando pignus in pignoris locum succedit, *l.* 1. *C. l.* 12. *s.* 6 *ff. qui pot. l.* 22. *C. de pign. l. ult. C. h.*

Quid, si Chirographarius priori solverit?

Transferet in se jus prioris, si nominatim hoc sit actum inter ipsum, & debitorem vel priorem hypothecarium, tempore solutionis, *l.* 1. *C. h.* vel eo tempore id per judicem obtinuerit, *l.* 2. *C. h. l.* 11. *C. de fidejussor.* Et tenet hoc pignus eatenus, qua ad hypothecarium pecunia pervenit, *l.* 17. *ff. qui pot. in pignor.*

Quid, si tertius debitori nummos credat, ut solvat priori?

Non aliter sibi confirmabit jus prioris, quam si de jure pignoris paciscatur, & nummi ad priorem pervenerint, *arg. l.* 12. *s.* 8. *ff. qui potior. in pignor.*

Quid. si chirographarius non sit pactus de jure pignoris?

Non habebit jus pignoris, sed personalia jura prioris creditoris; unde & ipsi datur actio Pauliana, quæ priori competebat, propter res in fraudem alienatas, *l.* 10. *s* 1. *ff. de his qui in fraud. creditor.* verum, si possideat pignus, utetur retentione adversus debitorem, donec ei refundatur pecunia, priori soluta, *l.* 2. *&* 8. *s fin. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

Tit. 5. De distractione pignorum & hypothecarum. Tit. 28. Lib. 1. Cod.

Quis effectus principalis pignoris?

Potestas [a] distrahendi, licet ipse debitor rem teneat, *l.* 14. *C. h.*

[a] Iure Civili solebat creditor privata auctoritate distrahere, id a. hodie non ita est receptum; solet natalis venditio concedi publica auctoritate & id fieri per apparitorem.]

Quis

Quis ordo hic servandus?

Denunciandum ante est debitori, & quidem testato, si fieri possit, *l.* 4. *C. h.*

Quid, si interim debitor pecuniam offerat?

Siquidem universum offerat ante distractionem, impedietur distractio, *l.* 8. *C. h.* modo, si creditor recipere recuset, consignatam deponat, *l.* 6. *l.* 8. *C. h.*

Quando licet distrahere?

Conventionale pignus, si de tempore convenerit, poterit die condicto distrahi: si non, post biennium à die denunciationis, *l.* 3. *s.* 1. *&* 2. *C. de jur. dom. impetrand.* Si actum sit ne distrahatur, fieri oportet denunciationes tres, quarum singulis tantum temporis intervallum, quantum judici sufficiat, dabitur, *l.* 4. *ff. de pignor. act.* post quas elapso biennio fiet distractio, *arg. d l.* 3. *s.* 2.

Quæ solemnitates sunt observandæ creditori?

1. Creditor, ut dictum est, denunciabit debitori, *l.* 4. *C. h.* 2. Bona fide & solemniter per præconem vendet, *l.* 9. *C. h.* ut absit omnis collusio. 3. Ipse non recte emet per se, vel per alium, *l.* 10. *C. h.* nisi debitor distrahat, vel judex, *d. l.* 10. *l.* 7. *C. de resc. vend. l.* 2. *C. si ex caus. jud.*

Quis ordo in rebus distrahendis est servandus?

Siquidem generaliter tantum sint obligata bona, possunt quævis vendi. *l.* 8. *ff. h.* Sin autem eidem specialiter & generaliter, primum distrahenda sunt, quæ specialiter pignoris jure sunt nexa, *l.* 9. *C. h.* Quinimo si certum sit, creditori satisfieri posse ex speciali pignore, non potest in detrimentum aliorum creditorum quicquam ex generali vendere, *l.* 2. *C. de pignor.*

Debitorem venditionem pignoris impedire non posse. Tit. 29. Lib. 8. Cod.

Potestne debitor impedire distractionem pignoris,

Nec testamento, nec denunciatione creditori vel emptori facta; nisi paratus sit totum solvere, *l.* 1. *&* 2. *C. h.*

Si

Si antiquior creditor pignus vendiderit. Tit. 20. Lib. 8. Cod.

Quis est effectus distractionis?

Si extraneus emerit, plene transfertur dominium *l.* 46. *D. de acquir. rer. dom.* nec debitori, nec alii creditori posteriori, siquidem omnia bona fide sint celebrata, datur ulla actio ad revocandam venditionem, licet pretium emptori vel creditori debitor offerat, *l.* 18. *C. de distract. pignor. l.* 3. *C. h.*

Quid, si à priori creditore posteriori sit pignus venditum?

Datur alii creditori jus offerendi debitum emptori; quia is non tam acquirendi dominii causa, quam, ut pignus sibi salvum sit, emisse creditur, *l.* 5. *in fin. l.* 6. *ff. de distr. pign.*

Quid, si debitor vendiderit?

Si extraneo, omni creditori, etiam posteriori inter illos, quibus res ea est obligata, jus manet salvum contra emptorem; si priori creditori, manet posteriori jus salvum offerendi, *l.* 1. *C. h. l.* 3. *ff. de distr. pignor.* quia, cum debitor extraneo vendit, cum onere transfert, *l.* 12. *C. distr. pign.* Et, si priori creditori detur in solutum, videtur is prior servandi pignoris causa accepisse.

Si unus ex pluribus hæredibus creditoris vel debitoris, partem suam debiti solverit, vel acceperit. Tit. 32. eod.

Quid, si unus ex pluribus hæredibus creditoris partem suam acceperit?

Per hoc non solvitur pignus, licet quidem personalis actio sit dividua, pignoris tamen causa est individua, *l.* 1. 2. *C. h. l.* 55. *ff. de evict. l.* 9. *§.* 3. *ff. de pignoratit. act.* adeo, ut reliqui hæredes rem totam oppignoratam vendere possint, oblato debitori eo, quod cohæredi solvit, *l.* 11. *§.* 4. *ff. de pignorat. act.*

Quid, si unus ex pluribus hæredibus debitoris partem suam debiti solverit?

Ex pignoris causa is, qui id possidet, in solidum con-

convenitur, ut vel totum debitum solvat, vel eo, quod detinet, cedat, *l.* 2, *C. h.*

Si vendito pignore agatur. Tit. 30. Lib. 8. Cod.

Quomodo, & in quid debitor aget, si non servato juris ordine, omissisque solemnibus, vel mala fide pignus fuerit venditum à creditore?

Si nullo jure, id est, non observatis solemnibus, & cum venditori jus distrahendi non esse, vindicabit à quovis possessore, *l.* 2. *C. h.* si vero jure, sed mala fide, aget adversus creditorem pignoratitia in id quod interest, &, si creditor non sit solvendo, emptorque mala fide emerit, revocabit ab emptore dominium cum omni causa, *l.* 1. *l.* 4. *C. h.* oblata, quanti fundum emit, pecunia cum usuris, *d. l.* 1.

Annon debet & precium possessori restitui, si res vendicetur, quod nullo jure sit vendita?

Nullo modo, quia venditio per se nullas haberet vires, atque eodem modo habetur, ac si quis alienam rem vendidisset, *arg. l.* 2. 6. *C. de reb. alien.*

Quid ergo de debito est statuendum, annon & id à debitore solvendum?

Proculdubio; ast debitum extenuabitur, quatenus debitoris interest non esse pignus venditum.

Quid, si emtor rem nullo jure quidem, sed bona fide distractam usucceperit?

Aget debitor pigneratitia adversus creditorem ad precium, *d. l.* 2. *in fin. C. h.*

Quo remedio petetur superfluum, si res sit vendita majori precio quam est in debito?

Actione pigneratitia adversus creditorem ejusve hæredem, non adversus emptorem agetur, *l. ult. C. h.*

Si pignoris conventionem numeratio pecuniæ secuta non fuerit. Tit. 34. Lib. 8.

Quid, si conventionem de pignore numeratio non sit secuta?

Nec dabitur pigneratitia, nec rei vindicatio, *l.* 1. & 2.

& 2. C. h. Et, si pignus fuerit traditum, dabitur vindicatio pignoris debitori, d. l. 1.

De Jure dominii impetrando. Tit. 34. Lib. 8. Cod.

Quid, si pignus, quod venum proponitur, non inveniat emptorem?

Secundum formam ab Imperatore præscriptam, creditor debitori denunciabit, non comparere emptorem, & post biennium impetrabit à principe jus dominii: sic tamen, ut currente biennio, debitor possit offerre debitum cum usuris, sumptibus litis, & omni damno, atque ita pignus liberare, l. 3. §. 3. Cod. h.

Quid, si creditor post impetrationem usuras à debitore acceperit?

Videtur recessisse à priore beneficio, l. 2. C. h.

Tit. 6. Quibus modis pignus vel hypotheca solvitur.

Quibus modis solvitur pignus?

Variis. 1. Naturali debiti solutione, l. 9. §. 3. ff. de pignor. act. 2. Solutione ficta; uti, si debitum fuerit oblatum, consignatum, & depositum, l. 1. Cod. qui potior. vel compensatum. vel, si juraverit se non debere: aut judicio absolutus sit debitor, l. 13. ff. h. 3. Interitu pignoris, l. 8. ff. h. 4. Judicio à defensore, qui pignora dederat, in dominum translato, l. 1. §. fin. ff. h.

Quid. si debitor pignus æque idoneum offerat?

Vix leges admittunt, ut pignus per hoc liberetur, l. 9. §. 3. D. de pignor. act. junct. l. 14. §. 1. D de constit. pecun. Tamen, si certo constet, creditorem ex eo non posse damnum pati, permittendum est id debitori; cum, quod nobis non nocet, & alteri prodest, concedere oporteat, arg. l. 38. D. de eviction.

Quid, si pars pignoris intereat?

Manebit æque pignus in parte, arg. l. 76. D. de rei vindicat.

De

De Remissione pignoris. Tit. 26. Lib. 8. Cod.

Potestne etiam remitti pignus?

Potest non tantum expresse, per expressam conventionem vel acceptilationem, *l. 5. ff. h.* verum etiam tacite, ut, si creditor donet debitori debitum principale, *l. 1. §. 1. h.* chirographum vel cautionem reddat, *l. 7. C. h.* patiatur pignus vendi, *l. 2. C. h.* Pati autem videtur, non cum scit vendi, sed cum creditor quid fecit, ex quo manifeste voluntas renunciandi colligi potest, *l. 9. §. 15. ff. quib. mod. pign. tollitur. l. f. C. h.* aut fisco distrahente publice, siluerit, *l. 8. C. h.* aut tempore distractionis programmate publico admonitus ut adesset, non comparuerit, *l. 6. C. h.*

Quid, si pignus consensu creditoris alienatum postea ad debitorem revertatur?

Non redditur jus pignoris creditori, *d. l. ult. C. h.*

Quid, si debitor ex consensu primi, secundo obligaverit pignus?

Non amittit jus pignoris absolute, sed postponetur omnibus, qui tempore consensus habebant hypothecam, quæ sciri poterat, *l. 12. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. l. 12. ff. qui pot. in pign. junct. l. 3. C. h.*

Quid si, cui tacitum est pignus, sibi de expresso caverit?

Non videtur remisisse pignus tacitum, *arg. l. 3. D. de mil. testam. junct. l. 24. in fin. ff. de his. quæ in fraud.*

De Luitione pignoris. Tit. 31. Lib. 8. Codic.

Quid est luitio pignoris?

Est tantum liberatio, quæ fit per solutionem totius debiti, vel alium similem modum.

Potestne huic juri præscribi?

Vix poterit quia creditor suo nomine non possidet, & sine possessione nulla est præscriptio, *l. 25. ff. de usurp. & usucap.*

De

De actionibus ex pignore.

Quæ actiones sunt ex pignore?

Sunt vel personales; uti pignoratitia, directa, vel contraria, de quibus supra, *Tit. de pignorat. act.* vel reales; uti Serviana, vel quasi. Serviana competit domino fundi adversus possessorem rerum sibi pro mercedibus fundi obligatarum. Quasi-serviana quibuslibet creditoribus datur adversus possessores pignorum, *§. 7. Inst. de act.* sive sint expressa, sive tacita.

Quomodo hæ sunt reales, cum originem habeant ex conventione vel quasi?

Ex sola confirmatione Prætoris, qui constituit has reales, ne pignus redderetur inutile, *d. §. 7. & l. 17. ff. de pignor.*

Quando habent hæ reales locum contra possessorem?

Non ante, quam discussus fuerit principalis debitor, *Nov. 4. cap. 2.* adeoque sunt subsidiariæ.

PANDECTARUM

LIBER XXI.

Tit. 1. De Ædilitio edicto, & redhibitione & quanti minoris. Tit. 58. Lib. 4. Cod.

Quæ sunt ædilitii edicti capita?

VAria: sed præcipue eminent duo; quorum primo succurritur emptoribus, ne ob vitia rerum sibi venditarum decipiantur, *l. 1. §. 2. ff. h.* altero, ne quis canem, verrem, vel aprum, qua vulgo iter fit, habeat, *l. 40. & seq. h. h.*

Qualia debent esse vitia?

Ordinario corporis, non animi, nisi corpus reddant inutile, aut simul sint corporis, *d. l. 1. §. pen. l. 4. §. 3. l. 17. §. 1. & 2. D. h.*

Quas res hic intelligimus?

Quaslibet, sive sint animatæ, sive inanimatæ; sive mobi-

mobiles, sive immobiles, *l.* 1. & 8. *s.* 1. *l.* 38. *l.* 49. 63. *D. h.* nisi sint res valde viles, & simplariæ, *l.* 48. *s. fin. D. h.*

Ad quos contractus pertinet hoc edictum?

Præcipue ad venditiones, *d. l.* 63. etiam à civitate, non à fisco, factas, *l.* 1. *s.* 3. 4. & per interpretationem justam ad alios contractus, *l.* 19. *s.* 5. *D. h.* qui onerosam, non lucrativam causam habent, *l.* 62. *D. h.*

Ex quo est l cus huic edicto?

Non tantum ex dicto vel promisso, sed & ex solæ reticentia: non ex nuda commendatione, si dolus absit, & nihil sit promissum, *l.* 19. *princ. D. h. l.* 43. *ff. de act. empt.*

Cujus ignorantia desideratur?

Non venditoris, *d. l.* 1. *s.* 2. licet probabilem habeat causam; sed emptoris, *d. l.* 1. *s.* 6. nisi sit ea, quæ in supinum hominem cadit, *l.* 15. *s.* 1. *ff. de contr. empt.*

Estne ergo differentia inter venditorem scientem & ignorantem?

Est; nam sciens, in omne, quod interest, tenetur, *l.* 1. *C. h. l.* 13. *pr. D. de action. empt.* Ignorans tantum redhibitoria, vel æstimatoria actione.

Quid in dubio præsumendum?

Venditorem nescire; dolus enim non præsumitur.

Estne necesse, ut venditor vitium per se patens indicet?

Non, nisi emptorem id ignorare sciens dolose reticuerit, *arg. l.* 37. *D. de dol.*

Quo tempore debet esse vitium?

Venditionis: quod enim præcedit, non facit edicto locum, *l.* 1. *s. penult. D. h.* & quod sequitur, nocet emptori, *l.* 3. *C. h.* 1. Si vero dubitetur, an præcesserit, committenda est res arbitrio judicis.

Quæ actiones dantur ob vitia?

Dantur Redhibitoria, quanti minoris. In factum.

Quid opus erat his actionibus, cum sufficere posset ex empto?

Magnus est harum usus, propter singularia, quæ in hisce sunt. Nam redhibitoria sæpe in duplum [a] datur, *l.* 45. *D. h.* Et hæ actiones in solidum contra unum, cujus

cujus maxima pars est, competunt, *l.* 44. *§.* 1. *D. h.* quæ non ita se habent in actione ex empto, *Dd. Ll.* [*a*] Hæc actio in duplum hodie cessat, sufficit n. in simplum.]

Quæ est actio Redhibitoria?

Est prætoria, arbitraria, qua emptor contra venditorem propter vitium, ob quod, si id sciviſſet, rem non emiſſet, agit, ut venditor rem, quam vendidit, cum omni causa recipiat, & pretium cum usuris reddat, *l.* 22. 23. *l.* 27. 29. *D. h.*

Quid, si emptor agens non præstet à sua parte præstanda?

Venditor rei non condemnabitur, *l.* 29. *D. h.* quia actor à sua parte antea contractum implere debet.

Quid, si jumentum, vel res, ob quam agitur, interierit?

Æque agit emptor, si culpa vacet, *l.* 32. *§.* 6. *&* 11. *l.* 47. *§.* 1. *D. h.*

Quo tempore præscribitur redhibitoriæ?

Ob vitia rerum sex (*a*) mensibus; ob ornamenta, sexaginta diebus, *l.* 19 *§.* 4. *l.* 38. *D. h.* Hi in latenti vitio non currunt, nisi supine ignoranti, *l.* 55. *D. h.* (*a*) In hac re statuta cujusque loci sunt spectanda, quæ sunt varia, imo & in rebus ipsis varie tempus in eodem loco solet observari.]

Quid, si convenerit, ut res, si displicuerit, possit reddi?

Potest redhiberi, licet nullum sit vitium, modo redhibitio fiat intra sexaginta dies, *l.* 31. *§.* 22. *D. h.*

Quid, si plures res sint venditæ, sive uno, sive diverso in singulas pretio, & aliquæ sint vitiosæ?

Omnes redhiberi possunt, si neutri expediat, nisi omnes habere: aliàs si pretium unum sit omnibus, omnes: si singulis diversum, singulæ restituentur *l.* 34. 35. 36. *ff. h.* at in hæreditate non nocet quasdam res esse vitiosas.

Quæ est actio æstimatoria?

Est prætoria, qua emptor ob vitium rei, propter quod, si sciviſſet, minori pretio emiſſet, agit adversus venditorem, ut, quanto minoris emiſſet, sibi præstet.

Ad

Ad quod tempus datur hæc actio?

Intra annum utilem est proponenda, *l.* 19. *§. fin. l.* 38. *D. l.* 2. *C. h.*

Potestne hæc ob diversa vitia sæpius intentari?

Potest, sed ita, ne emptor bis ejusdem rei æstimationem consequatur, *l.* 31. *§.* 16. *D. h.* Et licet qui hac egerit, non admittatur facile ad redhibitoriam, *l.* 25. *§.* 1. *D. de excep. rei jud.* tamen, si tale sit vitium, ob quod redhibitoriæ est locus, non debet ei redhibitoria negari, *l.* 43. *§.* 6. *D. h.*

Quid, si quis tributum celaverit?

Si sciens, tenetur ex empto, *l.* 21. *§.* 1. *D. de act. emp.* si ignorans totum reticuerit, non tenetur, *d. l.* 21. *§.* 1. Si vero minorem quantitatem sit professus, sive sciens, sive ignorans, convenitur in id quod interest, vel quanti minoris *l.* 9. *Cod. de act. empt.*

Danturne hæ adilitiæ actiones hæredibus & in hæredes?

Dantur omnino, ut tamen & facta hæredum, quæ postea accesserunt, & quod experiri potuerint, quærantur, *l.* 48. *§.* 5. *D. h.*

Quæ est actio in factum ex hoc edicto.

Competit ad precium re redhibita petendum: in qua non quæritur, utrum juste vel injuste, sed tantum an facta sit redhibitio, *l.* 31. *§.* 17. *ff. h.*

Annon cavendum venditori de iis, quæ edicto sunt comprehensa?

Omnino, [a] &, si venditor non caveat, datur actio ad redhibendum intra duos, & quanto minoris, intra sex menses, *l.* 28. *ff. h.*

[a] Hodie hæc cautio non solet observari, cum jure ipso quisque teneatur ad hæc, quæ comprehensa sunt Ædilitio edicto.]

Quid statutum est in eos, de quibus secundo membro agitur, qui canem, verrem, vel aprum, vel aliud animal in publico noxium alunt?

Siquidem homo liber perierit, ducenti solidi solventur; si libero homini nocitum fuerit, quantum judici æquum & bonum videbitur: in cæteris rebus dupli æstimatio est, *l.* 40, 41, 42. *ff. h.*

An eadem pœna locum habet in iis, qui serpentes vel similia animalia circumferunt?

Utiliter; vel alias extraordinaria pœna iis infligetur, *arg. l. ult. D. de extraord. crim.*

Tit. 2. De evictionibus & duplæ stipulatione. Tit. 45. Lib. 8. Cod.

Quid est evictio?

Est rei [a]nostræ a b alio possessæ per judicem facta recuperatio.

[a] Evictionis materiam præter cæteros egregie tractant *Berlich. p. 1. conclus. 24.* & *Carpzov. p. 2. ad constit. Elect. 34. dec. 20. & seqq.*]

Potestne emptor, cum emit, sibi prospicere aliqua stipulatione ad securitatem?

Solent jure Romano emptores interponere stipulationem vel simplæ in vilioribus, cum simplum rei pretium, quod contrahentibus placuit, exigunt, *l. 53. ff. h.* vel [a] duplæ, cum duplum in rebus pretiosioribus repromittendum est, *l. 37. §. 1. l. 56. ff. h.*

[a] Duplæ stipulatio sive cautio hodie non fit nisi à volentibus, quapropter exolevit ejus necessitas, *Zypæus tit. de empt. vers. desiit. Argentr. tit. 7. ad Rubr. n. 15.*]

Poteritne locum habere æque actio ex empto?

Datur actio ex empto, sive stipulatio duplæ vel simplæ sit interposita, sive non, *l. 60. 70. 74. D. l. 25. C. h.* non quidem, ut commodum utriusque actionis emptor possit consequi, sed id, quod interest, semper haberi possit per actionem ex empto, *d. l. 60.*

Debetne præstari fidejussio in simplæ vel duplæ stipulatione?

Non est [a] necesse. Verum, si immineat periculum evictionis, & nondum sit solutum pretium, non ante tenetur emptor pretium exsolvere, quam si fidejussore dato venditor caveat, *l. 4. D. l. 24. C. h.*

[a] Vide *Grot. lib. 3. p. 14. n. 11.*]

Quid, si si ea lege quis rem emerit, ut, non obstante protestatione adversus venditionem facta, promissum pretium solvat?

Potest nihilominus cautionem desiderare, si quidem peri-

periculum sit de evictione, emptorque ignoraverit, *arg. d. l.* 24.

Si immineat evictio, estne pro omnibus casibus, qui emergere possunt, cavendum?

Non pro omnibus, sed tantum pro iis, qui sunt noti vel [a] moti, *arg. d. l.* 24. nisi probabilis metus sit & de aliis.

[a] Id n. indicant verba in *d. l.* 24. *mota fuerit quæstio.* Sic quoque decisum est in suprema Frisiorum Curia, ut notat *Sande tit. de evict.* & *T. Heigius p.* 1. *Q.* 36. *n.* 10. nec n. nimium vagari oportet cum detrimento venditoris, ita ut fidejussores accipere non possit.

Quando dicitur res evicta?

Cum judicio vero, nec per imperitiam judicis, nec culpam emptoris res est ablata, *l.* 8. 15. *C. l.* 5. 51. *ff. h.* Itaque regressum non habebit, qui coram incompetente judice causam defendit, nisi ea fuerit notorie injusta: ut nec is, qui in arbitrum compromisit, vel qui juramentum detulit, *l.* 56. *s.* 1. *ff. h.*

Diciturne & facta evictio, si pars sit evicta?

Non est dubium, *l.* 1. 45. *ff. h.* Non autem videtur in ædibus evictio facta, si materia, cæmenta, vel tabulæ evincantur, *l.* 36. *D. h. junct. l.* 23. *D. de usucap.*

Quid, si servitus evincatur?

Siquidem personalis sit, res dicitur evicta, *l.* 38. *s.* 3. *D. de V. O.* Si realis, quæ præstanda erat; non tanquam res evicta sit, verum agitur quanti minoris, *arg. l.* 75. *D. h. l.* 59. *D. de contrah. emption.*

Quid si quis conventus sit actione hypothecaria, & ex ea condemnatus?

Videtur & res evicta. *l.* 34. *s. fin. l.* 35. *D. de evict.* Hoc casu venditor non convenitur in id quod interest, sed in id quod revera abest, quia emptor rem retinere, si debitum exsolvere velit, potest.

Ab quos contractus refertur evictio?

Non tantum ad emptionem, *tot. h. t.* sed & ad permutationem, *l.* 29. *C. h.* dationem in solutum, *l.* 4. *C. h.* divisiones hæreditatis, vel alias, *l.* 66. *D. h. l.* 7. *C. comm. utriusque jud. l.* 14. *C. fam. Ercisc.* non ad transactionem

nem quoad rem, de qua est [a] controversia, sed recte eam, quæ pro litis æstimatione est præstita, *l.* 33. *C. de transact.* non ad [b] donationem, nisi evictio sit promissa, *l.* 2. *C. h.* vel magnos sumptus in eam rem fecerit donatarius, & dolo fecerit donator. tunc enim datur actio de dolo, *l.* 18. *s. fin. ff. de donat.* non ad dotem, nisi sit profecta ab eo, qui dotare tenetur, & sic ex titulo quali oneroso, *l.* 19. *ff. de rit. nupt. junct.* *l.* 19. *ff. de oblig. & act. l.* 1. *C. de jur. dot.*

[a] Vide *Carpzov. p.* 2. *constit.* 34. *dec.* 28. [b] Vel donatio fuerit remuneratoria officii præstiti, pro quo alias debuisset solvi merces, *Carpzov. d. constit.* 34. *dec.* 24. Cæterum si remuneratio sit facta propter donationem ante factam ab eo, cui remuneratio præstita est, quia ea tantum est ex humanitate morum, non agetur ex evictione.]

Quid aget emptor cum ipsi lis movetur?

Denunciabit venditori, litem sibi moveri, ac instabit vel requiret, ut venditor ad defendendum veniat, vel in lite emptori adsistat, *l.* 8. *l.* 24. *l.* 53. *C. l.* 1. *ff. h.*

Debetne fieri denunciatio scienti, vel ei qui juravit se venturum ad defendendum?

Et scienti [a], quia denunciatio non tantum fit ut quis certioretur, sed ut veniat ad defendendum vel assistendum, *l.* 8. *C. h.* Et ei, qui juravit se venturum ad defendendum; quia non videtur non venisse ad defendendum, qui non fuit certioratus.

[a] Quæritur an fieri possit denunciatio pupillo? Id affirmandum videtur ex *l.* 56. *s. ult. ff. h.* sed hoc hodie vix procedit, nisi id accipiamus de eo, ne denuncians, qui certat de damno vitando, non videatur habendus esse pro eo, qui non denunciavit, ut sc. evictionis causa non posset agere; ac deinde in *d. l.* 56. sunt bene notanda verba, *si tutor non appareat*; itaque qui caute vult procedere, denunciabit tutori, vel si tutor non sit, vocabit eos, qui jus petendi tutores habent, ut ad hanc rem petant tutorem vel curatorem, *arg. l.* 7. *s.* 2. *ff. de minor.* vel si minor sit cui denunciatio est facienda, poterit quidem fieri denunciatio, si curatorem non habeat,

vel vocabitur ad judicem, quod tutius est, ut curatorem sibi eligat, *d. l. 7. §. 2.*]

Quando debet fieri denunciatio?

Fieri potest quolibet tempore, dummodo non fiat prope condemnationem, *l. 29. §. fin. D. h.*

Requiriturne & traditio libelli in denunciando?

Etsi non sit necesse, ut libellus simul mittatur, *l. 8. 21. C. h.* cautius tamen faciat, qui miserit.

Si denunciatio sit facta, debetne necessario venditor defendere?

Debet omnino, nisi velit omnia suo periculo ab emptore agi, *arg. l. 45. ff. de judic.*

Coram quo foro emptor est defendendus?

Coram foro rei conventi; licet etiam venditor sit clericus vel fiscus, *l. 49. ff. de jud.*

Cujus sumptibus causa defendenda est?

Siquidem sententia sit dicta contra emptorem, non est dubium, quin venditor sumptus ferre debeat, quia accessorium sequitur suum principale. Sin autem pro emptore, non tenetur venditor, *arg. l. 18. in fin. C. h.* nisi causa valde fuerit anceps, *arg. l. 17. C. h, l. 155. ff. de R. I.*

Annon sunt casus, quibus emptor non habet regressum adversus venditorem?

Sunt varii. 1. Si non denunciaverit emptor venditori. nisi remiserit venditor necessitatem denunciandi, *l. 8. C. h. arg. l. 14. §. 9. D. de ædilit. edict.* vel professus sit; se nolle defendere emptorem in lite mota, *l. 63. D. h.* vel causa venditoris notorie sit injusta, *arg. l. 35. l. 53. §. 1. D. h.* 2. Si non fuerit facta denunciatio personæ, cui fieri debebat, sed alii, *l. 55. §. 1, l. 56. §. 4, D. h.* 3. Si nimis sero sit denunciatum, ut causa defendi nequeat, *l. 29. §. fin. D. h.* 4. Si emptor judicio non adfuerit, *l. 8. C. h.* 5. Si emptor præsens per injuriam judicis sit condemnatus, *d. l. 8. l. 51. D. h.* 6. Si emptor transegerit, *l. 53. §. 1. D. h.* 7. Si emptor non sit usus justis defensionibus, quas non poterat ignorare, *l. 18. l. 29. §. 1. D. h.* 8. Si non appellaverit, cum appellandum esset & appellare posset, *arg. l. 8. §. 8. D. mandat.* 9. Si

sciens

sciens rem alienam emptor emerit tanquam alienam, *l.* 27. *C. h.* [a]

[a] Etiam tempore tollitur evictio; tempus a. id est longissimum, *l.* 21. *C. h.* In Foro a. Saxonico dantur anni 31 & dies, & in Hollandia tertia pars 100 annorum, in Frisia longissimum tempus.]

Quid juris in exceptionibus, quæ emptori objiciuntur?

Hoc jure utimur, ut, si quæ ex persona emptoris obstent, venditor non teneatur; si vero ad personam venditoris respiciant, contra. Sed, si ex utriusque persona objiciantur, intererit, propter quam exceptionem judex contra emptorem judicaverit: & sic aut committetur stipulatio de evictione, aut non committetur, *l.* 27. 28. *D. h.*

Creditorem evictionem pignoris non debere. Tit. 46. Lib. 8. Cod.

Si creditor vendiderit pignus, & id sit evictum; quis tenetur de evictione?

Debitor, non vero creditor, qui nec ad pretii solutionem conveniri potest, cum vendiderit eo jure, quo debitoris fuit, & ejus nomine, *l.* 1. *C. h.* nisi promiserit evictionem, vel dolose vendiderit, cum sciret rem non esse debitoris, *l.* 2. *C. h.* aut nisi falsus fuerit debitor, vel ipse posterior in pignore, *d. l.* 1. *C. h.*

Nullo ergo jure consuletur emptori?

Vel poterit agere cessa pigneratitia contraria adversus debitorem, vel actione utili ex empto, *l.* 12. *§.* 1. *D. distract. pign.*

Tit. 3. De exceptione rei venditæ & traditæ.

Quæ est exceptio rei venditæ & traditæ?

Datur ei, qui à non domino rem ex venditione accepit, contra eum, à quo accepit, si is ex postfacto dominium acquisivit, & rem vindicare nititur, *l.* 1 *pr. D. h.* regula enim est certissima, quem de evictione tenet actio, eum agentem multo magis excludit exceptio, *l.* 17. *ff. de evict.*

An etiam hæredibus & contra hæredes datur?

Omnino, *l.* 3. *pr.* & *s.* 1. *ff. h.* Imo & secundo emproti, licet res ei nondum sit tradita, *d. l.* 3.

Quid, si quis rem, antequam esset dominus, primo vendiderit, & post dominus factus, alteri vendiderit ac tradiderit?

Nocebit venditori vel secundo emptori volenti vindicare hæc exceptio, *l.* 2. *ff. h.* Sin autem non primo, sed alteri tradiderit, hic, cui priori loco res fuit vendita, habet actionem tantum personalem adversus venditorem in id quod interest, *huc fac. l.* 15. *C. de rei vind.*

PANDECTARUM

LIBEP XXII.

Tit. 1. De usuris, & fructibus, & causis, & omnibus accessionibus, & mora. Tit. 42. Lib. 4. Codic.

Quid est usura?

IN genere, est usus rei precium, seu merces; in specie, est accessio ad sortem sive quantitatem debitam.

Quomodo distinguitur usura in specie?

Ea vel præstatur ex mutua pecunia, vel ex alia quantitate; quæ ex mutua pecunia, appellatur fœnus, *arg. l.* 11. 13. *s.* 1. *ff. de usur.* quæ ex alia causa, nomen generis retinet, *l.* 23. 25. *C. h.*

Quomodo distinguitur usura à reditu & eo quod interest, fructibus & pœna?

Reditus dicitur in genere quicquid ex re aliqua obvenit, *l.* 5. *s.* 9. *ff. de reb. cor. l. pen. ff. de usufr. & legat.* adeo ut & usuram sub se comprehendat, *l.* 6. *ff. de præscr. verb.* & omnes fructus, *Dd. Ll.* At in specie est obventio, quæ ex rebus alienis, quas alius possidet, proficiscitur, *l.* 38. *ff. de usufr. & leg.* Id, quod interest, vel est lucrum cessans, & damnum emergens, *l.* 13. *ff. rem. ab, haber.* Fructus stricte accepti, sunt omnia emolumen-

menta ex rebus, quas is, ad quem fructus pertinent. detinet, & quibus utitur, *arg. §. 35. Inst. de rer. divis.* & usuras quoque sub se complectuntur. Pœna est accessio promissa in casum, quo aliquid fiat vel non fiat. & præstatur in locum usurarum, vel ejus, quod interest, *arg. §. fin. Instit. de V. O.* Usura vero est accessio ad quantitatem.

Estne usura permissa?

Est, modo non excedat modum, & proximum non gravet vel mordeat, nec constituatur in rebus, quæ eam non facile admittunt, *Exod. 22. v. 25. Ezech. 22.* Itaque, sive sit lucratoria, quæ ex mero mutuationis officio dependet; sive punitoria, quæ non tam propter lucrum petentium, quam moram non solventium, in pœnam præstatur; sive sit compensatoria, quæ congrue compensat utilitatem, quam is, qui quantitate usus est, percepit cum damno, quod alter, quod eo caruerit, est passus.

Ex quibus causis præstatur usura?

Vel ex conventione, vel ex mora. Ex conventione. 1. Per stipulationem in omnibus bonæ fidei & stricti juris contractibus, *l. 3. 4. C. h.* 2. Per pactum in continenti [a] adjectum bonæ fidei judiciis, *l. 7. §. 5. ff. de pact.* 3. Per pactum nudum in frumento, aliisque quantitatibus, *l. 12. C h.* In mutuo debito civitatibus, *l. 30. ff. h.* vel argentariis, *Nov. 136. c. 4. & 5.* in pecunia trajectitia, *l. 7. ff. de naut. fœn.* 4. Per conventionem judicialem, id est, litis contestationem, tam in bonæ fidei quam stricti juris, *l. 35. ff. h. l. 5. ff. de reb. cred. l. 5. C. de pact. int. empt.* 5. Ex mora [b] extrajudiciali in bonæ fidei judiciis, *l. 32 §. 2. ff. h.* in legatis & fideicommissis, *l. 1. 2. C. de usur. legat. junct. l. 34. & d. §. 2. ff. h.*

[a] Cum, ut supra dictum, hodie ex pacto deliberato soleat dari actio, non est dubium, quin & hodie ex pacto debeantur usuræ, sine ulla distinctione inter pacta incontinenti vel ex intervallo adjecta. [b] Etiam hodie in bonæ fidei judiciis debentur usuræ ex sola mora, sed in stricti juris judiciis, ut est mutuum, non præstantur usuræ nisi ex conventione, etiam ex nudo pacto.

Quis modus est servandus in usuris?

Is, qui publica authoritate constitutus est, *l.* 26. *C. h.* vel moribus servatur, *l.* 1. *ff. h.* adeo, ut nec ex Antichresi, cum certo constare potest de proventu, *l.* 14. 17. 23. *C. h.* nec ex pœna promissa in vicem usurarum, *l.* 44. *ff. h.* major quantitas deberi possit.

Quid, si creditor minorem admiserit, quam stipulatus est, usuram?

Videtur tacite majori renunciasse, si minor per plures [a] annos fuerit soluta, *l.* 5. *C. l.* 13. *ff. h.*

[a] Hosce annos accipere possumus pro triennio, *arg. l.* 1. *C. de fideicom.* nec obstat *l.* 6. *ff. de usur.* ubi longi temporis fit mentio, quia ibi non de minuendis usuris sed debendis tractatur, seu de præsumptione earum quod solvi debeant.]

Possuntne usuræ usurarum promitti?

Nullo modo; licet etiam in sortem [a] sint redactæ, *l.* 28. *C. h. l.* 2. *C. de usur. rei judicat.* quod & in pupillari pecunia, quam ipse tutor debet, *arg. l.* 29. *ff. h.* non in ea, quam debitoribus exegit, *l.* 58. §. 1. *in f. & §. f. junct. l.* 7. §. 12. *ff. de administr. tut.* recipiendum est.

[a] Idem & hodie observatur, ut notat *Grot. lib.* 3. *p.* 10. In venditionibus a. hoc locum non habet, quia non tam sunt usuræ, quam ipsa sors annua, *Christin. vol.* 1. *dec.* 49. *& vol.* 3. *dec.* 43. *n.* 6.]

Quid, si de facto quis usuras usurarum sit stipulatus?

Contractus per hoc additamentum in totum non erit inutilis, sed, quod amplius est, sorti imputabitur, vel restituetur, *l.* 26. §. 1. *vers. si quis C. h.*

Quomodo distinguuntur usuræ licitæ jure civili?

Sunt aliæ centesimæ; quæ efficiunt duodecim pro centum in annum, & locum habent ex qualibet conventione, in pecunia [a] trajectitia, *l.* 26. *C. h.* Citra conventionem in re judicata, *l. fin C. de usur. rei jud.* in tutela, cum tutor clam in suos usus pecuniam pupillarem convertit, *l.* 38. *ff. de negot. gest.* Aliæ sunt bessæs, ad annum octo in centum, quas stipulari possunt mercatores. [b] Aliæ semisses, quæ faciunt sex in centum; quas stipulari possunt omnes præter Illustres.

Aliæ

Aliæ sunt trientes, quatuor in centum, quas stipulantur Illustres, *d. l.* 25.

[*a*] Hodie quia diversitas periculorum est magna, trajectitia pecunia non admittit certum modum, & excedere licet centesimam, *Grot. lib.* 3. *sect.* 11. Posset quæri de trapezitis, an ab eis liceret pacisci majores quam ab aliis? Placet omnino non posse: licet n. illi majores habeant, non tamen tenentur propterea aliis præstare majores; *Neostad. decis.* 3. [*b*] Hodie mercatoribus conceduntur centesimæ, ut est in *placito* 4. *Octobr.* 1540. *art.* 5. Idem confirmat *Zypæus h. Christin. vol.* 1. *dec.* 193. *in f. Grot. lib.* 3. *p.* 10. *in f.* alii minores debent pacisci, secundum modum quem describit *Grotius d. part.* 10. ut & *Christin. d. l. Coren obs.* 4.]

Quæ appellantur legitimæ usuræ?

Aliquando eæ, quæ communiter solvi solent, *l.* 1. *C. de naut. fæn.* aliquando vel centesimæ, vel besses, vel semisses, vel trientes, prout negotii qualitas postulaverit.

Quibus modis desinunt usuræ deberi?

1. Omnibus, quibus obligatio tollitur; sublata enim obligatione, etiam usurarum obligatio tollitur sive solutio sit facta, sive acceptilatio, sive novatio, sive compensatio, sive consignatio & [*a*] depositio. 2. Si sortem æquent, non tantum quæ sunt solvendæ, sed & [*b*] solutæ, *l.* 10. *l.* 27. *§.* 1. *C. h. Nov.* 121. *&* 138. 3. Si specialis remissio usurarum fiat, *§.* 1. *Inst. quib. mod. toll. oblig.*

[*a*] Solebat olim depositio fieri in æde Sacra, *l.* 19. *C. h.* sed hodie ea tantum fit apud acta, i. e. in loco judicii, *Grot. lib.* 3. *p.* 7. *Mornac. in d. l.* 19. [*b*] Id hodie mutatum est, *Sande lib.* 3. *decis. tit.* 14. *def.* 5. *in fin.*]

Solane oblatio sistit cursum usurarum?

Nullo [*a*] modo; sequi enim debet depositio, *l.* 6. 9. 19. *C. l. in fin. l.* 7. *ff. h.* nisi pecunia habeatur pro deposita, sive à creditore, sive à judice, apud quem deponenda est.

[*a*] Cum a. in *ll.* nonnunquam fit mentio oblationis, id accipiendum est de oblatione plena, *l.* 122. *ff de Verb. obl. junct. l.* 9. *C. de solut.* Sed de eo est præcipua diffi-

cultas, an non tollantur usuræ, quæ ex sola mora debentur? Ad hoc tenendum, etiam ad hanc rem requiri depositionem propter generalitatem textuum; debet enim, ut usuræ sistant cursum, pecunia deponi.]

Quid, si quis solverit sortem, an & postea conveniri potest ob usuras ante debitas?

Si per stipulationem debeantur, recte eas petit creditor, *l.* 1. *C. de judic.* secus, si ex mora, *l.* 4. *C. depos.*

Quomodo distinguuntur fructus?

1. Sunt vel ex ipsis rebus, vel ex rerum occasione. Ex ipsis rebus sunt, vel naturales, vel industriales, *l.* 48. *ff. de acquir. rer. dom. l.* 45. *ff. h.* Naturales, ad quorum existentiam sola natura est operata; uti fœnum, poma ex arboribus ante plantatis, &c. Industriales, quæ non existerent, nisi industria hominum præcessisset: quales sunt, qui ex satione percipiuntur. Qui ex occasione rerum habentur, dicuntur legitimi, sive civiles, *l.* 62. *ff. de rei vind.* Hi etiam sunt vel naturales, vel industriales. Naturales; ut usuræ perceptæ ex mora; merces ædium & fundorum, *l.* 39. *D. de leg.* Industriales; ut vectura, &c. *d. l.* 62. 2. Sunt vel consumpti, vel percepti, vel existantes. consumpti, qui non sunt penes eum, qui percepit. percepti, qui separati à solo, etiamnum sunt penes possessorem, existantes, qui in re sunt, *l.* 44. *ff. de rei vind. l.* 22. *C. eod.* Quinimo & percepti existantibus tantum oppositi, aliquando consumptos; existantes vero tantum consumptis oppositi, etiam perceptos complectuntur.

Quid sunt causæ?

Aliquando significant ipsa principia, ex quibus sunt accessiones; aliquando ipsum modum accessionum. Sic, quod, qui ex administratione rerum civitatis convenitur, usuras debeat, causa & ratio est justa, *l.* 17. §. 7. *ff h.* quantas vero debeat, & ad modum & causam pertinet, *l.* 29 *ff. q.*

Quid sunt accessiones?

Significant omnes fructus, usuras, & similia. Quinimo & ea, quæ accedunt ad ipsas res; uti alluviones, consolidationes, & similia.

Quid

Quid est mora?

Est solutionis faciendæ, vel recipiendæ, frustratoria dilatio. *Quomodo distinguitur?*

Vel est ex persona, vel ex re. Ex persona committitur per interpellationem factam oportuno loco & tempore, vel judicialiter per litis contestationem, *l.* 12. *C. de usur. rei judic.* vel extrajudicialiter, per privatam denunciationem, *l.* 32. *D. h.*

Quot interpellationes desiderantur?

Sufficit unica, *l.* 87. *§.* 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 122. *§. Seja. ff. de V. O. l.* 3. *§.* 1. *ff. quod vi aut clam.*

Se debitor creditorem constituere velit in mora, an sufficit tantum interpellasse?

Siquidem res sit mobilis, debet eam coram offerre; si immobilis, sufficit profiteri, se paratum esse ad satisfaciendum creditori. *Nov.* 91. *c.* 2. *junct. arg. l.* 17. *ff. de peric. & comm. rei. vend. l.* 9. *D. solut. matrim.*

Quid, si debitor pro parte debitum offerat?

Nihil hoc ei proderit, *l.* 13. *§.* 8. *D. de act. empt.*

Quomodo fit re?

Sine ulla interpellatione hominis. 1. Ex sola tardatione circa solutionem. Uti receptum est in eo, qui pupillo vel minori quid debet, *l.* 3. *C. in quib. caus. rest. in integ. non est necess.* In debitore, qui non [*a*] exstat, *l.* 23. *§.* 1. *D. de usur.* vel qui mala fide possidet, *l.* 20. *§.* 11. *D. de pet. hæred.* vel dejecit alterum de possessione, vel aliter deliquit, *l.* 1. *§.* 34. *D. de vi & vi armat. l.* 8. *§. pen. l. fin. D. de cond. furt.* Uti & in eo, contra quem agitur ad libertatem obtinendam, *l.* 26. *§.* 1. *D. de fideicom. libert.* vel ad res dotales, secundum formam, *l. fin. §. præterea. C. de jur. dot.* Nec non in eo, qui fructus ex re aliena percipit, alterique pretium debet, *l.* 5, *C. l.* 13, *§.* 20. *D. de act. empt.* & similibus. 2. Ex die obligationi adjecta, dies enim pro homine interpellat, *l.* 2. *C. de jur. emph. l.* 12. *C. de contr. stipulat.*

[*a*] Præstat ut cum debitor non invenitur, coram judice fiat protestatio de voluntate exigendi seu interpellandi, eò n. videntur pertinere verba in *d. l.* 23. *§.* 1. *D. h. moram esse decerni solet*, ac si decreto aliquo esset opus.]

An & per juramentum ex mora sit?

Nusquam id relatum, proindeque statuendum, quod naturam sui contractus, cui adjunctum est, sequatur. *l. ult. C. de non num. pec.*

Sunine casus, quibus mora, licet interpellatio intervenerit non committitur?

Sunt; uti, si vel nulla competat interpellanti actio, aut, si ulla, ea possit per exceptionem elidi, *l.* 127. *D. de V. O. arg. l.* 14. *D. de compensat.* vel, si debitor justam habeat causam à mora sese excusandi, *l.* 21. 24. *D. h.* quæ causa desumi potest ex *l.* 42. *D. de R. I. l.* 39. *D. solut. mat. l.* 29. *D. mand. &c.*

Estne justa causa difficultas præstandi id quod debetur?

Admitti potest: modo non sit orta difficultas ex persona, vel ejus facto, sed, ex ipsa re, *huc fac. l.* 3. *§.* 3. *D. de act. empt. l.* 41. *§. fin. D de fideicomm. libertat.*

Qui sunt effectus moræ?

Sunt varii. 1. Perpetuat obligationem, *l.* 91. *§.* 3. *D. de V. O. l.* 27. *D. h.* 2. Transfert omne periculum in moratorem, *l.* 23. 24. 82. *D de V. O. l. de legat.* 1. *l.* 12. *D. depos* siquidem alio modo petierit apud eum, quam adversarium, & adversarius rem non vendidisset, *l.* 14. *§* 11. *circa fin. D. quod. met. caus. l.* 10. *§.* 1. *D. ad L. Rhod.* 3. Inducit præstationem fructuum, *l.* 38. *D. h.* & usurarum; ut & obligationem in id, quod interest, *l.* 8. *D de eo quod cert. loc.*

Mora semel commissa potestne purgari?

Datur purgatio moræ usque ad litem contestatam, non tantum in obligationibus puris, sed & iis, quæ diem habent sine pœna, & quæ pœnam habent sine die, *l.* 73. *§. fin. l.* 84. 91. *l.* 122. *§.* 2. *ff. de V. O. l.* 17. *de const. pec. l.* 21. *§. fin.* 22. *ff. de recept. arbitr.* In iis vero, quæ pœnam & diem simul habent, non admittitur, *l.* 23. *ff. de recept. arbitr. l.* 23. *ff. de O. & A.* nisi vel fuerit remissa, vel aliud lege speciali sit constitutum, *arg. l.* 8. *ff. si quis caution. judic. sist.*

Tit.

Tit. 2. De Nautico fœnore. Tit. 33. Lib. 4. Cod.

Quomodo distinguitur fœnus, quod ex mutua pecunia debetur?

Est vel nauticum, quod ex pecunia trajectitia, quæ periculo creditoris trans mare vehitur, debetur, *l. 1. ff. & C. h.* vel id, quod non ad periculum creditoris pertinet.

Ad quam quantitatem licet fœnus nauticum stipulari?

Tantum, ut singulis mensibus præstetur pars centesima, *l. 26. §. 1. de usur. Nov. 110. cap. 1.* quæ corrigit *Nov. 106.*

[a] Hodie etiam excedi potest hæc usura, ut est dictum; Addenda sunt ea quæ tradit *Christin vol. 3. dec. 47.*]

Ex qua causa hoc fœnus debetur?

Non tantum ex stipulatione, sed & ex expresso pacto, *l. 7. ff. h.* Si enim non sit id expressum, pecunia est periculo debitoris, *l. fin. C. h.*

Ex quo casu tenetur creditor?

Ex omni, nisi culpa debitoris quid sit factum; ut, si navis publicata sit propter merces illicitas in eam illatas *l. 3. C. h. junct. l. 5. §. 4. ff. commod.*

Quandiu competit hoc fœnus?

Ad id tempus, quo periculum desinit: sublata enim causa fœnoris, ipsum fœnus tollitur. Verum, tunc succedunt usuræ vulgares *l. 1. & 2. C. h.*

Licetne idem fœnus in terrestribus negotiis stipulari?

Non licet, nisi magnum incommodum, & multa pericula sint subeunda, *arg. l. 5. ff. h.*

Tit. 3. De Probationibus, & Præsumptionibus. Tit. 19. Lib. 4. Cod.

Quid est probatio?

Excellentissimo gradu, est certa demonstratio veritatis de intentione dubia; remissiori etiam est, probabilis & semiplena veritatis ostensio.

Confessio, jusjurandum, & similia, sunne probationis species?

Dici quidem vere non possunt species, sed vim & effectum habent.

Quomodo distinguitur probatio?

Est vel artificialis, vel inartificialis. Artificialis ex ipsa causa, per argumenta & indicia deducitur. Inartificialis consistit in legum, testium, & instrumentorum autoritate.

Quis debet probare?

Qui in facta vel ejus qualitate se fundat, & aliquid asserit, sive sit actor sive reus, *l.* 2. 5, 9, 15, 21, 22. *D. h.*

Quid probandum est?

Id, de quo in judicio controvertitur, *l.* 4, 5. *D. h.* Ea autem facta sunt probanda quæ præcipue ad causæ decisionem pertinent, *l.* 23. *D. h.* non impertinentia, *l.* 11. *D. h.*

Quid, si quis factum neget?

Negationis puræ non est probatio, *l.* 10. *C. de non num. pec. l.* 23. *C. h.* Verum, quæ circumscripta est loco, tempore, vel alia circumstantia, aut adjuncto, optime potest & debet probari, *d. l.* 5. *§.* 1. *l.* 14. *C. de contr. stipul.*

Quando probatio est proponenda?

Post litem contestatam, *tot. tit. ext. ut lit. non contest.* Id verum, si ordinario contendatur judicio: secus in examine, quod fit ad perpetuam rei memoriam, vel cum proceditur per simplicem inquisitionem, aut citra solemnem ordinem, vel si sint probandæ exceptiones dilatoriæ, eæve, quæ litis ingressum impediunt, *l.* 55. *ff. de judic. l.* 13. *C. de except. Nov.* 53. *c.* 3.

Potestne fieri probatio post quartam productionem, aut post publicata testimonia?

Non (*a*) recte, *auth. at qui semel. C. h.* minus ergo post causæ conclusionem, nisi sit causa criminalis, & probanda rei innocentia: ejus enim probatio & post rem judicatam recipi debet.

(*a*) Post didicita testimonia ulterior probatio etiam hodie secundum mores non admittitur; uti decisum est

est *Instruct. Cur. Holland. art.* 146. verum si quis bona fide petat à Curia, ut ulterius quid probare possit, non solet id negari, ne cuiquam præcidatur defensio justissimæ causæ.

Quæ probationes sufficiunt?

In criminalibus, *l. fin. C. h.* matrimonialibus, & similibus arduis, debent esse luce meridiana (*a*) clariores; aliàs eæ sufficiunt, quæ conscientiam judicis satis instruunt, prout ipse fuerit arbitratus.

(*a*) Luce a. clariores esse dicuntur, siquidem etiam sunt indubitata indicia, *l. fin. C. h.* Non a. suspiciones ullæ vel præsumptiones, sed ejusmodi indicia, quæ jure sunt prodita, *l.* 15. *C. de J. Dot.*]

Probaturne homicidium per effluxionem sanguinis ex cadavere occisi, accusato adstante?

Nullo modo, *d. l. fin. C. de prob.* pariter & Sagarum immersio in aquam, ad probationem criminis ab iis commissi non sufficit.

Quid est præsumptio?

Nihil aliud, quam de re aliqua conjectura, quæ à lege vel homine recipitur ex circumstantiis personæ, facti, vel communi rerum ordine.

Quomodo distinguitur?

Est vel juris, vel hominis. Iuris, vel est juris de jure, vel juris tantum de facto. hominis, cum homo quid præsumit.

Da exempla singularum specierum?

Per præsumtionem juris de jure, fœmina, quæ in publico instrumento, tribus testibus confirmato, confessa est, se pecuniam accepisse, ut intercederet, *l.* 23. *C. de S Consulto Vellejan.* vel quæ intercurrente biennio bis interceßit in eadem causa, *l.* 22. *C. eod.* SConsulti Vellejani excidit beneficio. Similiter, qui passus est, cum in chirographo esset confessus se accepisse quod non accepit, illabi biennium, ipso jure per literas est obligatus, *pr. Inst. de liter. oblig.* Per præsumptionem juris de facto, qui in re illicita versatur, dicitur esse in dolo, *l.* 41. *ff. ad L. Falcid.* Qui instrumento apto ad interficiendum aliquem interfecit, dicitur animum occidendi habuisse, *l.* 1. *§.* 3. *ff. ad. L. Corn. de Sicar.*

Homi-

Hominis præsumptio est, cum homo de aliquo quid præsumit, ex quo ad quid agendum inducitur.

Estne regula aliqua circa præsumptiones?

Qualitas naturalis præsumitur semper inesse, nisi contrarium probetur: accidentalis semper abesse, nisi probetur; & semel adesse probata, nisi valde sit mutabiiis & fluxa, adesse creditur.

Tit. 4. De fide Instrumentorum, & amissione eorum. Tit. 21. Lib. 4. Cod.

Quid sunt Instrumenta?

Tabulæ, vel scripturæ, ad fidem rei gestæ [a] probandum confectæ: uti instrumenta obligationum, quæ communiter appellamus cautiones; apochæ, quas debitor, cum solvit, in probationem solutionis accipit; antapochæ, quæ præstantur creditoribus ad probationem solutionis factæ à debitoribus. hæ sunt utiles in annuis præstationibus, vel aliis negotiis, in quibus creditores nullas habent cautiones & validas probationes sui juris. ut per hasce fiat probatio.

[a] In specie hic notandum est, quod instrumenta debeant continere non tantum causam, ut recte probent, non tantum confessionem de debito, sed & probatam ac certam causam, *l. 25. §. ult. ff. h.* Hoc ita est accipiendum, cum dubitari posset de causa, cæterum si ex circumstantiis colligi potest causa, ea est habenda pro expressa, ut notat *Papon lib. 10. tit. 2. Arrest. 2.*

Quomodo distinguuntur instrumenta?

Sunt vel publica, vel privata. Publica vel vere, vel quasi. Vere publica, quæ apud acta sunt concepta, vel postea sunt legitime insinuata, vel ab iis, qui publicam judicii habent authoritatem, sunt confecta, *l. 19. C. de testam.* Quasi, quæ coram Notario & testibus, *cap 1. & 2. extr. h.* vel coram tribus testibus sint confecta, *l. 11. C. qui pot. in pign.* Constat ergo, quod privata sint, quæ privatam habent authoritatem ac fidem.

Quando producuntur instrumenta?

Post litem contestatam, parte ad hoc citata, *l. 18.*

C. h. imo possunt [*a*] produci usque ad definitivam, *c. 9. extr. h.*

[*a*] Adeoque recte dicit *Gail lib 1. obs. 105. n. 4.* quod produci possunt instrumenta etiam post publicationem testium]

Quam habent authoritatem probandi instrumenta?

Publica, ipsaque authentica, (non [*a*] exempla, *l. 2. D. h.* nisi authoritate judicis, vel voluntate partium transumta sint ex originali,) plene probant eodem modo, quo sufficiens testium numerus, *l. 11. 15. C. h.* Privata probant quidem contra scribentem, *l. 26. §. fin. ff. depos. Auth. si quis. C. qui pot. in pign.* non contra tertium, *l. 11. C. qui pot.* at non pro scribente, nisi adversa pars ea produxerit, *l. 17. C. de test.* vel sint antiqua, aut mors scribentis fidem auxerit: quod judicis arbitrio relinquendum.

[*a*] Quomodo fiat exemplatio ad plenam probationem, describit *Gail lib. 1. obs 94. n. 2.* Adde *Specul. in tit. de instrument. edit. §. ostenso. n. 32. vers. similique modo.* Adde & *Gail d lib. obs. 134. n. 24.*

Quid juris in rationibus vel annotationibus privatis, sive testamento?

Nihil prosunt, si aliis adminiculis destituantur, licet confirmentur juramento, *l. 5. 6. & 7. C. de probat.* Id vero in testamento receptum, quod, si testator jurato declaraverit modum suæ substantiæ, id officiat hæredibus, non creditoribus, *Nov. 48. c. 1.*

Qua ratione creditur libris mercatorum?

Non quidem iis absolute habetur fides, sed quia adversarii fidem eorum sunt secuti, in supplementum jurant mercatores.

[*a*] Siquidem negetur contractus cum mercatore habitus, liber mercatoris nihil efficiet, si a. contractus non negetur in totum, sed quæstio sit tantum de quantitate precii & simili, creditur libro mercatorum confirmato per jusjurandum, vel per mortem, *Ioannes de passer. tract. de privat. script. c. 21. n. 11.* Adde *Gail lib. 2. obs. 20. n. 8. Christin. vol. 3. dec. 21.*

Quid,

Quid, si instrumentum sit amissum?

Id non obest rei veritati, *l.* 6, 7, 8, *C. h.* modo ea aliter demonstrari possit.

Quid, si convenerit, ut scriptura negotium perficeretur?

Non prius id effectum habet, quam totum negotium in mundum sit redactum, & subscriptiones & alia requisita accesserint: adeo ut & ante pœnitere liceat *l.* 17. *C. h.* ut, si data sit arrha, eam amittat qui dedit, vel duplicatam restituere debeat qui accepit, *d. l.* 17.

Tolli testes per testes publicum instrumentum convelli?

Non est (a) dubitandum; modo justus sit numerus, & sufficiens cautela. Sic, si testes, qui instrumento subscripserunt, ei contradicant, præferetur fides testium; quia non à scriptura, sed testium conscientia veritas dependet, *Nov.* 37. *c. h.* Si vero per extraneos impugnetur, instrumentum testibus confirmatum prævalebit; modo non sit tantus extraneorum numerus, qui negotio interfuerunt, ut judex pleniorem fidem testibus tribuere cogatur.

(a) Vide *Merul. lib.* 4. *tit.* 66. *c.* 22. *n.* 5. *Covarruv. variar. resol. lib.* 2. *c.* 13.]

Quid, si instrumentum inveniatur penes creditorem, & debitor alleget solutionem?

Debet probari solutio quinque [a] testibus idoneis, *l.* 11. *C. de testib.*

[a] Id quidem Jure Civili receptum est, quia contra eum qui se solvisse dicit, militat ipsum instrumentum, quia nemo præsumitur velle permittere, ut Chirographum maneat penes creditorem, cum solutio est facta, & ipse non habeat apocham, sed secundum mores ab hoc jure receditur, modo duo vel tres testes liquido deponant sese præsentibus solutionem esse factam.]

Si dubitetur de fide instrumenti, tolli testes admitti comparatio literarum?

Non facile ex ea sola quis condemnabitur, & si instituenda sit, non fiet ad privatum instrumentum, sed ad publicum, advocatis etiam iis, qui hujusmodi rei sunt periti, *l.* 20. *C. h.* Et, si aliqua fiat contradictio, procedit judex ad delationem jurisjurandi, *Nov.* 73. *c.* 2. & 3. *c.* 7. *§. si vero.*

DE

DE NOTARIIS.

Quis est Notarius?

Publica persona, à [a] magistratu prævio examine constituta, ad instrumenta conficienda bona fide.

[a] Hodie solent Notarii creari à Principe, vel eo senatu, qui Principis loco est.]

Qui possunt esse Notarii?

Homines, quorum fides cognita est, quique se idoneos ostenderunt.

De quibus rebus conficiunt instrumenta?

Tantum de honestis & lege non vetitis, *l.* 14. *§.* 3. 4. *C. de SS. Eccles.*

Quid, si à putativo Notario scriptum sit instrumentum?

Ob falsitatem ipse gravissime punietur, *l.* 27. *D. ad L. Corn. de falsis.* Verum, quod ab eo descriptum est, ob utilitatem, si publice pro notario sit habitus, effectum habebit, *arg. l.* 3. *ff. de offic. prat.* nisi falsitas aliqua ipso negotio arguatur.

Possuntne cogi Notarii, ut conficiant de negotiis inter alios gestis instrumenta?

Possunt, sive negotiis interfuerint, sive non; quia eorum officium est publicum.

Quomodo officio suo optime funguntur?

Oportet eos instructos esse protocollo, in quod referant omnia, quæ proponuntur. Deinde debent personas bene nosse, &, si dubitent, nomina testium, qui eos norunt, & habitum, sive signa, si quæ sunt in personis ipsis incognitis adscribere; denique rem gestam rite annotare.

Quæ præter rem gestam addere debent in instrumento?

Nomina, cognomina, officia, & domicilia eorum ad quorum rogationem scribunt; locum, annum, mensem, diem contractus: & postea instumentum muniri oportet subscriptione partium, ipsorum Notariorum, & testium.

Esne necessaria mentio nominis divini?

Præstat [a] omitti; ne ulla in re temere & sine necessitate id usurpetur.

[a] In praxi in causis magni momenti, quales sunt ma-

matrimoniales & testamentariæ, solent ut plurimum Notarii adscribere hæc verba: *In nomine Domini &c.* sed ad essentiam nihil faciunt, & præstat sacrosanctum hoc nomen omitti, quam temere usurpari, nec praxis Notariorum consuetudinem inducere potest, quia in solemnitatibus semper est præsumptio, ne quis eas teneatur adhibere, de quibus jure non est statutum, *l.* 22. *ff. de testam.*]

Quid, si Notarius quid dolo vel errore commiserit, vel omiserit?

Ex culpa tenetur læso ad id quod interest, *arg. Nov.* 47 *l. ult. ff. de extraord. cognit.* ex dolo præterea graviter puniendus.

Plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur. Tit. 22. Lib. 4. Cod.

Quid, si simulate quid sit conceptum?

Plus valet quod agitur, quam quod simulate vel erronee est conceptum, *l.* 1. *& tot. tit. C. h.* sive simulatio contingat de persona in personam, cum scilicet alius contrahens subornatur, *l.* 2. 4. *C. h.* sive de contractu in contractum, *l.* 3. *C. h. l.* 5. *§. ult. l.* 6. *ff. de distr. pign.* sive de re in rem; ut, cum pro pecunia data de frumento est scriptum, *l.* 7. *§ mutui ff. de S. Consulto Maced.* vel de modo in modum; uti, de quo pure convenit, si sub conditione gestum narretur.

Tit. 5. De Testibus. Tit. 20. Lib. 4. Cod.

Qui sunt testes?

Personæ, quæ ad fidem in alieno negotio faciendam accedunt.

Qui possunt esse testes?

Qui non prohibentur. Prohibentur aliqui natura; uti mente capti, infantes: aliqui [*a*] lege ex justa causa; uti qui publico judicio sunt damnati, qui in custodia publica sunt, impuberes majores infantia, *l.* 3. *§.* 5. *D. h.* omnes in re propria, domestici, *l.* 3. 5. 6. *C. l.* 10. 19. *D h.* aliqui per sententiam, ut, qui intestabiles sunt jussi, *l.* 21. *D. h.* [*a*] is in testamento testimonium

monium quoque dici non potest, & omnis testandi facultas est adempta, *lib. 26. ff. qui test. fac. n. poss.* [a] Jure Canonico mulier in causa criminali non potest esse testis sufficiens, *can. 17. dist. 33. Q. 5.* sed id non est receptum, ut tradit *Zypaus h.*]

Possuntne infames esse testes?

Non quidem simpliciter [a] prohibentur, sed omni exceptione majores non sunt, *l. 3. D. h.*

[a] Hodie regulariter solet judex quoslibet testes audire, salva reprobatione eorum, vel quoad personam, vel quoad dicta *Zyp. h. vers. moribus. Bus. in l. 3. §. I. ff. h.*]

Amicus potestne nominari testis?

Potest: sed, si magna sit familiaritas, non erit pro optimo teste admittendus, *d. l. 3.*

Possuntne socii vel advocati esse testes?

In causa, in qua [a] advocati sunt vel fuerunt, etiam procuratores non recte admittuntur, *l. ult. ff. h.* Sic nec socii, cum de re communi tractatur, *arg. l. 1. §. 11. ff. quand. appelland.*

[a] Idem confirmat *Sande lib. 1. tit. 11. def. 4. Ant. Faber C. h. def. 19.* interim pars adversa potest advocatum adversarii sui in testem advocare, *Guido pap. Q. 45. Christin. vol. 1. dec. 83. Costal. & Autumn. h.* Id a. ita temperandum est, ut advocati ab adversario in testes producti non possint nec debeant secreta causæ suorum clientum revelare, *Argentr. art. 157. in f. Christin. d. dec. 83. n. 7, 8.*]

Quid de municipibus in causa municipii statuendum?

Siquidem commodum singulos, non municipium spectet, testes idonei non sunt, *arg. d. l. 1. §. 11.* Nec, si municipium negocium concernat, sine scrupulo sunt admittendi, *d. l. 1. §. 12. junct. l. 3. C. h.*

In dubio sunne testes habiles vel non?

Pro habilibus sunt reputandi; semper enim ea interpretatio sumenda, quæ vitio quem laborare negat.

Quando producendi testes?

Lite contestata, *l. 1. & 2. extr. h.* nisi quis desideret eos examinari ad perpetuam memoriam, ut si senes sint vel debiles. Citari autem debet adversarius, ad

ad videndum præstari juramentum à testibus,& ad interrogatoria proponenda, *arg. l. pen. C. h. Nov. 90. c. fin.*

Cujus sumptibus fieri debet examen ordinario?

Producentis, [a] *l.* 11. 16. *C. h.*

[a] Scilicet provisionaliter, si n. is producens postea in causa triumphet, & impensæ non compensentur, sed addicantur producenti, potest is eas imputare adversario.]

Possuntne cogi testes ad testandum?

Possunt pignoribus captis, aut mulctæ indictione, si subsint jurisdictioni, *arg. l. fin. D. de jurisd.* Et venire debent ad ipsum judicem. Nec sufficit attestationem ab iis dari; quia non testimoniis, sed testibus creditur. Interim ad honestas matronas, *l.* 2. *s. fin. autem. C. de jurejur. propter calumn.* ad senes & debiles, & ad personas egregias, *l.* 15. *D. de jurejur.* judex ipse ibit *l.* 10. *s.* 5. *D. de quæst.*

Debentne & testes jurare?

Præstant jusjurandum veritatis; quod non potest à judice remitti, si pars adversa sese opponat, *c.* 5. *extr. h. l. 9. pr. C. h.*

Quot testes sufficiunt ad quid probandum?

Non unus, *l.* 9. *s.* 1. licet præclaro curiæ honore præfulgeat, *l.* 9. *s.* 1. *C. h.* Aft, nisi lex in specie plures desideraverit, sufficient duo, *l.* 12.

Quid, si sit suspicio prava de testibus?

Præstat eos omnino non admitti, vel, si admittantur protestari, non aliter admitti, quam ut contra eos vel dicta eorum dici possit quod res exigit.

Quid, si testes vacillent?

Non est habenda iis fides, *l.* 2. *D. h.* imo & puniuntur, *l.* 16. *D. h.* nisi in continenti errorem correxerint.

Quid, si dubitetur de fide testium?

Judicis arbitrio relinquendum, quantum fidei sit iis tribuendum, *l.* 3. *per. tot. ff. h. t.*

Tit. 6. De Juris & facti ignorantia. Tit. 18. Lib. 1. Cod.

Quomodo distinguitur ignorantia?

Est vel juris vel facti. Facti, sive proprii; quæ non facile

facile excusatur. [a] *l.* 3. *D. h.* vel alieni; quæ præbet excusationem, *l.* 2. *D. h.* modo non sit supina, *l.* 3. *s.* 1. *l.* 6. *D. h.*

[a] Huc etiam facit *l.* 15. *C. de rescind. vend.* Id a quod hic dicitur, debet limitari in facto valde antiquo; valet n. in eo hæc regula: Omnium meminisse potius divinitatis quam humanitatis est]

Quid est servandum in errore juris?

Vt nunquam prosit in lucro, nunquam noceat in damno, sive sint mares, sive fœminæ, *l.* 2. 3. *C. l.* 7. 8. *D. h.* Facilius vero mulier ob ignorantiam juris excusatur.

Quibus ergo est permissum jus ignorare?

Minoribus, militibus, ut nullum omnino damnum patiantur, *l.* 9. *pr. D. h. junct. l.* 1. 2. 11. *C. eod.* Si autem quis ignoret id, quod pugnat cum jure naturali, & delinquat, non excusatur à pœna, *l.* 1. *D. de Ll. l.* 38. *s.* 1. *& seqq. D. ad L. Iul. de adult.*

PANDECTARUM.

LIBER XXIII

Tit. 1. De Sponsalibus. Tit. 1. Lib. 5. Cod.

Quid sunt sponsalia?

Mentio & repromissio futurarum nuptiarum, *l.* 1. *D. h.*

Quomodo distinguuntur?

Sunt aut de futuro, aut de præsenti. De futuro, cum dicitur, accipiam te in uxorem, de præsenti, accipio te in uxorem. Vix hodie sponsalia de præsenti (a) distinguuntur à nuptiis.

[a] Itaque sunt verum matrimonium, ut eleganter & late notat *Berlich p.* 3. *conclus.* 25. *n.* 6. *& seq.*]

Quomodo distinguuntur sponsalia de præsenti?

Sunt vel non clandestina, quæ contracta sunt coram iis, quorum consensus desideratur; vel clandestina, quæ non ita inita sunt, *c.* 2. *in pr. c.* 3. *s.* 1. *extr. de clandest. desponsat.*

Qui

Qui possint ergo contrahere?

Majores septem annis, *l.* 14. *D. h.* modo, si in potestate sint, consentiant illi, in quorum sunt potestate, *l.* 7. *§.* 1. *D. h. junct. l.* 2. *D. de rit. nupt.* Est vero distinctio inter filium & filiamfamilias, quod filius consentire debeat, *l.* 13. *D. h.* sufficiat vero filiamfamilias non [*a*] dissentire. Nec filiafamilias dissentiendi habet facultatem, nisi pater eligat sponsum turpem, vel indignum, *l.* 7. *§.* 1. *l.* 12. *pr. & §.* 1. *D. h. t.*

[*a*] Id hodie non obtinet, ut tradit *Autumn.* cujus sententiæ evidens argumentum est in *l.* 21. *D. de rit. nupt. l.* 134. *ff. de verb. obl.*]

Quomodo contrahuntur?

Solo consensu, *l.* 4. *D. h.* sive absentes, sive præsentes fuerint contrahentes, si etiam postea ratahabuerint sponsalia, *l.* 4. *§. D. h.*

Valetne conventio, accipiam te in uxorem, si mille tibi sint in dote?

Etsi quidem non dotibus, sed affectione matrimonia ineantur, tamen hæc conventio sub conditione valet, *tit. unic. h. in* 6.

Quid, si sint sponsalia inita de futuro cum Titia, post & de futuro cum Sempronia jurato?

Oportet secundum jus Canonicum, prima [*a*] sponsalia sequi, *c.* 10. *c.* 22. *extr. h.* At, si de futuro primum ineantur cum Titia, postmodum de præsenti cum alia, solventur priora, *d. c.* 22.

[*a*] Hodie cum quisque tenetur ex pacto is, qui potestatem contrahendi habet, tenetur fidem suam conjugalem liberare secundum prima pacta de nuptiis; cæterum cum & hodie requirantur tres proclamationes publicæ secundum *concil. Trident. sect.* 24. *c.* 1. & *Polit. Ordinat. Holl. art.* 3. ubi istæ proclamationes fuerunt factæ, & copulatio publice secuta, ulterius de sponsalibus & pactis de nuptiis non quæritur.]

Quid, si copula carnalis sit secuta post inita sponsalia?

Tenent, & in veras (*a*) nuptias transeunt, *cap.* 15. *extr. h.*

(*a*) Debet a. secundum statuta, quæ in Belgio observantur,

vantur, post dictas proclamatines sequi copulatio, ut matrimonium vere initum dici possit.]

Tolluntur ne sponsalia multis modis?

1. Mutuo dissensu, *c. 2. extr. h.* 2. Renunciatione alterutrius (*a*), vel patris, in cujus potestate est alteruter, *l.* 1. 10. *ff. h.* non curatoris, *l.* 6. *ff. h.*

(*a*) Id hodie non procedit; ut notant *Christin. vol.* 3. *dec.* 124. *n.* 44. *Everard. consil.* 178. *n.* 7. *& seqq. Zanches de matrim. lib.* 1. *disp.* 29. *n.* 4. ne quidem cum arrharum dispendio, *Christ. d. dec. n.* 3. 4. *Zanches d. lib.* 1. *disp.* 48. hæc ita nisi fuerint clandestina sponsalia, quia ea jure non consistunt.

Hoccine impune fiet?

Si major sine justa causa renunciaverit, arrham acceptam reddit in duplum, minor in simplum, vel quam dedit amittit: &, si pater renunciet, acceptam reddit duplicatam, datam non repetet, *l.* 5. *C. h.*

Quid, si ex justa causa vel morte fiat dissolutio?

Non fiet jactura arrharum, *d. l.* 5. *junct. l.* 3. *C. h.*

Si Rector provinciæ, vel ad rem pertinentes, sponsalitias dederint arrhas. Tit. 2. Lib. 5. Cod.

Quid, si Rector provinciæ arrham dederit?

Cum nuptiæ inter provincialem & præsidem subsistere non possint, id sponsæ rectoris provinciæ est datum, ut possit impune nuptias recusare, vel ante, vel post depositam administrationem, *l. unic. C. h.*

De Donationibus ante nuptias vel propter nuptias, & Sponsalitiis. Tit. 3. Lib. 5. Cod.

Suntne permissæ donationes ante vel propter nuptias?

Sunt (*a*), imo quæ ante sunt factæ, ad exemplum dotis possunt augeri, *l.* 19. *l. fin. C. h.*

(*a*) Hodie donatio fieri potest à sponso vel sponsa, quoties non est facta copulatio publice & solemniter, *art.* 3. *Polit. Ordinat. Neostad. de pact. antenupt. dec.* 15. *& 2. seqq. Coren consil.* 26. *n.* 64. *Grot. lib.* 1. *p.* 5.]

Quid

Quid juris in sponsalitiis largitionibus, quas sponsus sponsæ, vel sponsa sponso facit?

Vt non secutis nuptiis citra culpam donantis possint repeti. Habent enim hæ largitiones tacitam conditionem futurarum nuptiarum, *l.* 15. *C. h.*

Quæ utilitas ex tali donatione acquiritur uxori?

Præterquam, quod mariti bona uxori [a] sint tacite pro dote oppignorata, *l.* 30. *C. de jur. dot.* & præferatur mulier aliis creditoribus, *Nov.* 97. *c.* 3. Etiam per donationem propter nuptias hanc cautionem mulier consequitur, ut, si maritus ad inopiam vergat; aut dotem consumat, possit res propter nuptias donatas à quibuslibet possessoribus vindicare, *l.* 29. *& auth. seq. l.* 30. *pr & seq. C. h.* Deinde immobilia donata non possunt ab eo alienari, licet consentiat fœmina, nisi transacto biennio iterato consentiat, & ex aliis bonis mariti, redigi possit, ex quo succurratur mulieri, *Nov.* 61. *c.* 1.

[a] Obiter hic notandum, quod sponsa jocalia ut & arram lucretur, *Sande lib.* 2. *decis tit.* 2. *def.* 8. *Grot.* 2. *part.* 12. 2. Quod donationes hodie non respectu dotis fiant, i. e. ad dotis exæquationem, sed quod sponsus sponsæ vel vice versa eas faciat simpliciter, vel in causam mortis alterutrius.]

Egetne hæc donatio insinuatione?

Nullo [a] modo, *Nov.* 119. *& auth. Eo decursum. C. h.* nisi qua vir pro rata donationis lucrum ex dote sperat *Nov.* 127. *c* 2.

[a] Siquidem hodie fiat donatio reciproce, non opus erit insinuatione, si a. ab una parte, non valebit donatio quoad summam excedentem, nisi coram pluribus & interventu amicorum utrimque sit facta.

Tit. 2. De ritu nuptiarum. Tit. 4. Cod. Lib. 5. Inst. 10. Lib. 1. de nuptiis.

Quid sunt nuptiæ?

Viri ac mulieris justa conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, *§.* 1. *Inst. de patr. potest.* vel consortium omnis vitæ, divini atque humani juris [a] communicatio, *l. D. h.*

[a] In

[a] In Hollandia & plerisque locis Belgii confœderati est inter conjuges bonorum communio, si aliter pactis nuptialibus non sit provisum; In Frisia autem tantum est quæstuum communio, nisi aliter placuerit; Jure autem Romano non erat communio ulla, sed dos constituebatur, cujus contemplatione maritus pro fructibus, quos ex ea percipiebat, sustinebat omnia matrimonii onera, *l. 7. ff. de J. Dot.* & cedebat mariti commodo & incommodo omne lucrum & damnum, quod stante matrimonio incidebat; itaque eodem jure verba *divini atque humani juris communicatio*, non ad bona seu realia, sed ad personas seu personalia sunt referenda.]

Quæ requiruntur ad justas nuptias?

1. Ut contrahentes sint cives Romani, *pr. Inst. h.* 2. Ut sint puberes, *d. pr.* Non vero semper conducit, ut nuptias ea ætate statim contrahant. *Nov.* 100. *c.* 2. 3. Ut consentiant omnes, hoc est, qui coëunt, & quorum in [a] potestate sunt, *l.* 2. *ff. h.* 4. Ut non prohibeantur ex jure consanguinitatis vel affinitatis, *s.* 1. 2, 3, 5. 6. *Inst. h.* 5. Ut contrahentes natura non sint inidonei ad liberos procreandos, hoc est, non laborent constitutione corporis nimis frigida; quia finis matrimonii est procreatio liberorum. 6. Ut speciali lege non prohibeantur nuptiæ.

[a] Hodie in Hollandia non tam jure potestatis, quam alio quod lex æstimat, filii minores 25 annis, filiæ 20 minores prohibentur contrahere nuptias, atque ex nuptiæ etiam sunt nullæ, licet copula carnalis sit secuta; Idem & in Zelandia & in Frisia, *Polit. Ordin. Holland. art.* 3. & *Zeland. art.* 7. *Sande lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 2, 4, 7, 8. Adde *Grot. lib.* 1. *p.* 8. *s.* 't *Huwelijk*. Et quidem generaliter ubique est receptum placitum *Caroli V* promulgatum 4. *Octobr. anni* 1548. quo constitutum est, ut qui citra consensum parentum contraxerunt nuptias, nihil ulla ratione in se invicem possint transferre, licet etiam ratihabitio intercesserit.

Qualis requiritur consensus?

Qui caret metu, dolo. Error circa bona, aliamque

causam sive qualitatem extrinsecam, non est impedimento nuptiis: cum & cum pauperrimis, modo natæ sint ex ingenuis parentibus, fœminis matrimonium valeat, *l. 7. C. de incest. nupt.* Furor. *l. 8. de sponsal.* profunda ebrietas, *arg. cap. delect. extr. eod.* obstant (*a*) nuptiis contrahendis.

(*a*) Etiam obstat error circa personam, siquidem probabiliter is demonstrari potest; Ratio est, quia in nuptiis principaliter de persona agitur.

Quid statuendum de metu reverentiali?

Etsi pater liberos, quos habet in potestate, non possit cogere ad nuptias, *l. 2. 21. ff. h.* tamen matrimonium optime valet, quod ex sola reverentia in patrem liberi iniverunt, *l. 22. ff. h.*

Quorum parentum consensus desideratur?

Tantum eorum, in quorum potestate constituti sunt, *pr. Inst. 4. l. 2. ff. h.* & jure civili, etiam filia, licet sit sui juris, cum minor est 25 annis, vel sit vidua, sine partis consensu non recte nubit, *l. 18. 20. C. h.*

Quid, si pater sit furiosus?

Contrahetur matrimonium coram Præside & nobilioribus in familia, qui defectum qui in patre est supplebunt, *l. 25, C h.*

Annon matris vel propinquorum requiritur judicium, patre mortuo, aut vivente?

Nullo (*a*) modo, si pater vivat, *Dd. Ll.* Verum, eo mortuo, & matris & propinquorum arbitrium explorari debet; &, si inter matrem & propinquos sive cutatores sit dissensus, & puella cultu verecundiæ enunciare nolit, cui nubere velit, is qui jurisdictioni præest sese interponet, *l. 1. 20. C. h.*

(*a*) Hodie secundum allegata loca desideratur præcise & consensus matris & non rejicitur consensus curatorum, *Grot. d. p. 8.* & *edict. Caroli V.*

Qualis consensus parentum desideratur?

Etsi quidem *pr. Inst. h.* mentio fiat (*a*) jussus, qui, si eum formaliter accipiamus, præcedere debet; tamen sufficere in hac re expressum vel tacitum consensum, si pater non contradixerit, verius est, *l. 5. C. h.*

(*a*) Vide *Sande lib. 2. tit 1. def. 1.* Et id tenendum est hodie

hodie vigere, quod si pater vel mater non contradixerint proclamationibus, de quibus est certioratio facta, nuptiæ valeant, *arg. l. 1. C. h. Peck. de testam. conjug. cap. 5.*

An & ratihabitio hic admittetur?

Cum generatim in omnibus sit recepta, *l. fin. C. ad SCtum Maced.* etiam in hac (*a*) causa, in qua nusquam specialis tradita exceptio, admittenda est: maxime, propter favorem legitimi status liberorum. Verum, si pater moriatur, antequam ratas habeat sine consensu suo initas nuptias, nuptiæ ante contractæ nullius momenti, & liberi ex iis nati sunt illegitimi. *l. 11. ff. de stat. hom.*

(*a*) Nec obstant verba in *pr. Inst. de nupt. Jussus præcedere debeat*, quia jussus ibi non accipitur formaliter, sed pro consensu etiam tacito. 2. quia ratihabitio repræsentat jussum, *l. 1. §. 6. ff. quod jussu.*

Quid ergo, si de facto absque parentum, quorum consensus desideratur, consensu nuptiæ contrahantur?

Sunt nullius momenti; nec est dotis, nec donationis propter nuptias exactio, & liberi sunt illegitimi, *§. 11. Inst. h.*

Atqui dicitur in l. 1. §. fin. ff. de liber. exhibend. Bene concordans matrimonium & forte liberis subnixum, non est turbandum propter patriam potestatem.

Id verum est in matrimonio jure jam inito, non in contrahendo. Etsi enim magna sit & legitima vis patriæ potestatis, ex qua pater posset agere ad liberos sibi exhibendos, non tamen ex ea rescindendum est matrimonium concordans, *d. l. 1. in fin.*

De incestis & inutilibus nuptiis. Tit. 5. Lib. 5. Cod.

Ad quem gradum ob cognationem nuptiæ prohibentur?

In linea recta, hoc est, inter ascendentes & descendentes, in infinitum: licet per adoptionis vinculum tantum sibi invicem sint vel fuerint juncti, *d. §. 1.*

Atqui dicitur l. 55. §. 1. ff. de rit. nupt. quod soluta adoptione possit quis ducere patris adoptivi matrem?

Distinguendum est; aut vinculum adoptionis im-

mediate inter certas personas contractum est, ut inter patrem adoptantem & filiam adoptatam, inter avum adoptatum & neptem adoptatam; aut mediate, uti inter filiam & matrem patris adoptantis: illo casu, vinculo etiam soluto, nuptiæ non valent, *d. §.* 1. hoc valent, *l.* 55. *§.* 1.

Quæ est prohibitio in linea transversali, hoc est, inter collaterales?

Tantum inter fratres & sorores, licet adoptionis vinculo jungantur, nisi soluta sit adoptio, *§.* 2. *Inst de nupt.* & inter fratrem vel sororem, & fratris vel sororis descendentes in infinitum, quia sunt sibi invicem parentum vel liberorum loco, *§.* 3. *&* 5. *Inst. h.*

Duorum fratrum vel sororum, vel fratris & sororis liberi, possuntne matrimonio jungi?

Possunt, & jure divino & civili, *Num.* 36. *v.* 11. *§.* 3. *Inst. l*, 3. *ff. l.* 12. *C. de nupt. l.* 78. *§.* 8. *ff. ad SC. Trebill.*

Videtur obstare authoritas Caji in fragmentis, & Theophili paraphrasis ad d. §. 4.

Quia fragmenta Caji corrupta ad nos pervenerunt, & extra corpus juris sunt, & dicta paraphrasis scripta est singulari privati IConsulti authoritate, legem bene constitutam turbare non possunt.

Quid jure Canonico in hac re statutum?

Iure novissimo, prohibitæ sunt nuptiæ in linea collaterali usque ad quartum gradum inclusive, *cap. penult. & ult. extr. de consanguin.* in recta, in infinitum.

Quomodo propter affinitatem sit prohibitio?

Et jure [a] divino, *Levit.* 18. *v.* 14. & Iure Canonico, *cap.* 1. *&* 2. *extr. de consanguin.* ad eundem gradum prohibentur nuptiæ ob affinitatem, ad quem ob cognationem. quam regulam tenendam esse conscientia nos monet: cum conjuges unam personam repræsentent, & Deus per Mosem viduam patrui, nominet patruum.

[a] In specie a. tenendum est, quod ex contractu matrimonii solo non contrahatur affinitas, sed ea oriatur ex sanguinis commixtione, ita notat *Besa de divort. cap. an affinitas &c.* Hinc videmus *Levit.* 18. non agi de

de pactis, sed de ipsa commixtione, ut patet ex verbis: *nuditatem ne detegito.*

Possuntne Comprivigni matrimonio jungi?

Possunt, §. 8. *Inst. de nupt.* quia nec sanguine, nec affinitatis jure se invicem contingunt.

At obstat text. Lev. 18. v. 11. ex versione Piscatoris.

Secundum omnium fere interpretum fidem is textus debet accipi, non, ut Piscator voluit, de comprivignis, sed de fratre & sorore consanguinea.

Quid, si initæ sint nuptiæ inter tales prohibitos?

Dicuntur incestæ, vel jure gentium, si in linea recta cognationis vel affinitatis sint contractæ: vel jure civili, si in transversali, *l. fin. ff. de nupt. l. 38. pr. §. 1. & seqq. ff. ad L. Iul. de adulter.*

Quæ est pœna incestarum nuptiarum?

In genere pro nullis habentur, §. 11. *Inst. de nupt.* Et præterea certis pœnis pro qualitate delicti vindicantur, *Lev. 20. d. l. 38. auth. incestas. C. h.* Imo, ne vestigium hujus sceleris maneat, liberi ex iis nati, jure civili non sunt à parentibus alendi, *auth. ex complexu. C. h.* secus de Iure Canonico, *cap. 5. x. de eo qui dux. eam, quam poll.*

Potestne fieri dispensatio in gradibus à Deo prohibitis?

Non [a] admittenda est: quia propter talia vitia Deus gentes ejecit, & eorum possessiones populo Iudaico tradidit. quo fac. *Levit. 18. & 24.*

[a] Imo nec à Principe Supremo, *Coren obs. 21. Grot. lib. 2. p. 6.*

De interdicto Matrimonio inter pupillam & tutorem, seu curatorem, filiosque eorum. Tit. 6. Lib. 5. Cod.

Quomodo lege matrimonium est interdictum?

Variis de causis. 1. Si tutor [a] vel curator, eorumve filii, matrimonium contrahant cum adulta, *l. 1. C. h.* ne fraus administrationi facta tegatur, & curatores sua authoritate abutantur. Id limitatur, nisi ante sit de-

sponsata à parte, vel testamento destinata, *l. 6. C. h. l. 36. ff. de rit. nupt.*

[a] Id hodie non ita rigide observatur, modo intervenerint amici & propinqui adultæ, *Zyp. de sponsal. Gudelin. l. 2. c. 9. in f.*]

An ergo nullo tempore matrimonium hoc valet?

Valet, si redditæ sint rationes, & adulta pervenerit ad ætatem 29 annorum, *d. l. 6. C. h.*

Valentne nuptiæ inter matrem adultæ, & tutorem vel filium ejus, inter pupillum & filiam tutoris?

Valent, *l. 2. l. 5. C. h.* quia ratio, propter quam interdictio est facta, hisce casibus cessat.

Suntne permissæ nuptiæ inter eos, qui pro tutore vel curatore negotia gerunt, & adultam?

Nusquam sunt prohibitæ, imo expresse conceduntur, *l, fin. C. h.*

Si quacunque præditus potestate, vel ad eum pertinentes, ad suppositarum jurisdictioni suæ aspirare tentaverint nuptias. Tit. 7. Lib. 5. Cod.

Quæ est secunda causa, propter quam lege interdictum est matrimonium?

Prohibentur nuptiæ inter præsidem (a) aut præfectum aut milites, & fœminam provincialem, *l. unic. C. h. l. 38, 39. ff. de ritu nuptiar.*

(a) Id hodie non præcise observatur, cum incolis soleat committi administratio provinciæ, *Zyp. tit. de sponsal. Rittershus. de differ. Juris lib. 1. c. 20. Argentr. art. 35. notab. 1. n. 4.*]

Si nuptiæ ex rescripto petantur. Tit. 8. eod.

Quæ est tertia causa?

Si quis à principe impetraverit nuptias cum dissentiente vel contra jus sanguinis. Qui ad hoc ausus fuerit rescriptum petere, præterquam quod nihil agat, etiam exilio & publicatione bonorum punitur, *l. 1. 2. C. h.*

De secundis nuptiis. Tit. 2. eod.

Suntne secundæ nuptiæ permissæ?

Et licitæ & honestæ sunt: modo tempore legitimo luctus præterito ineantur, & nihil committatur in detrimentum liberorum, qui ex primo matrimonio sunt nati, *tot. tit. C. h.*

Quæ est pœna nuptiarum intra annum luctus?

Mulieres præter infamiam,(a)in quam incidunt cum iis qui scientes eas ducunt, & parentibus,qui consentiunt, *l.* 11. *pr. & §.* 4. *l.* 13. *D. de his qui not. inf.* nihil relinquere possunt (b) marito ultra tertiam partem bonorum: nihil capere possunt ex testamentis aliorum: amittunt omnia lucra, quæ prior maritus reliquit,nec admittuntur ad hæreditates ab intestato,quæ à consanguineis ultra tertium gradum obveniunt, *l.* 1. 2. *C. h.*

(a) Hodie secundum Jus Canonicum cessat pœna infamiæ, si fœmina intra annum luctus nupserit *c. penult. & ult. extra de secund. nupt.* Attamen non sunt satis decoræ, imo statutis regulariter prohibentur. (b) Hanc pœnam sublatam esse sentiunt *Buſ. in l.* 8. *n.* 4. *ff. de his qui not. infa. Gudelin. lib.* 1. *c.* 12. *verſ. utrum. Faber. C. Sabaud. lib.* 5. *tit.* 5. *def.* 1. *Peck. de teſtam. conjug. lib.* 1. *c.* 47. *n.* 3.]

Quomodo prospicitur liberis, cum parentes ad secunda vota transeunt?

Mulier (a) transiens ad secunda vota, quæ à marito priori quolibet, modo, vel ex liberorum successione legitima acepit, tantum habet usumfructum, proprietate liberis prioris matrimonii reservata,*l.* 3. *pr. & §.* 1. *auth. ex testamento. C. h.* si vero liberos (b) alios non habet, jure proprietatis ea retinet,

(a) Etsi quidem pœnæ ob festinationem nimiam intra tempus luctus non ita hodie vigeant, ut supra dictum, tamen jura illa, quibus liberis prospicitur, cum parentes ad secunda vota transeunt, firma & immutilata manent, *Sande lib.* 2. *tit. def.* 1. *Buſius in l.* 2. *n.* 4. *ff. de his qui not. infam. Gudelin. lib.* 1. *d. c.* 12. *Zypæus de notit. Jur. Belg. h.* (b) Non tantum hæc est

exceptio, sed & si voluntate prioris mariti vel ex consensu liberorum mater ad secunda vota eat; Vide *Christin. vol.* 3. *decis.* 131. *Gail. lib.* 2. *obs.* 98. *n.* 18. quibus addunt nonnulli casum eum, si nuptiæ sint ex beneficio Principis, quod an in detrimentum liberorum contra *l.* 3. admitti possit, non dico.]

Id omne juris ad partem pertinet?

Non videtur quoad ea, quæ accepit ex successione liberorum: cum nomine fœminarum, quarum expressa fit mentio in, *d. l.* 3. *l.* 5. *C. ad SC. Tertull. Nov.* 22. *c.* 46. non veniant mares, *l.* 45. *ff. de legat.* 2. sed idem in lucris, quæ ab uxore priori provenerunt, in patre obtinet, *l.* 5. *& auth. uxore. C. h.*

Quid, si liberi non successerint parenti defuncto?

Æque hæc lucra ad eos pervenient, *auth. hæc res. C. h.*

Annon & aliter liberis consulitur?

Mater [a] ad secunda vel ulteriora vota migrans non potest testamento, contractu, vel alio modo plus relinquere vel largiri secundo conjugi, quam uni ex liberis, qui minimum consequitur, reliquit, *l.* 6. *C. h.* Idem in parte.

[a] Quid ergo statuendum est de eo casu quo versamur in Provincia, in qua est bonorum communio, & forte conjux posterior nihil habeat in bonis, transiens ad secunda vota sit dives? Resp. Observatur pro certo jure, quod præceptum *l.* 6. non habeat hoc casu locum, sed quod ea non obstante communio introducatur; ita communiter *DD. Neostad. de pact. antenup. obs.* 4. *Coren obs.* 30. Quid ergo si stipulatus sit conjux posterior bonorum communionem? Resp. Hoc tenetur certo, quod nihil amplius consequi possit quam filialem portionem, eamque minimam, *Coren d. obs.* 30. *Grot. lib.* 2. *p.* 12.]

Quid, si pater vel mater, non transiens ad secunda vota, superstiti reliquerit usumfructum omnium bonorum, proprietate liberis tantum relicta?

Valet testamentum: verum liberis ligitima etiam quoad usumfructum erit [a] salva, *Nov.* 18. *cap.* 3.

[a] Id verum est, si non sit gravatus superstes conjux alen-

alendis liberis; hoc n. casu deficit ratio *d. Nov.* 18. c. 3. cæterum si liberi vel sese sustentare velint, vel matrimonium inire, cogitur superstes iis dare legitimam, *d. Nov.* 18. *c.* 3. *junct. l.* 32. *C. de inoff. test.*]

Cui acquiretur, quod pater vel mater amplius reliquerint posteriori conjugi, quam possunt?

Id habent tanquam non esset datum, & applicatur liberis, eorumque legitimæ soboli, *l.* 9. *& auth sequent. C. h.* 1.

Si secundo nupserit, mulier cui maritus usumfructum reliquit. Tit. 10. Lib. 5. Cod.

Quid, si secundo nupserit fœmina, cui maritus usumfructum reliquit?

Non amittit usufructum per secundas nuptias, nisi maritus id expresserit, *l. unic. & auth. seq. C. h.*

Quid, si simul ei tutela sit demandata, eamque per secunda vota amiserit?

Non propterea carebit usufructu; quia qua uxor legatum, non qua tutrix meruit, *l.* 28. *§.* 1. *ff. de excus. tutor.*

De dotis promissione & nuda pollicitatione. Tit. 11. Lib. 5. Cod.

Quid est Dos?

Est patrimonium concessum marito ab uxore, vel alio pro ea, ad sustinenda matrimonii onera, *l.* 7. *ff. h. l.* 20. *C. de jur. dot.*

Quomodo promittitur dos?

Vel stipulatione, vel nudo pacto. Semper autem inest conditio: *si nuptiæ fuerint secutæ. l.* 20. *ff. de jur. dot.* Et, si non sint secutæ, nec pollicitatio, nec stipulatio ullius erit momenti, *d. l.* 20.

Eritne ex sola pollicitatione, vel pacto, obligatio?

Æque agi potest, acsi stipulatio interveniisset, *l. unic. C. de rei uxor. act.*

Quid, si dos promissa sit, non adjecta quantitate?

Siquidem quantitas sit relata [*a*] in arbitrium alterius, arbitrabitur is dotem, & pro modo facultatum promissoris & marit dignitate eam constituet, *l.* 3. *C. h. l.* 60. 69. *§.* 4. *ff. de jur. dot.*

[*a*] De hac re tractat *Mynsing.* 5. *obs.* 32.]

Quid, si non sit mentio arbitrii facta?

Aut (a) pater, qui dotare tenetur, promisit. quo casu ad arbitrium boni viri quantitas collata esse videtur, *d. l. 69. §. 4.* aut promisit is, qui non tenetur. hoc casu promissio non valet, *l. 1. C. h.*

(a) Pater in genere quidem tenetur dotare filiam, *l. 19. ff. de rit. nupt.* & quidem ex suis facultatibus, si filia non sit locuples, tunc n. ex filiæ bonis constituere potest, ut notat *Busius in d. l. 19. Gudelin. lib. 2. c. 14.*]

Quid, si pater administrans bona filiæ dotem promiserit?

Ex suis (a) bonis magis promisisse videtur, *l. 5. §. fin. D. de jur. dot.* licet etiam non designata quantitate ex bonis filiæ, dixerit se, & ex filiæ, & suis bonis dare, nisi sit inops, *l. fin. C. h.*

(a) Hodie, quia dotes ita non constituuntur ut Jure Romano, pater, qui promittit, primò solvit ex filiæ bonis, & inde ex suis, ut quantitatem promissam implear.]

Tit. 3. De jure dotium. Tit. 12. Lib. 5. Cod.

Quomodo distinguitur dos?

Est, vel profectitia, vel adventitia. Profectitia, (a) quæ à patre est profecta, vel de bonis, vel de facto ejus, *l. 5. D. h.* Adventitia, quæ aliunde quam à patre est, uti à matre, vel ab extraneo, imo etiam ab uxore, *arg. d. l. 5.*

(a) Quæritur an etiam dos sit profectitia, si quis patri donaturus dotem dederit? Resp. Id affirmatur expresse in *l. 5. §. 2. ff. h.* cui non obstat, *§. 9. ejusdem l.* quia ibi non dedit dotem ut patri donaret, sed patri donavit, ut hanc pro filia daret, sc. nomine donantis.]

Qui teneantur dotare?

Pater, *l. ult. C. de promiss. dot. l. 19. D. de rit. nupt.* sive sit filia inops, sive (a) locuples, *arg. Dd. Ll.* licet divitem alere non teneatur, *l. 5. §. 7. D. de lib. agnoscend.* sive sua, sive emancipata, *l. 5. §. 11. D. h.* non

vero

vero si turpiter vivat *arg. l. 19. C. inoffic. Nov. 115. c. 3. §. 11.* pariter & avus paternus, qui in potestate habet neptem, *d. l. 19.* Imo & mater vel avus maternus, si liberi nec patrem nec bona habeant, unde dotari possint, *l. 45. D. solut. matrim.* Quin & frater (*b*) eodem modo, si sit germana, *arg. l. 12. §. penult. D. de admin. tutor.*

(*a*) De eo disputatum fuit, an pater non obstrictus filiæ, possit tanquam dotem repetere ea quæ quotannis filiæ dederat in alimenta, sive subsidium onerum matrimonii? Negat id Curia Frisiæ, ut notat *Sande lib. 2. tit. 5. def. 4.* & recte. (*b*) Id hodie non obtinet, cum non soleant istæ dotationes J. Civilis frequentari.]

Quæ res dantur in dotem?

Omnes, quæ sunt in commercio, sive corporales, sive incorporales; sive æstimatæ, sive inæstimatæ sint, *l. 7. §. 2. 3. l. 52. ff. h.* non vero alienæ, *l. 34. 67 ff. h.* sed traditæ bona fide usucapi possunt, *d. l. 67. ff. h.*

Estne dos excedens 500 aureos insinuanda actis?

Nullo modo, *l. ult. C. de jur. dot.* verum, donatio propter nuptias, non ex parte mulieris, sed ex parte viri, quatenus is pro rata donationis lucrum sperat ex dote. Ejus enim lucri non fit particeps sine insinuatione, *Nov. 127. c. 2.* quod & supra attigimus.

Ne fidejussores vel mandatores dotium dentur. Tit. 20. Lib. 5. Cod.

Potestne fidejussor nomine dotis exigi?

Vir non tenetur doris restituendæ causa uxori fidejussores dare; cum enim marito se suaque omnia committat uxor, esset signum perfidiæ si fidejussor exhiberetur, *l. 1. 2. C. h.* Imo, fidejussor de facto datus non obligatur, *Dd. Ll.* Extraneo vero fidejussor recte à marito datur, uti & datus ab extraneo teneretur, *arg. l. 55. ff. de jur. dot.*

An & pignus uxori dari possit?

Potest, *l. 7. §. 6. ff. de donat. int. vir. & ux. l. 1. ff. qui pot. in pig.* nec enim pignoris datio, quia est ex propriis

bonis mariti, ita gravat fidem mariti, uti fidejussoris constitutio.

Tit. 4. De pactis dotalibus. Tit. 14. Lib. 5. Cod.

Suntne pacta dotalia valida?

Non solum [a] conjuges, sed & parentes, & extranei, qui dotem dant, pacisci possunt licite, *l.* 1. *C. h.* modo nihil pugnet cum essentia dotis, bonis moribus, & legibus. Extranei vero, si non paciscantur sibi reddi dotem, eam soluto matrimonio repetere non possunt, *l. unic. §.* 13. *C. de rei uxor. act. l.* 9. *in fin. C. h.*

[a] Notandum quod pacta concepta in speciem contractus, non possint ab uno revocari; quæ a. sunt concepta per modum ultimæ voluntatis, *Sande lib.* 2. *tit.* 2. *def.* 4.]

Quid, si convenerit inter patrem & generum, ut dos profectitia apud generum remaneat?

Valebit hoc pactum, cum pater sibi tantum præjudicet, *l.* 6. *C. h.*

Debentne pacta lucrorum inter conjuges esse æqualia?

Ita fere Jure Civili placuit, *l.* 9. 10. *auth. æqualitas & auth. sed qui mihi. C. h.* Sed id secundum mores non servatur.

Estne quid singulare in hisce pactis?

Quod patres, vel avi, & extranei dotantes, possint stipulari non tantum sibi, sed & fœminis, quibus dos datur, & earum liberis, *l.* 7. *C. h. l.* 45. *ff. solut. matrim.* [a]

[a] Hisce addi potest, quod etiam de successione hæreditaria valeat pactum dotale, quod est contra regulas Juris communis: In specie & id notandum, quod pacta nuptialia non possunt mutari per contractum, quia ea res saperet donationem, *Neostad. de pact. antenupt. obs.* 8. *Sande lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 10. *Goris de societ. conjug. c.* 7, 8. *Coren observ.* 26. *Grot. lib.* 2. *tit.* 12. itaque semper hujusmodi contractus revocari potest ante obitum, sic recte conjux per testamentum in commodum superstitis dissolvit nexum nuptialium pactorum.]

De

De dote cauta non numerata. Tit. 15. Lib. 5. Cod.

Quæ est dos cauta, sive confessata?

Est, quam maritus confitetur se accepisse, & non accepit: hoc casu datur marito & ejus hæredibus exceptio non solutæ dotis: non enim scriptura, sed numeratio dotem facit, *l.* 1. *C. h.*

Intra quæ tempora debet proponi non numeratæ dotis exceptio?

Intra annum continuum à die mortis vel soluti matrimonii, si matrimonium non duraverit ultra biennium: intra tres menses, si ultra biennium usque ad decennium steterit; si vero ultra decennium, omnis exceptio cessabit, *l. fin. D. h. Nov.* 100. *c.* 1.

Tit. 5. De fundo dotali. Tit. 23. Lib. 5. Cod.

Potestne maritus fundum dotalem vendere?

Non potest, licet etiam fœmina consentiat, *per text. & rationem in pr. Inst. quib. alienare non licet.* adeo ut nec maritus ob fundum sibi in dotem datum uxori cum alio communem, non possit consortem ad divisionem provocare, *l.* 2. *C. h.* provocari [*a*] vero recte potest.

[*a*] Ratio est, quia cum provocat voluntario, procedit ad divisionem, quæ vicem venditionis habet, *l.* 1. *C. commun. utr. judic.* cum a provocatur est necessaria divisio, quia nemo cogitur invitus manere in communione; Quod hic de fundo dotali traditur, valet Jure Civili, sed moribus, sive sit bonorum communio, sive ea sit per pactum exclusa, potest maritus bona uxoris etiam immobilia vendere jure mariti, *Neostad. de pact. antenupt. obs.* 10. *Grot. lib.* 1. *p.* 5. *Herbains lib. sing. c.* 13. *s.* 5. *&* 6. *Sande de prohib. alien. c.* 10. Exceptiones sunt hæ: 1. Si separatio bonorum sit facta inter conjuges propter malos mores, sive prodigalitatem mariti, *Neostad. d. obs.* 8. *Grot. d loco.* 2. Nisi hæc potestas sit adempta marito per pacta nuptialia, *Neostad. d. tract. obs.* 21.]

Annon

Annon est exceptio ab hac regula?

Cessat hæc prohibitio: 1. In rebus mobilibus; quia de fundo tantum concepta est, *l.* 1. *ff. h.* 2. In alienatione necessaria, *l.* 2. *C. h.* 3. In fundo æstimato simpliciter, vel ea lege dato, ut vel fundus vel pretium à marito reddatur, utrum voluerit maritus, *l.* 1. *C. l.* 9. *s.* 1. *D. h.* 4. Si pecunia ex venditione redacta conversa sit in utiliorem fundum, *l.* 26, 27. 61. *s.* 1. *l. ult. de jur. dot.* 5. Si per translationem universitatis fundus in alium transferatur, *l.* 1. *in fin. D. h. l.* 62. *D. de acquir. rer. dom.* 6. Si mulier jurato consenserit, *arg. l.* 2. *D. de jurejur. in* 6. *c.* 28. *extr. de jurejur.*

PANDECTARUM

LIBER XXIV.

Tit. 1. De Donationibus inter virum & uxorem. Tit. 16. Lib. 5. Cod.

Valetne donatio inter virum & uxorem?

Nullo modo, per textum & rationem in *l.* 1, 2, 3. *D. h.* sive ea per ipsos conjuges, sive per interpositas personas fiat, *l.* 5. *s.* 2. *D. h. l.* 20. *C. h.* Licet matrimonium de jure non subsistat, *d. l.* 3. *s.* 1. modo donans non fuerit conscius nullitatis, *l.* 2. *C. h.* Et, si ambo conscii fuerint, fisco (*a*), quæ donata sunt, addicuntur, *l.* 32. *in fin. ff. h.* Imo nec miles uxori, nec focatiæ quid donare potest, sed recte meretrici, *l.* 2. *C. h.*

(*a*) Id hodie cessat.

Licetne etiam conjugibus contractus alios celebrare?

Id permissum iis est, nisi simulate quid fiat, *l.* 17. *C. h.*

Cessatne hæc prohibitio in nonnullis casibus?

Cessat. 1. in fructibus, *l.* 17. *ff. h.* aliisque accessionibus; ut sunt usuræ, *d. l.* 17. 2. In annuis & menstruis, nisi sit donatio immodica, *l.* 15. *ff. h. l.* 22. *ff. de pact. dotal.* 3. In iis, quæ donantem non reddunt pau-

perio-

periorem ; ut, si repudiatio hæreditatis vel legati fiat, *l.* 5. §. 13. *& seqq. ff. D. h.* 4. Si donans quidem pauperior fiat, sed is, cui donatio fit, non reddatur locupletior, *d. l.* 5. §, 26. 5. In iis, quæ ad dignitatem mariti uxor erogat, *l.* 21. *C. h.* 6. In donationibus mortis causa, *l.* 9. §. *fin.* & in iis, quæ excedunt tempus vitæ, *l.* 10. *D. h.* 7. In donatione remuneratoria, *l.* 7. §. 2. *ff. h.* 8. Si donatio morte sit confirmata, *l.* 25. *C. h.* 9. Si sit confirmata juramento, *c.* 28. *extr. de jurejur.*

Quid, si donatarius obierit ante donantem?

Nullius momenti est donatio, *l.* 18. *C. h.* Electa enim est donatarii persona, non hæredis.

Tit. 2. De divortiis & repudiis.

De repudiis, & judicio de moribus sublato. Tit. 17. Lib. Cod.

Annon solvi potest matrimonium initum?

Fit vel repudium vel divortium. Repudium autem inter sponsos proprie, *l.* 191. *D. de V. S.* cum matrimonium nondum est consummatum. Divortium, quo matrimonium plene perfectum solvitur, *d. l.* 191. Inter causas repudii potissimum recensenda est, si quis ignorans duxerit ab alio vitiatam, *Deut.* 22. *l.* 11. §. *si quis virgin. D. de act. empt.* vel incurabilis morbus intervenerit, quo quis redditur ineptus ad conjugium. Inter causas divortii recensendæ sunt tantum, 1. adulterium, *Matth.* 5, *v.* 22. *&c.* 19. *v.* 9. *l.* 9. §. *C. h.* nisi reconciliatio intervenerit, quæ intervenisse probatur quoties conjuges consuetudinem denuo habuerint. 2. malitiosa desertio, *d. loc.*

Annon sunt plures causæ divortii?

Nullæ quidem jure divino, licet plurimæ jure civili. Verum ob sævitiam conjugis datur separatio thori & mensæ, non (*a*) matrimonii; ut & ob alias causas, quas Iudex æstimare debet.

(*a*) Et per consequens etiam potestas maritalis non solvitur facto divortio, *Neostad. de pact. obs.* 7. *in not. Grot. lib.* 1. *c.* 5.]

Po-

Potestne, qua divortium fecit ob dictas causas, nuptias contrahere cum alio?

Non est dubium, quin innocens ad aliud matrimonium transire possit: verum, cui libellus tantum repudii est datus, non potest ad aliud conjugium aspirare, *d. loc. Matth.*

Si quis sine causa divortium faciat, qua pœna punitur?

Mulier ob adulterium amittit dotem, quæ cedit marito, *l.* 8. *C. h.* nisi & is adulterium, *l.* 39. *D. solut. matrim.* vel mulier ex viri consensu ac lenocinio id commiserit, *l.* 47. *D. eod.* Ad dotem vero hæredes mariti propter adulterium uxoris non agent, *arg. l. fin. C. de revoc. donat.* Maritus adulter amittit donationem propter nuptias, & tertiam partem antenuptialis largitatis, ac dotem uxori reddere cogitur, *Auth. Sed novo. C. h.* vel si nulla dos aut donatio sit propter nuptias, tenetur quartam partem omnium suorum bonorum uxori dare, *l. penult. C. h.*

Divortio facto apud quem liberi morari, vel educari debeant. Tit. 54. Lib. 5. Cod.

Divortio facto ubi libri debent educari?

Si patris culpa sit factum, apud matrem impensis patris; si vero matris culpa, impensis matris locupletis apud patrem, nisi nimis sit inops. In genere vero hæc dum incidunt, relinquenda sunt arbitrio judicis, *l. unic. C. h. junct. Nov.* 117. *c.* 7.

Quid, si alteruter ex parentibus sit infidelis?

Præstat apud fidelem educari, *l. fin. extr. de convers. conjug.* Licet & liberi sint in ea ætate, ut nondum dogmata fidei possint percipere.

Tit. 3. Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur. Tit. 18. Lib. 5. Cod. De rei uxoriæ actione. Tit. 13. Lib. 5. Codic.

Qua actione repetitur dos soluto matrimonio?

Actione ex stipulatu, sive ea sit facta sive non, *l. unic. pr. Cod. de rei uxor. act.*

Cui

Cui datur hæc actio?

Aliquando mulieri vel ejus hæredi, si ad mulierem dos reverti debeat, *l. ult. C. h.* aliquando patri, sive sibi reddi stipulatus sit eam, quæ ab eo est profecta, sive non: imo & extraneo, sed non aliter, quam si stipulatus sit eam sibi restitui, *d. l. unic. §. 13.*

Potestne pater repetere dotem pro filia quam habet in potestate?

Potest consentiente filia, *l. 7. C. h.*

Vbi manet dos profectitia?

Redit ad patrem, *l. 4. C. h.* nisi liberi sint relicti: æquius enim est, eo casu apud liberos dotem manere.

Annon cessat aliquando repetitio dotis?

Cessat variis de causis. 1. Ex pacto, *l. 12. ff. de pact. dotal.* 2. Si maritus non sit solvendo, nam non tenetur ultra quam facere potest, *l. 12. & seq. ff. h.* 3. Si res perierit sine culpa mariti, *l. 49. §. 1. ff. h.* 4. Si maritus non acceperit dotem, & per eum non stet quo minus accipiat, *l. 52. ff. h.* 5. Si propter delictum uxoris bona publicentur, *arg. l. 25. 24. ff. h.*

Quomodo debent dividi fructus ultimi anni?

Sequi oportet regulam, *l. 7. §. 1. & seqq. ff. h.* sc. ut non absolute ratio temporis ultimi anni habeatur, sed & ejus, quo mulier in matrimonium venit.

Quæ sunt singularia in hac actione de dote?

1. Quod ex stipulatu agi possit, licet stipulatio non intervenerit 2. Quod pro dote detur sine conventione hypotheca, *l. un. §. 1. C. h.* 3. Quod hæc actio sit bonæ fidei, *§. 29. Inst. de act.* 4. Quod mulier, vel ejus filii. *d. §. 29. l. 12. §. fin. C. qui pot in pign.* non alii hæredes, præferantur omnibus creditoribus mariti, sive expressam, sive tacitam creditores alii habeant hypothecam.

Si Dos constante matrimonio soluta fuerit. Tit. 19. Lib. 5. Codic.

Potestne & Dos repeti constante matrimonio?

Non potest, nisi maritus [a]labatur facultatibus, *l. 29. C. de jur. dot.* quo casu sequestrari debet, siquidem

mari-

maritus sit dissipaturus; ita tamen, ut marito fructus non denegentur, *l.* 22. *§.* 8. *D. h.*

[a] Hodie propter improbos mores & dilapidationem mariti fit separatio bonorum, *Neostad. de pact. antenupt. obs.* 718.]

Quid, si maritus constante matrimonio solverit?

Si maritus uxori dotem, quam retinere potuisset, sine causa legitima restituerit, defuncta uxore debet ea restitui marito cum fructibus ex die restitutæ dotis: ita ut proprietas competens liberis ex ea susceptis à marito non possit alienari, *l. unic. C. h.*

PANDECTARUM

LIBER XXV.

Tit. 1. De impensis in res dotales factis.

Quas impensas maritus repetet?

MOdicas (a) arbiter in hoc judicio non curabit, *l.* 12. *D. h.* sed eas tantum, quæ sunt alicujus momenti. Hæ si sint necessariæ, sine quibus res interirent, vel deteriorarentur, *l.* 1. *§.* 1. *D. h. junct. l.* 79. *D. de V. S.* ipsam dotem minuunt, non quidem secundum corpora, sed universitatem ac quantitatem, *l.* 5. *D. h.* Si sint utiles, quæ rem meliorem faciunt, *l.* 5. *§. fin. l.* 6. *D. h.* exigi possunt, *l.* 7. *§.* 1. *D. h.* & earum nomine deductio fiet, si voluntate mulieris sint factæ, *l.* 8. *D. h.* Sin autem sint voluptariæ, quæ speciem tantum exornant, non exiguntur, *l.* 11. *D. h.* sed tolli possunt sine læsione, si profuturæ sint marito, vel si mulier non permittat tollere, solvi debent, *l.* 9. *D. h.*

(a) In locis, ut in hac provincia, ubi viget bonorum communio, de impensis non quæritur; in iis a. ubi tantum est communio quæstuum, debet præstari, post divortium seu obitum melioratio, *Neostad. d. tract. obs.* 20. huc facit *l.* 58. *ff. de legat.* 1.]

Potestne

Potestne maritus retinere res dotales, donec ei fuerit satisfactum?

Nullo modo, *l. unic. §. 5. C. de rei uxor. act.* licet ob res amotas retentio esset facienda, *d. §. 5.*

Tit. 2. De actione rerum amotarum. Tit. 21. Lib. 5. Cod.

Quæ est actio rerum amotarum?

Ea datur soluto matrimonio inter conjuges ob res divortii causa ablatas à conjuge, *l. 3. C. h.* sive sint propriæ, sive bona fide possessæ, sive alio titulo detentæ.

Cur non datur actio furti?

Propter honorem matrimonii id receptum est, ne famosa actio detur, *l. 1. D. h.*

Daturne & hæredibus & contra eos?

Competit hæredi, at contra hæredem non aliter, quam qua pervenit, *l. fin. C. h.*

Ne pro dote mulieris bona quondam mariti addicantur, id est, in solidum dentur. Tit. 22. Lib. 5. Cod.

Si maritus non solvendo decesserit, quomodo consulendum uxori?

Non debet postulare, ut bona mariti sibi addicantur, sed secundum juris formam desiderabit, ut in possessionem bonorum mittatur, dotis servandæ causa, utque bona ista publica licitatione vendantur, ac ex iis suum consequatur, *l. un. C. h.*

Tit. 3. De agnoscendis & alendis liberis vel parentibus, vel patronis vel libertis. Tit. 25. Lib. 5. Cod.

Cui præcipue competit alere liberos?

Patri, [a] *l. 3. C. h.* pro modo facultatum. Verum si neget se patrem esse, & filius sit quasi in possessione filiationis, etiam ante cognitionem causæ prætor decernit filio alimenta, *l. ult. C. de ord. cognit.* aliàs, si non sit filius in tali possessione, primum causa cognoscenda est, & postea alimenta decernenda, *l. 5. §. 8. in fin. D. h.*

[a] De

[a] De alendis liberis & parentibus vide *Sande lib. 2. tit. 8. def. 1, 2, 3. Tulden. & Perez. ad tit. C. h. Christin. vol. 3. decis. 143. Grot. lib. 2. de J. Belli ac Pac. cap. 7. n. 4. & seqq.*]

Quid, si pater sit mortuus aut inops?

Cæteri parentes locupletes alent, etiam mater, avus maternus *l. 5, ff. h.*

An & liberi parentes tenentur alere?

Omnino, *l. 1, 2. C. h. d. l. 5. §. 16.* si liberi sint locupletes, *d. l. 5. §. 7.*

Annon & fratres alere debent suas sorores inopes?

Id, si non sint parentes, honestas [a] desiderat, *l. 12. §. 3. l. 13. §. 2. ff. de administr. tutor.*

[a] Siquidem pauperes sunt in familia, id hodie observatur, ut proximiores qui possunt, eos alant, vel si non possunt, ut alantur ab universitate in qua sunt, *Sande lib. 2. tit. 8. def. 4.*

Quid venit nomine alimentorum?

Non tantum cibaria, sed & vestis, habitatio, & reliqua necessaria, *l. 6. D. de alim. d. l. 5. §. 12. D. h.*

Tit. 4. De inspiciendo ventre, custodiendoque partu.

Quid, si fœmina dicat vel neget se prægnantem, & ea de re sit controversia?

Debet servari forma de inspiciendo ventre, & custodiendo partu, præscripta in, *l. 1. §. 10. & seqq. D. h.* Publice enim interest partus non supponi, ut dignitas ordinum successionum & familiarum sit salva, *d. l. 1. §. 13.*

Estne hæc forma præcise servanda?

Si quid omissum sit, quod leve est, actus in totum non vitiatur: & mos regionis cujusque maxime spectandus, *d. l. 1. §. fin.*

Tit. 5.

Tit. 5. Si ventris nomine muliere in possessionem missa, dolo malo eadem possessio ad alium translata esse dicatur.

Quid, si ventre in possessionem misso, possessio dolo malo ad alium sit translata?

Datur ei cujus interest, *l.* 1. *§.* 3. *D. h.* adversus mulierem, quæ dolo malo, clam, & per marchinationem possessionem transtulit, *l.* 2. *C. h.* vel patrem, in cujus potestate est, aut hæredem, actio in id quod interest, *l.* 1. *§.* 1. 4. *ff. h.* Ne dum in favorem partus possessionem pollicetur Prætor, aliis præbeat occasionem prædæ.

Tit. 6. Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicatur.

Quid, si mulier calumniæ causa cum sciret se non esse prægnantem, ventris nomine fuerit in possessione?

Non tantum est infamis, *l.* 15. *& seqq. ff. de his qui not. infam.* sed & datur contra eam actio, quanti agentis interfuit, *l.* 1. *§.* 4. 6. *&* 7. *ff. h.*

Tit. 7. De Concubinis. Tit. 26. Lib. 5. Cod.

Quæ sunt Concubinæ?

Fœminæ obscuriori loco natæ, quæ extra formam matrimonii habentur in consuetudine, *l.* 1. *ff. h.*

Estne concubinatus permissus?

Nullo modo nec Iure Divino, nec Canonico; imo nec Iure Civili, sed Ius Civile eum tolerat improbando: nec licet per eum non committatur stuprum, vel adulterium, ac sic hæc conjunctio sit extra pœnam L. Iuliæ, *l.* 3. *ff. h.* tamen in genere non permittitur.

De Naturalibus liberis. Tit. 27. Lib. 5. Cod.

Liberi ex concubinatu nati quomodo appellantur?

Naturales quia eos natura tantum, non lex agnoscit. *tot. h. t.* distincti à spuriis, quod spurii vulgo quæsiti; hi ex certis parentibus.

Estne quid singulare in hisce?

Matri & ascendentibus per matrem, & ex testamento & ab intestato succedunt, *l.* 2. 8. *ff. unde cognat.* etiam

cum

cum legitimis. A patre vero ali debent, & institui possunt ex asse, si liberi legitimi patri non sint, *l.* 8. *& auth. seq. C. h.* & existentibus liberis, tantum in unam unciam cum matre dividendam, *l.* 2. *C. h. Nov.* 89. *c.* 1. 2. *s.* 2. Quod autem ultra iis est relictum, redit ab liberos legitimos, *d. l.* 2. Ab intestato vero, si sint legitimi vel legitima uxor, non admittuntur ad patris bona: iis vero deficientibus, tantum in duas uncias cum matre concubina, si ea vivat, dividendas, *Nov.* 89. *c.* 12. *s.* 1. 2. *&* 3, matri vero absolute succedunt, *l.* 2. 8 *ff. unde cogn.*

PANDECTARUM

LIBER XXVI.

Tit. De Tutelis. Tit. 13. Inst. Lib. 1

Quid est Tutela,

Vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, *s.* 1. *Inst. h.*

Quid sibi volunt verba: vis ac potestas?

Non significant vim violentam, quia leges eam non admittunt; nec potestatem absolutam, quæ in tutoribus non est, *pr. Inst. h.* sed authoritatem ad tuendos pupillos, *tot. tit. D. C. &. Inst. de author. tutor.*

Quid sibi volunt verba: ad tuendum eum?

Per hæc distinguitur tutela à cura. Tutor enim principaliter personis, *s.* 3. *Inst. qui testam. tut. dar.* Curator rebus datur, *l.* 20. *D. de rit. nupt.*

Quomodo distinguitur tutela?

Est vel testamentaria, vel legitima, vel dativa, *l.* 52. *C. de Episc. & cler.* Tutor vero confirmatus originem quidem habet ex testamento, & privilegia testamentarii habet, sed cum, antequam confirmatur, tempus ei non cedat. *l.* 2. *C. de confirm. tutor. l.* 13. *s.* 12. *ff. de excus.* quod in Testamentario est secus, *l.* 7. 9. *de testam. tutel. junct. l.* 1. *s* 1. *l.* 5. *s. fin. D. de admin. tutor.* cujus periculo omnia sunt ab adita hæreditate, & quia

quia in ejus locum alius dari potest, *l.* 3. *C. de administr. tutor. dat.* quod non est in Testamentario, *l.* 10. *D. de tutor. & tutor. dat.* quia denique magistratus tenetur, si non recte confirmaverit, *l.* 5. *D. de confirm. tutor.* quod non est receptum in Testamentario, magis Dativus quam testamentarius est dicendus.

Tit. 2. De testamentaria tutela. Tit. 28. Lib. 5. Cod. Tit. 14. Lib. 1. Inst.

Quæ est testamentaria tutela?

Est, qua pater liberis suis impuberibus, in potestate constitutis, testamento tutorem dat.

Cur dicitur pater?

Quia mater non dat jure testamento tutorem. Pater quidem non tantum dat institutis, sed & exhæredatis: mater non nisi institutis, sed & inquiri in eum oportet, quem mater testamento constituit, *l.* 4. *D. h.* non in eum, qui à patre datus est.

Atqui etiam, si mater dederit exhæredato, confirmatur. l. 4 *C. h.?*

Id magis moris est, quam juris; solet plerunque confirmari, inquit textus in *d. l.* 4. *C. h.* sed non debet necessario, *d. l.* 4. *D. h.*

Cur additum, in potestate constitutis?

Quia pater emancipato non dat tutorem, sed propter patris judicium & affectum, qui datus est, confirmatur, verum sine inquisitione, *§. fin. Inst. de tutel.*

Potest pater etiam dare posthumis?

Potest, quia cum de commodo agitur, habentur posthumi pro natis, *§.* 4. *Inst. de tutel.* Quod receptum est peculiari favore propter præmaturum parentum fatum; cum alias quilibet ad utramque fortunam nascatur.

Quid, si quis filio dederit?

Si simpliciter filio, non addito nomine, omnibus filiis dedisse videtur, *l.* 16. *§.* 1. *ff. h. junct. l.* 116. 122. *ff. de V. S.* Similiter si filiis dederit, etiam filiæ comprehenduntur licet posthumæ: non nepotes, nisi liberos vel posteros dixerit, *l.* 5. 6. *ff. h.*

Imo

Imo videntur nomine filiorum nepotes venire. l. 84. ff. de V. S.

Id verum est, cum eadem utrorumque est ratio: sed in tutoris datione diversa est, quia aliud est patrimonium quod nepotes habent, aliud quod filii: nepotes enim præter alia etiam patris sui habent bona, *l. 31. §. fin. ff. de excusat. tut.*

Quid, si filiabus sit tutor datus?

Non filiis, *l. 45. ff. de legat. 3.* sed filiabus etiam posthumis datus est, *d. l. 5. ff. h.*

Cur legatum, quod filiabus datum est, non pertinet ad posthumas, l. 15. §. fin. l. 17. pr ff. de legat 1.?

Est alia legati, quam tutoris dati ratio. Legatum enim ob affectum vel merita personæ relinquitur, *l. 9. ff. pro soc.* Tutor datur, ut consulatur tantum liberis, quia sua tueri non possunt, *§ 1. Inst. de Attil. tutor.* Nec etiam per tutoris dationem tutori quicquam adimitur, ut per legatum hæredi, *l. 16. de legat. 1.*

Cur additur, in testamento?

Quia, si tutor non sit datus testamento, nec codicillis testamento confirmatis, sed in [a] codicillis ab intestato, est confirmandus, *l. 1. §. 1. ff. de confirmand. tutor.*

[a] In hac re hodie non distinguitur inter testamenta & codicillos; tutor n. codicillis datus hodie eodem loco est, quo est testamento datus.

Quæ sunt prærogativæ testamentarii tutoris?

1. Quod dari possit ad tempus, ex tempore, & sub conditione, *§. 2. Inst. h.* 2. Quod præferatur omnibus legitimis & dativis, etiam matri & aviæ, *l. 11. ff. h. Nov. 118. c. 5.* 3. Quod non satisdet, nec in eum inquiratur, *pr. Inst. de satisdat.*

Potestne tutor ad certam rem dari?

Non [a] potest, *§. 3. Inst h.* Et, si datus sit, non valet datio, *l. 12. 13, 14. ff. h.* Sin autem bona sint sita in diversis provinciis, utilitatis causa recepta est datio ad res, *l. 15. ff. h.*

[a] Id hodie non observatur, cum tutorum & curatorum officia hodie sunt confusa, & quemadmodum curator

curator potest dari ad certum actum, ita & tutor, *Grot. lib. 1. p. 7. in fin.*]

Tit. 3. De confirmando tutore vel curatore. Tit. 29. Lib. 5. Cod.

Quando confirmatione est opus?

Si dederit is, qui testamento [a] dare non potest; ut mater, patronus, extraneus: aut si tutor sit datus ei, cui non potest dari; ut si liberi non sint in potestate vel sint puberes, *l. 1. §. 1. 3. D. h.* aut in codicillis non confirmatis tutor sit datus, *d. §. 1.*

[a] Hodie cum tutor testamento est datus, solet magistratui id denunciari, non quidem ut confirmet, sed exigat juramentum, & ut magistratui constare possit prospectum esse pupillis]

Quæ sunt privilegia confirmati tutoris?

Quod non satisdet, &, si pater eum dederit, sine inquisitione confirmetur, vel si alius, ex inquisitione confirmetur, *l. 1. §. 2. l. 2. D. h.*

An ergo in eum, quem pater dat inutiliter, nullo modo inquiritur?

Imo inquiritur in hæc. 1. An patris voluntas duraverit. 2. An celata vel ignorata emerserit improbitas morum. 3. An inimicitæ post cum patre exarserint. 4. An tutor cum fisco damnosum contractum inierit, vel aliter pauperior sit factus. 5. An aliqua sit justa causa eum prætereundi, *l. 8, 9, 10. D. h. l. 4. supra D. de testam. tutel.*

Quid, si pater filio naturali tutorem dederit?

Etsi quidem tutor filio impuberi datus, aut curator puberi vel impuberi, citra inquisitionem sit confirmandus. *l. 6. D. h.* tamen tutor naturali tantum datus confirmatione indiget, licet pater quid ei reliquerit, *l. 7. ff. h.*

Tit. 4. De legitimis tutoribus. Tit. 30. Lib. 5. Cod. Tit. 15. Lib. 1. Inst.

De legitima agnatorum tutela. Tit. 16. Lib. 1. Inst.

De legitima patronorum tutela. Tit. 17. Lib. 1. Inſt.

De legitima parentum tutela. Tit. 18. Lib. 1. Inſt.

De Fiduciaria tutela Tit. 19. Lib. 1. Inſt.

Quando mulier tutelæ officio fungi poteſt. Tit. 35. Lib. 5. Cod.

Quid eſt tutela legitima?

Quæ defertur à ſola lege (*a*). ſic dicta, quod ſine facto hominis per ſolam legem introducatur & valeat.

(*a*) Hodie cum teſtamento tutor non eſt datus, magiſtratus ſolet optimè proſpicere pupillis de tutoribus, & non ſemper admittere legitimos, ſed eos tantum qui videntur idonei, *arg. l.* 10. *de confirm. tutor.*

Quomodo hæc diſtinguitur?

Fuit olim 1. Agnatorum. quæ agnatis, per virilem ſexum conjunctis, propter commodum ſucceſſionis deferebatur ex verbis duodecim tabularum, *tot. tit. de legit. agnator. tutel.* 2. Patronorum. quam ex interpretatione legis ob commodum ſucceſſionis patroni ad tuendos libertos obibant, *tot. tit. de legit. patronor. tut.* 3. Parentum. (*a*) qua patres ad exemplum patronorum liberos ſuos impuberes defendebant, *tot. tit. Inſt. de legit. parent. tut.* 4. Fiduciaria, quam ſuſtinebant fratres, ad ſuos fratres gubernandos. Verum hodie, ſublato diſcrimine inter agnatos & cognatos, *Nov.* 118. *c.* 4. *&* 5. & agnatorum tutela eſt abolita. Sic autem jura tutelæ legitimæ ſunt diſpoſita, ut patre mortuo, primo loco admittatur mater, ſecundo avus, tertio avia, & poſt cæteri conſanguinei ſecundum ordinem ſuccedendi ad inteſtato; ut, qui eodem ſunt gradu, eodem modo onere tutelæ graventur, modo ſint habiles ſexu, arte, &c.

(*a*) Hodie patres ſunt ipſo jure legitimi tutores, *Argentr. art.* 464. *gloſſ.* 1. *n.* 2, 3. ita tamen ut plurimum iis ſoleat adjungi aliquis ex linea materna, à qua bona ad pupillos pervenerunt, *Grot. lib.* 1. *p.* 6.]

Quo-

Quomodo matres, & aviæ admittuntur ad tutelam?

1. Si testamento non sit datus tutor. 2. Cogi non possunt, si nolint, *d. Nov.* 118. *c.* 5. 3. Debent esse viduæ. (*a*)

(*a*) Solebant olim & matres & aviæ renuntiare SConsulto Vellejano, quin imo & jurare se non venturas ad secunda vota: Verum hoc jusjurandum sublatum est Jure Novissimo, & renuntiationes non frequentantur secundum mores, *Bus. in l.* 1. *n.* 14. *ff. de legit. tut. Christin. vol.* 3. *dec.* 149. *n.* 3. nisi sc. id statuta exigant, *Grot. lib.* 1. *p.* 7.]

Quid ergo, si ad alias nuptias post pervenerint?

Removentur à tutela vel cura, *d. auth. sacramentum.* Et, si non redditis rationibus ad secunda vota transierint, privatur (*a*) successione legitima liberorum impuberum, *l.* 2. *C. h.* ut & bona secundi mariti pro administratione sunt obligata, *l. penult. C. ex quibus causis &c.*

(*a*) Hæc pœna hodie non observatur, maxime sc. cum bona fide omnia sunt transacta.]

Quid, si maritus secundus moriatur?

Non recipient matres, vel aviæ tutelam, *arg. l.* 1. *C. ubi pupillus educar.*

De Attiliano tutore, & eo, qui ex Lege Iulia & Titia dabatur. Tit. 20 Lib. 1. Inst.

De tutoribus & curatoribus datis ab his, qui jus dandi habent: & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt. Qui dare tutores vel curatores possunt, & qui dari non possunt. Tit. 34. Lib. 5. Cod.

Quæ est tutela dativa?

Quia magistratus pupillis, cum nulli ex testamento, nec ex lege sunt tutores, prospicit de tutoribus, *pr. Inst. h.*

Quis magistratus hanc habet potestatem?

Varie (*a*) olim ea fuit exercita; competebat enim

illi soli, cui lex eam dederat, *l. 6. §. 2. ff. de Tutel.* verum secundum mores quilibet magistratus potest dare.

[a] Hodie hæc res devolvitur ad ordinarios judices, ut maxime eos quibus id specialiter est demandatum, quales sunt judices pupillares, *Grot. lib. 1. p. 7. Argentr. art. 458. glos. 2. n. 2. & 4.*

Quid, si testamento sub conditione vel ex die tutor sit datus?

Est à magistratu dandus; uti etiam fiet, quoties testamento datus sese excusaverit vel fuerit remotus, *l. 11. pr. §. 1 & 2. ff. de testam. tut.*

Quid, si testamento dati obierint, vel deportati sint?

Si unus fuerit tutor, isque obierit vel deportatus sit, tutori legitimo erit locus; si autem plures testamento sint dati, in locum unius mortui vel deportati, si res pupilli id exigant, dabitur tutor à magistratu. Sin autem omnes obierint, vel in civitate esse desierint, vocabitur tutor legitimus, *d. l. 11. §. 3. 4.*

De tutoribus vel curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum. Tit. 33. Lib. 5. Cod.

An igitur magistratus promiscue omnibus potest dare?

Non. [a] est enim modus jurisdictionis servandus, *§. 4. Inst. de Attil. tut.* Vnde in specie placuit, ut illustri genere natis dentur Romæ à præfecto urbi, adhibitis in consilium decem senatoribus & prætore pupillari, *l. 1. in pr. h.* in provinciis à præside, *d. l. 1. in fin. innot. §. 4. & seq. Inst. de Attil. tut.*

[a] Hodie solet à proprio judice illustrium tutor dari, ut si illi sunt qui forum suum tantum habent coram superiori senatu provinciæ, ab eo accipiunt etiam curatores: Sic in Gallia nobiles tutores accipiunt ab iis ordinibus, à quibus immediate ad superiorem senatum fit provocatio, *Rebuff. de sent. provis. art. 3. glos. 2. n. 13.*

Qui

Qui Tutores dari possunt.

Qui possunt dari?

Non fœminæ sed masculi, & tam patres quam filiifamilias, *l. 7. D. de tutel.*

Usque quo pater tenetur ex administratione filii?

Siquidem sese immiscuerit dicto, scripto, vel facto, in solidum; aliàs, si tantum consenserit, non sese immiscuerit, tantum peculio tenus, *d. l. 7. D. de tutel. junct. l. 21. D. administr. tutor.*

Potestne & creditor vel debitor pupilli tutor dari?

Prohibitum id fuit jure [a] novo, *Nov. 72.* addita hac pœna, ut si debitor sit & dissimulata obligatione se pro tutore gerat, solutio quam fecit sit nullius momenti, & creditor si dissimulaverit, patiatur jacturam actionis, *Auth. minoris. C. qui dari tutores.* Sin autem contigerit, tutorem dum tutelam gerit, fieri debitorem aut creditorem, adjungendus est ipsi curator, *d. Auth. minor.*

[a] Id hodie non procedit in testamentario, *DD. in auth. minoris C. qui dari tutor. Montan. de tutel. c. 9. n. 67. & seq. Sande lib. 2. tit. 9. def. 1. Faber lib. 5. C. tit. 20. def. 1. Guido Papa Q. 144.* Quid in patre & avo tradit *Sande lib. 2. tit. 9. def. 2.*

Si contra matris voluntatem tutor datus sit. Tit. 47. Lib. 5. Cod.

Quid, si contra matris voluntatem ultimam tutor sit datus à magistratu?

Removebitur sine infamia, nisi fraudem commiserit, *l. un. C. h. l. ult. de susp. tutor.*

De Curatoribus. Tit. 23. Lib. 1. Inst.

Cum aliqui eorum, qui se defendere non possunt, sint in tutela, aliqui in cura. Videndum & de cura.

Quid est cura?

Est potestas [a] administrandi bona eorum, qui per ætatem vel aliam rationem sua gubernare nequeunt.

[a] Iure Civili non recte dantur curatores testamento, hodie omnino, quia nomina & officia tutorum

& curatorum sunt confusa, *Grot. lib. 1. p. 7. Christin. vol. 3. decis. 148. Gail lib. 2. obs. 69. n. 1.*]

Quibus datur curator?

1. Puberibus, *pr. Inst. h.* 2. Majoribus 25 annis, prodigis [*a*], furiosis, mente captis, surdis, mutis, iisque, qui perpetuo morbo laborant, ut suis rebus superesse nequeant, *s. 3. & 4. Inst. h.* 3. Quandoque impuberibus, si tutor testamento datus vel legitimus non sit ad administrandum idoneus, vel si tutor ad tempus sit excusatus, vel si consanguineus ex causa sit suspectus, *s. 5. Inst. h. l. 9. ff. de suspect. tutor.*

[*a*] Hodie solet Curia prodigis dare curatores, ut decisum est apud *Neostad. decis. fin.*]

De actore à tutore seu curatore dando. Tit. 61. Lib. 5. Cod.

Quid, si tutor vel curator datus quidem sit idoneus, sed adversa valetudine, non sontica, nec perpetua, vel aliis impedimentis districtus, non sufficiat satis administrationi?

Solet ejus nominatione & periculo constitui & confirmari à prætore [*a*] actor, *s. fin. Inst. h. l. 24. ff. de administ. tutor. l. unic. C. h.*

[*a*] Hodie a. tutor etiam potest dare procuratorem seu administratorem suo nomine, sic ut non opus sit ad hoc consensu prætoris, *Zyp. tit. de tutor. vers. tutoribus*]

De in litem dando tutore vel curatore. Tit. 44. Lib. 5. Cod.

Potestne & curator dari ad speciale aliquod negotium, quod tutor vel curator alius administrare non potest?

Potest, *s. fin. Inst. de authorit. tut.* Ita ad litem certam. qua in re hoc speciale est, quod non teneatur ex periculo pro aliis tutelæ partibus administrandis, possitque sumptus litis recuperare ab illo, qui ordinarie administrat, *l. 1. & tot. tit. C. h.*

In

In quibus causis tutorem vel curatorem habenti tutor vel curator dari potest.

Tit. 36. Lib 5. Cod.

Potestne etiam tutor pupillo habenti tutorem dari?

Non potest, nisi causa (a) cognita, ut si substituendus sit aliquis in locum suspecti, relegati, vel mortui, *l.* 2. 4. *C. h.* & similibus casibus, quibus Iudex putat esse necessarium.

(a) Hodie indistincte solet dari tutor, sive pupillus habeat tutores sive non, *Radeland. dec. Ultraj.* 63. *n.* 2. *Grot. lib.* 1. *p.* 7.]

Qui dare possunt curatores?

Proprie non dat testator, sed is, quem dedit, confirmandus est, *§.* 1. *Inst. de curat.* Nec à lege est curator, quia cum minor ipse possit condere testamentum, & adimere propinquis hæreditatem, non sunt consanguinei onerandi curatione, *argum. l.* 73. *ff. de R. I.* Itaque omnes sunt dativi, *d. §.* 1. *Inst. de curat.*

Tit. 6. Qui petant tutores vel curatores, & ubi petantur. Tit. 13. Lib. 5. Cod.

Qui petunt tutores vel curatores?

Matris solicitudo, ut & propinquorum, qui successuri sunt ab intestato, in petendis tutoribus, non autem curatoribus, observatur, *l.* 1. *l.* 2. *ff. h.* &, si negligentiores fuerint, & intra annum non petierint, iis omnis & ab intestato, & ex jure substitutionis successio impuberis [a] denegatur, *l.* 2. *§.* 1. *ff. h. l.* 10. *C. de legit. liber.* Alii vero propinqui, affines, familiares, masculi & fœminæ, possunt quidem tutores petere, sed voluntario, *l.* 2. *pr. D. h.* Minores vero sibi petunt curatores, vel per se, si sint præsentes, vel per procuratores, si absint, *d. l* 2. *§*, 4. *&* 5.

[a] Id hodie præcise non observatur, sed tamen matres & alii propinqui debent petere tutores.]

Ergo minores inviti non accipiunt curatores?

Nullo (a) modo, non enim ipsis obtrudi possunt, nisi res suas dilapidare inceperint, *l.* 12. *§.* 2. *D. tutor. & curat. dat.* vel iis iis immineat. *§.* 2. *Inst. de curat.*

[a] Secus hodie receptum est, ut notat *Busius in l. 1, n. 6. de tutel. Argentr. art. 474. gloss. 2. n. 4. Zyp. de tutor. vers. invitis. Christin. vol. 3. dec. 140. n. 13. & 14.*]

Ergone iis administratio rerum est permittenda, contra l. 1. pr. & §. fin. D. de minor.

Nequaquam, sed si res ipsorum exigat, monendi & cogendi sunt, ut curatores petant, *l. 6. C. h. l. 5. D. de administr. & pericl. tutor.*

Vbi petantur tutores vel curatores.
Tit. 32. Lib. 5. Cod.

Vbi petuntur tutores vel curatores?

Ubi pupilli degunt, & ubi eorum sunt facultates, & unde originem per conditionem partis ducunt; quod si ubi morantur inde (a) originem non ducant, vel bona ibi non habeant, restitui debent origini & ubi patrimonium habent, ut ibi accipiant tutores vel curatores, *l. unic. C. h.*

(a) Loci origo hodie in hac re non spectatur, sed ibi petuntur tutores, ubi pupilli morantur, *Argentr. art. 458. gloss. 2. n. 4. Rebuff. de provis. sentent. art. 3, gloss. 2. n. 12.*]

Quid, si in diversis provinciis pupillus habuerit patrimonium?

Magistratus in singulis provinciis dabit tutores, *l. 27. ff. de tutor. & curat. dat.* &, si niminum dissitæ sunt facultates, spectandus est locus originis, vel domicilii: hoc attento, ne tutor vel curator administrare cogatur ultra centesimum lapidem, nisi in eadem provincia pupilli sit patrimonium, *l. 21. §. 2. ff. de excusat.*

De satisdatione tutorum vel curatorum.
Tit. 24. Lib. 1. Inst.

Estne Iure Civili satisdatione opus, ut pupillis vel minoribus undequaque sit cautum?

Est [a] omnino, *pr. Inst. h.* sed hac non onerantur testamentarii, & qui ad inquisitionem sunt dati, *d. pr.*

[a] Hodie satisdatio non est absolute necessaria, *Sande lib. 2. tit. 2. def. 9. Rebuff. d. loc. art. 13. gloss. 2. n. 8.*

Quo-

Quomodo fit hæc satisdatio?

Datis fidejussoribus, *l.* 1. *ff. qui satisd. cog.* Sed hodie multis locis non frequentatur; cum ipso jure bona pro administratione sint obligata, *l.* 20. *C. de administr. tut.* & ulterius gravari non debeant tutores propter onus quod sustinent.

Quid, si plures testamento, vel ex inquisitione sint dati?

Potest unus (si velit ipse solus administrare vel ab administratione liberari) offerre contutoribus vel concuratoribus [a] optionem, utrum velint satisdare & administrare, an sibi satisdari ab offerente, ut is administret: si vero talis oblatio non fiat ab ullo, administrabit is, quem testator voluerit, vel eligent unum inter sese; aut si dissentiant, Prætor se interponet, *s.* 1. *Inst. h.*

[a] Id hodie non est verum, cum satisdatio non adeo necessaria.]

De tutore vel curatore, qui satis non dedit. Tit. 42. Lib. 5. Cod.

Quid, si non præstetur satisdatio?

Arcentur tutores vel curatores ab administratione, *l.* 1. *C. h.* & si Præsidi jubenti satisdationem fieri non obtemperantes administraverint, removentur cum infamia, nisi inopiæ causa hoc fecerint, *l.* 2. *C. h.* Illa, quæ interim sunt gesta, sive sententia fuerit lata, sive alienatio fuerit facta, nullius sunt momenti, adeo ut non opus sit restitutione in integrum, *l.* 3. *fin. C. h.*

Tit. 7. De administratione & periculo tutorum & curatorum qui gesserint vel non: & de agentibus vel conveniendis uno vel pluribus.

De administratione tutorum vel curatorum, & pecunia pupillari fœneranda, vel deponenda. Tit. 37. Lib. 5. Cod.

Debentne necessario tutores vel curatores administrare tutelam?

Debent, *l.* 1. *ff. h.* Est enim munus publicum, *pr. Inst. de excusat. tutor.*

Qui ex curatoribus debent administrare?

Præstat, ut per unum omnia dirigantur; singula enim melius expediri possunt per unum, quam si per multos tutela spargatur, *l.* 3. *§.* 6. *ff. h.*

Ergone reliqui, qui non administrant, sunt liberati?

Nullo modo: conveniri enim possunt, excussis facultatibus administratoris, & imputabitur iis si administratorem suspectum non fecerint; assidue rationes singulares exigent, & observabunt singula, *d. l.* 3. *§.* 2.

A quo fit initium administrationis?

Præstabitur juramentum, *auth. quod unic. C. de curat. furios.* & antequam se immiscebit administrationi tutor, faciet inventarium, quod est fundamentum administrationis & rationum reddendarum, *l.* 7. *ff. l.* 24. *C. h. l. ult. §.* 1. *C. de arbitr. tutel.*

(*a*) De hoc juramento tractat *Sande lib.* 2. *tit.* 9. *def.* 9. *Mynsing. cent.* 6. *o. s.* 39.]

Quid, si quis neglexerit facere inventarium?

Removendus est ut suspectus, cum infamia, si dolo id omiserit, *d. l.* 7. *d. l. fin. §.* 1. *C. de arbitr. tutel.*

Annon aliquando omitti potest?

Potest omitti ex justa (*a*) causa, *d. l.* 7. *ff. h* uti si expediat non divulgari secreta patrimonii, vel plus sit impendendum inventario, quam est in bonis.

(*a*) Inter justas causas etiam referri potest morbus sonticus tutoris, *Bart. in d. l.* 7. *n.* 17, 18.]

Quid, si pater prohibuerit confectionem inventarii?

Excusabitur quidem tutor, quod ob eam causam non fecerit; verum præstat judici rem exponere: & licet non solemne faciat (*a*) inventarium, satius tamen est coram restibus summariam aliquam descriptionem bonorum fieri.

(*a*) Ut

(a) Jt in omni sic & in hac re spectanda est utilitas pupillorum, *Grot. lib. 1. p. 9 Clarus §. testam. Q. 64. in f. Argentr. art. 477. gloss. 2. n. 5.* Adi *l. 1. §. 1.* in verbis, *nonnunquam volunt. ff. ubi pupill. educ.*]

Potestne ante confectionem inventarii aliquid geri?

Nihil prorsus, nisi quod dilationem pati non possit, *l. 7. ff. h.*

Circa quæ versabitur administratio?

1. Curabuntur ea, quæ ad personam instruendam pertinent: ut pro facultatibus & dignitate fiat educatio, mercedes præceptoribus præstentur, *l. 12. §. 3. ff. h.* alimenta recte decernantur, &c. 2. Rerum justa ratio habenda est.

In quibus consistit administratio circa res?

Ut bene acquirantur, conserventur rite, & prudenter expendantur.

Quomodo recte acquiruntur & conservantur?

Morosi debitores ad solutionem interpellandi sunt, *l. 13 l. 46. fin. ff. C. h.* &, si non solvant, cogendi ad venditionem pignorum, *l. 18. C. h.* Defendendi pupilli & minores contra eos, qui cum iis agunt, *l. 28. C. h.* non tantum in prima, sed & in appellationis instantia, *l. 1. C. h.*

Possuntne tutores transigere & juramentum deferre?

Possunt, si hoc utile sit pupillis, & nihil alienent vel imminuant, *d l. 46. §. fin. l. 35. ff. de jurejur.*

Possuntne tutores debitoribus pupilli tempus ad solvendum prorogare?

Non possunt ex mera gratia, *arg. l. 18. C. h.* Secus, si justa & utilis sit causa, vel saltem ea præsumatur ex bona fide, *arg. l 28. §. 1 ff de pact.*

Quomodo in expendendo tutor versabitur?

Ut in tempore (a) solvat, ne pupillus in pœnam aliudve damnum incidat; aliàs enim erit id tutoris periculo, *l. 1. 23. C. h.* pecuniam quam accepit, non temere otiosam relinquat, sed in emptionem prædiorum, vel aliud lucrum conveniens collocet, *l. 24 C. h* nisi

reditus prædiorum pupillo sufficiant; tunc enim tutor impune [b] poterit pecuniam otiosam servare, *Auth. noviss. C. h.* ut autem omne periculum, circa usuras tutor evitet, implorabit consilium & decretum [c] magistratus, & sic ab omni parte securus esse poterit, *l.* 25. *C. h.*

[a] Quinimo & tutor debet sibi pecuniam sibi debitam à pupillo persolvere, ne pupillus damnum ex usuris patiatur, *Berlich. p.* 1. *concl.* 71. *n.* 10. [b] Id hodie non toleratur, verum multis locis vel duo vel tres menses dantur, & in genere judex arbitratur, an tutor satis diligens in hac re sit. [c] Vel secundum *Neostad. decis.* 51. poterit tutor pecuniam pupillarem consignare.]

De periculo tutorum vel curatorum. Tit. 38. Lib. 5. Cod.

Quod periculum pertinebit ad tutores vel curatores?

Præstabunt omne damnum, quod est ex levi culpa, *l.* 7. *Cod. arbitr. tutel.* tantum quod est ex lata, si non satis bonam conditionem elegerint in comparandis prædiis, *l.* 7. *§.* 2. *ff. de administr. tut.* vel nomina paternorum debitorum minus idonea esse cœperint, *l.* 2. *Cod. arbitr. tutel. Dd. Ll.*

De dividenda tutela, & pro qua parte quisque tutorum conveniatur. Tit. 52. Lib. 5. Cod.

Quid, si divisa sit administratio inter plures tutores vel curatores?

Quisque administrabit secundum sibi adsignatam partem, vel regionem, *l.* 39. *§.* 7. *&* 8. *ff. de administr. tutor.* Et, si divisa non sit tutela, singuli possunt lite pulsari in solidum, & cessa à pupillo vel minore actione adversus collegas agere, si solverunt, *l.* 2. *C. h.* Competit vero iis exceptio divisionis, qua obtinent, ut & reliqui pro suis partibus conveniantur, *l.* 1. *§.* 10, 11. *ff. de tutel. & ration. l. fin. ff. rem pupill. salv.* modo omnes solvendo fuerint tempore tutelæ finitæ, &, si

post

post quidam labantur facultatibus, nullum exinde sustinebunt reliqui periculum, *l.* 1. *C. h.*

Quid, si quidam gesserint, quidam non?

Qui non gesserunt, recte conveniuntur, iis primum excussis qui gesserunt, *l.* 3. *C. h.* uti de honorariis tutoribus responsum est, in *l.* 3. *§.* 2. *ff. de administr. tutor.*

Quid, si tutela sit divisa vel à testatore vel à judice?

Quisque pro sua administratione tenetur, nisi neglexerit contutorem [a] suspectum postulare; id enim imputabitur, *d. l.* 2. *C. h.*

[a] Usus practicus in hac re hic est, quod quando divisio per testatorem vel per judicem est facta, & is qui fideliter administravit, non sit solvendo, reliqui non teneantur, sed tunc demum quando non fideliter est administratio habita, & non est facta postulatio suspecti tutoris: Hic omnino est sensus *d. l.* 2. *C. h.* in verbis *periculum invicem tutoribus non sustinentibus, nisi suspectum non removerunt, vel tarde suspicionis rationem moverunt.* Huc facit *l.* 31. *ff. de administr. tutor.* & *l.* 2. *C. de peric. tutor.*]

Quid, si ipsi tutores inter sese diviserint administrationem sine authoritate judicis?

Singuli in solidum conveniri possunt acsi divisio non esset facta, *d. l.* 2. *C. h.* verum datur iis beneficium divisionis, *d. l.* 1. *§.* 10. *& seq. ff. de tut. & rat. distr.*

Tit. 8. De authoritate & consensu tutorum vel curatorum. Tit. 59. Lib. 5. Cod.

Possuntne pupilli vel minores quid administrare?

Pupilli sine tutorum authoritate nihil in detrimentum suum facere possunt; sed in commodum, *pr. Inst. h.* Ex authoritate vero eorum omnia gerunt, modo fari possint, *l.* 5. *ff. de R. I.* Minores autem, sive curatores habeant sive non, semper possunt obligari sine consensu Curatorum, *l.* 101. *ff. de V. O.* sed læsi restituuntur, *tot. tit. ff. de minor.* nihil autem alienare possunt si curatores habeant, *l.* 3. *C. de restit. in integr. minor.*

Annon pupilli naturaliter obligantur?

Obligantur, non ex conventione quoad se, sed quoad alios; ut si novatio fiat, *l.* 1. *§. fin. ff. de novat. §.* 3. *Inst.*

Inst. quib. mod. tollit. oblig. si detur fidejussor, *l.* 127. *D. de V.O.* vel qua spectatur, quod solutio fieri possit, aut tantum facti habetur ratio, *l.* 25. *§.* 1. *ff. quand. dies legat. vel fideicom.* Sin autem obligatio descendat ex re, propter utilitatem valide obligantur, etiam quoad propriam personam, *l.* 46. *ff. de obl. & act.*

Quid de obligationibus mutuis est statuendum?

Pupillus quidem non est obligatus, verum is, qui cum illo contraxerit, siquidem pupillus velit, *d. pr. Inst. h.* Id vero non ita est accipiendum, quod pupillus consequi quid possit cum incommodo ejus, qui cum contraxit, sed statuere, utrum contractum velit esse ratum vel non.

Quid est authorem fieri, & quando authoritas interponenda?

Probare id quod agitur, *l.* 3. *ff. h.* Interponitur autem in continenti, dum negotium geritur: post [a] tempus enim, vel ab absente tutore per nuncium frustra interponitur, *§.* 2. *Inst. h.*

[a] Hodie etiam ratihabitio sufficit, ex regula quæ est in *l. ult. C. ad SC. Maced. Sand. lib.* 2. *tit.* 4. *def.* 3.]

Quid, si inter tutorem & pupillum negotium sit gerendum?

Dabitur interim ad eum actum curator, qui negotio finito curator esse desinit, *§. fin. Inst. h.*

Valetne hæc regula perpetuo, quod pupillus suam possit facere meliorem conditionem sine authoritate?

Valet, nisi hæreditas ineunda, vel bonorum possessio petenda; licet sit lucrosa, *§.* 1. *Inst. h.*

Quibus modis tutela finitur. Tit. 22 Lib. 1. Inst. Et quando tutores esse desinant. Tit. 60. Lib. 5. Cod.

Quibus modis finitur tutela specialiter?

1. Pubertate [a], quæ in masculis quatuordecim, in fœminis duodecim annis terminatur, *pr. Inst. h.* 2. Existentia temporis vel conditionis adjectæ tutoris dationi in testamento, *§.* 2. *Inst. h.*

[a] Non a. hodie, quia nomina, ut sæpe dictum, & officia tutorum & curatorum sunt confusa, *Groi. lib.* 1. *p.* 7.

p. 7. Christin. vol. 3. decis. 148. n. 14. Argentr. 474. gloss. 2. Gail lib. 2. obs. 96.

Quomodo cura finitur specialiter?

1. In minoribus mente & corpore sanis, anno vicesimo quinto, *pr. Inst. de curat.* in furiosis, prodigis, mente captis, mutis, surdis, & perpetuo laborantibus, non aliter quam cum sanitati mentis vel corporis fuerint restituti, *l. 1. D. de cur. furios. 2.* Si ad certum negotium sit datus, eo finito, *§. fin. Inst. de author. tut.*

Quæ sunt communes causæ curæ vel tutelæ finiendæ?

1. Mors tutorum aut curatorum sive pupillorum ac minorum, sive naturalis sive civilis. 2. Dignitas quælibet tutoris vel curatoris, quæ à curia liberat, *Nov. 81. c. 1. & 2. junct. l. ult. C. de decur.*

Ut causæ post pubertatem adsit tutor.

Tit. 48. Lib. 5. Cod.

Annon & post pubertatem tutor adesse debet causæ pupillari?

Quamdiu tutor [a] in curatorem administrationem non transtulit, defensioni causarum pupillarium assistere debet: licet enim tutelæ pubertate finiantur, periculum tamen administrationis non ante finitur, quam cum rationes redditæ, & instrumenta fuerint tradita, *l. unic. C. h.*

[a] Hodie, ut sæpius reperitum, tutorum & curatorum officia confunduntur, adeoque tutores tenentur persequi illa negotia, quæ inceperunt, donec minor, ad justam ætatem pervenerit, vel legitimam ætatis veniam impetravit, vel matrimonium inivit; ita receptum est in Hollandia, *Grot. lib. 2. p. 10. Zyp. tit. de tutor.* Verum in Frisia aliisque locis, in quibus jus Civile viget, id quod hic proponitur, etiam vires habet.]

Debetne & tutor pubere facto pupillo appellationem à se interpositam prosequi?

Non solum ipse, sed & hæres ejus tenetur appellationis merita probare, antequam reddat rationes, *l. 27. ff. de appellat. l. 5. §. 6. ff. de admin. tutor. l. 24. ff. de appell. l. 1. ff. de fidejuss. tutor.*

Quid

Quid Juris circa executionem sententiæ?

Judicatum tutores vel curatores post pubertatem persequi non tenentur, atque ejus ratione periculo culpæ non subjiciuntur, *l.* 38. *§.* 12. *ff. de administr. tut.*

Tit. 9. Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conveniri possunt.

Tit. 39. Lib. 5. Cod.

Possuntne pupilli & minores ex facto tutorum vel curatorum agere vel conveniri?

Possunt: nam contrahendo ex rebus pupillorum & minorum, pupillis & minoribus actionem acquirunt, *l.* 2. *l.* 4. *C. h.* licet etiam pecuniam pupillarem tanquam suam mutuo dederint, vel ex ea prædium sibi comparaverint: nam non eo minus actio [*a*] ex mutuo aut dominium pupillis vel minoribus acquiritur, *l.* 2. *ff. h.* Vice versa, si in rem eorum pecuniam mutuam sumpserint, ipsi pupilli & minores obligantur, *l.* 3. *C. h.* & si fuerint condemnati, &, antequam satisfecerint, ab officio discesserint, actio judicati adversus pupillos vel adolescentes datur, *l.* 1. *C. h. l.* 26. *C. de administr. tutor.*

[*a*] Usus hujus rei hic est, ut si tutor non sit solvendo, pupillus præferatur omnibus creditoribus, tanquam dominus in pecunia sua mutuo data, vel re empta pecunia pupillari, licet data vel empta nomine ipsius tutoris: Pariter si sit res empta pecunia pupillari, & rei pretium valde sit auctum, potest pupillus rem pecunia sua emptam dicere absolute esse suam, sic ut illud augmentum consequatur. Quid ergo si sit diminutum? Potest pupillus rem illam rejicere, quo facit *pr. Inst. de auctor. tutor.* Debet n. tutor sibi imputare, cur eo modo processerit.]

Quid, si dolo quid fuerit commissum?

Non nocet pupillis nec minoribus, nisi qua locupletiores ex eo sunt facti, *l.* 3. *&* 4. *ff. h.*

Si ex

Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus omnes vel unus agere pro minore, vel conveniri possint. Tit. 40. Lib. 5. Cod.

Potestne unus ex tutoribus agere vel conveniri nomine pupillorum?

Potest, *l.* 1. *C. h.* nisi divisa sit tutelæ administratio per provincias; quisquis enim in sua provincia, non aliena, causas agit, *l.* 2. *C. h.*

Quid, si debitor in una provincia objiciat compensationem ejus, quod sibi debetur à pupillo in alia provincia?

Audiendus est, licet divisio tutelæ sit facta. Nam divisio tutelæ, quæ non juris sed jurisdictionis est, modum administrationi quidem facit, sed non impedit quo minus unius sit patrimonium, *l.* 36. *l.* 47. *in fin. D. de administr. tutor.*

Tit. 10. De suspectis tutoribus vel curatoribus. Tit. 43. Lib. 5. Cod. Tit. fin. Lib. 1. Inst.

Quid, si quis ex fide tutelam non gerat?

Hic propter malos mores removendus est à tutela, *t. t. D. h.*

Ex quibus causis suspectus sit tutor?

Si per contumaciam non gerat, *l* 3. *C. h.* vel fraudulenter aut segniter, *l.* 5. *C. h.* Quæ autem segnities sufficiat, judicis arbitrio [*a*] est relinquendum, *l.* 3. *s.* 12. *D. h.*

[*a*] Ratio est, quia nulla juris definitione comprehendi potest id quod facti est, *l.* 32. *ff. de usur.* In hac a. re debet judex esse tardus, ut non facile quem removeat; remotio n. licet infamiam juris non importet, inurit tamen notam apud probatos viros *arg. l.* 2. *ff. de obseq. patr. & parent*]

Quid, si faciat tutor, ut alimenta non possint decerni?

Si sui copiam non faciat, dabitur pupillo curator, quo authore pupillus in bonorum possessionem mittendus, & quæ mora deteriora sunt futura, distrahenda sunt, *l.* 3. *s.* 14. *D. s. Inst. h.* verum, si præsens conten-

contendat, non posse pupillo propter inopiam decerni, dabuntur pupillo advocati, &, si tutor mendacii convincatur, extra ordinem punietur, *d. l.* 3. *§.* 15.

Quid, si tutor accusatus offerat satisdationem?

Nihil id proderit. Expedit enim rem salvam habere, quam tabulas cautionis, *l.* 5. *&* 6. *C. h.*

Quid, si tutor ante tutelam, sive ejus administrationem male se gesserit?

Si quid admisit, antequam tutor esset, quamvis in bonis pupilli, non potest suspectus postulari, *l.* 3. *§.* 5. *D. h.* secus, si, cum tutor esset antequam administraret, quid commiserit, *§.* 5. *Inst. h.*

Possuntne omnes suspectos postulare?

Possunt; imo & mulieres, *§.* 3. *Inst. h.* quin & puberes ex consilio necessariorum; non autem impuberes, *§.* 4. *Inst. h. l.* 7. *D. h.*

Qui possunt fieri suspecti?

Omnes, cujuscunque sunt generis. Patronis vero hoc datum est, ut removeri quidem possint, sed non fiant infames, licet dolum commiserint, *§.* 2. *Inst. h.* Et consanguineis, si negligentiores sint, adjungitur curator ad administrandum, *l.* 2. *D. h.*

Quis est effectus hujus accusationis?

Simulac ea est proposita, statim adimitur tutori administratio, *l.* 7. *C. h.* quod ex favore pupillorum receptum est contra regulam communem, quæ vult, ne ab executione fiat initium, *l.* 2. *C. de execut. rei jud.* &, si accusatio vera deprehendatur, & sufficiens videatur causa, non tantum removendus est tutor, sed & ob dolum tantum fit infamis, *l.* 3. *§. fin. l.* 4. *ff §.* 6. *Inst. h.* &, si quid gravius concurrat, extra ordinem punitur, *§.* 9, 10. *Inst. h.*

Estne idem juris in lata culpa quod est in dolo, ut infamia tutor notetur?

Nequaquam, *d. l.* 3. *§. fin. & l.* 4. *l. fin. C. h. t.* Verum quidem est, quod, cum agitur tantum de damno resarciendo, lata culpa veniat nomine doli: sed hoc non procedit, cum de infamia, vel capitis, aut alia graviori pœna quæritur.

(*a*) In plurimis locis Hollandiæ causæ excusationum sunt

sunt ferè arbitrariæ, i. e. remissæ ad arbitrium eorum qui orphanis sunt præfecti ex publico officio; in Frisia a. sequimur jus Civile.]

PANDECTARUM

LIBER XXVII.

Tit. 1. De excusationibus. Tit. 62. Lib. 5. Cod. Si tutor vel curator reip. causa aberit. Tit. 64. Lib. 5. Cod. De excusationibus veteranorum. Tit. 65. Lib. 5. Cod. Qui numero liberorum se excusant. Tit. 66. Lib. 5. Cod. Qui morbo. Tit. 67. Cod. eod. Qui ætate. Tit. 68. Cod. eod. Qui numero tutelarum. Tit. 69. Cod. eod. Ne tutor vel curator vectigalia conducat. Tit. 41. Lib. 5. Cod.

Possuntne tutores vel curatores sese excusare?

POssunt, sive sint testamentarii sive legitimi sive dativi. Nam, licet legitimi tutores vi legis & ex jure sanguinis spem hæreditatis habeant, tamen, quia ea spes certa non est, & victuri sperantur pupilli vel minores, ne contra juris rationem graventur, etiam excusabuntur, si quidem causa fuerit justa, *l. 30. §. 2 ff. h.*

Quæ est prima causa?

Numerus (a) liberorum, Romæ trium, in Italia quatuor, in provinciis quinque. Si sint. 1. Superstites, vel in acie amissi. 2. Legitimi & naturales simul, sive primi gradus, sive ex filio descendentes, sive in potestate, sive non: non, si descendant ex filia, vel si sint naturales vel legitimi tantum. *pr. Inst. h.*

(a) Vide *Sande lib. 2. tit. 9. def. 8.* Obiter notandum, quod in hac causa debeant distingui ea, quæ sunt juris publici, & pertinent ad munera vel onera Reipubl. à tutela; numerus n. liberorum non excusat in publicis muneribus, ut videre est in *l. 1. C. de his qui muner. lib. 10. tit. 51.* Adde *l. 2. §. num. l. 8. pr. ff. de vacat. muner.*]

Quæ

Quæ est secunda?

Administratio rerum fisci,& conductio vectigalium, §. 1. *Inst. h. l. unic. C. ne tut. vel curat. vectigal.* Imo, qui rationes tutelæ non reddidit, non potest vectigalia conducere, sub pœna falsi, *d. l. unic.*

Quæ est tertia?

Absentia reipublicæ causa: & datur interim curator. In hac re hoc speciale est, quod absentes post reditum anni habeant vacationem à novis tutelis,at ante agnitas statim à reditu recipiant, §. 2. *Inst. h.*

Atqui multis locis dicitur, quod interim tutor detur, l. 12. *D. de tutel. l.* 3. §. 10. *D. de suspect. tut. l.* 9. *D. de tutel. & ration. distrah.*

Id accipiendum est,cum quis trans mare abest.quo casu in totum tutela finitur,*l.* 11. §. 2. *D. de minor.* Deinde non infrequenter nomen tutoris pro curatore, vel curatoris pro tutore ponitur.

Quæ est quarta?

Potestas [*a*] cum dignitate conjuncta, §. 3. *Inst. h.* [*a*] V. *Sande lib.* 2. *tit.* 9. *def.* 6.]

Quæ est quinta?

Lis [*a*] de omnibus bonis, vel hæreditate, quæ tutori est cum pupillo, vel curatori cum adulto, §. 4. *Inst. l.* 16. *C. h.*

[*a*] J. Novissimo Civili debitor vel creditor pupilli non recte potest esse tutor, *Nov.* 72. Id a. hodie mores temperant,ut non sit admittendum,cum de debito vel credito certo constet, & maxime si pater eum dederit tutorem.]

Quæ est sexta?

Translatio domicilii ex rescripto principis, scientis tutorem esse, *l.* 12. §. 1. *D. h.*

Quæ est septima?

Onus trium tutelarum, §. 5. *Inst. h. l. unic. C. qui num. tutel.* modo tutelæ non sint affectatæ, *d.* §. 5. *& l. unic.* Una vero ita diffusa, ut pro tribus sufficiat, etiam excusat, *l.* 31. §. *fin. D. h.*

Quid, si duæ sint species diversæ vacationis non sufficientes?

Non sufficient ad excusationem: ut, si quis duos habeat filios, & duas tutelas, *d. l. unic.*

Di-

Diversitas tutelarum ex quo æstimatur?

Non ex personis, sed ex administratione & patrimonio: quia propter onus administrandi datur excusatio, *d. §. 5.*

Quæ est octava?

Paupertas [*a*], propter quam datus tutor non recte supereſſe potest negotiis pupilli, *l. 7. ff. h.*

[*a*] Quæ sit in hac re definienda paupertas, præstat judicis discretioni relinquere, cum jure hoc non sit definitum, *arg. l. 1. in f. ff. de jur. deliber. junct. l. 32. ff. de usur.*]

Quæ est nona?

Adversa valetudo sontica, per quam quis sua non potest administrare; ut, si luminibus sit captus, surdus, mutus, aut furiosus, *l. unic. C. qui morb.* Sed, si quis ita æger sit, ut non omnino dimitti debeat à tutela, solet in ejus locum curator dari, *l. 10. §. fin. ff. hic.* uti etiam, si non sit perpetuo furiosus, *l. 12. pr. h.*

Quæ est decima?

Imperitia literarum, si talis sit tutela, quæ desiderat peritiam, vel si sit conjuncta rusticitas. Si vero talis sit tutela, ad quam peritia directo non requiritur, datus tutor non expers negotiorum gerendorum excusationem non habet, *§. 8. Inst. junct. l. 6. §. fin. ff. h.*

Quæ est undecima?

Inimicitia capitalis, ad quam reconciliatio non intervenit, quam tutor datus exercuit adversus patrem pupillorum, *l. 6. §. 17. ff. h.*

Quæ est duodecima?

Datio vexandi causa, quæ fit in hunc finem ut tutor subjiciatur multis difficultatibus, *§. 9. Inst. h.* publice enim interest amico affectu tutores dari, *l. unic. C. si propt. inimicit.*

Quæ est decimatertia?

Controversia status, quam tutor à patre pupillorum passus est, vel quam tutor pupillo bona fide movet, *§. 12. Inst. l. 6. §. pen. ff. h.*

Quæ est decimaquarta?

Ætas major septuaginta annis, *l. un. C. qui ætat. §. 13. Inst. h.* quæ in muneribus vere publicis semper nō præbet

bet excusationem, *l.* 2. *s.* 1. *ff de vacat. muner.* & aliquando in iisdem non exspectanda est.

Possuntne minores admitti ad tutelam?

Nullo modo, quia qui alterius cura regitur, alii tutor vel curator esse non potest, *d. s.* 13.

Quæ est decima quinta?

Conditio veteranorum, si non ad filiorum militum vel conveteranorum curam & quidem unicam sint vocati, *l.* 2. *C. de excus. veteran.* Milites [a] autem licet velint, tutelam non possunt administrare, *s.* 14. *Inst. h.*

[a] Id hodie nonnulli negant, sed videtur id esse minus ineptum, siquidem revera militent.]

Quæ est decima sexta?

Professio artium in iis, qui intra numerum sunt & in sua patria eas docent, *s.* 15. *Inst. h.* imo & in iis, qui supra numerum sunt & in aliena patria morantur, si valdè disciplinis sint instructi, *d. l.* 6. *s.* 10. Legum vero Doctores non habent remissionem, nisi Romæ doceant, *d. l.* 6. *s.* 12.

Quæ est decima septima?

Qui tutelam administravit, non cogitur esse curator, *s.* 18. *Inst. h.* Verum moribus id non obtinet.

Quæ est decima octava?

Adsumptio in consilium principis, *l.* 30. *pr. D. h.* (a)

(a) Secundum mores non potest maritus se excusare, ut notant *Grot. lib.* 1. *p.* 5. *Argentr. art.* 412. & 483.]

Quid, si quis promiserit se susceptorum tutelam?

Non poterit excusationibus uti, cum per promissionem suam iis renunciaverit, *s.* 9. *Inst. h. l.* 29. *D. de testam. tutel.* nisi post novæ excusandi causæ emerserint, *arg. l.* 12. *D. de transact.*

Quid, si quis alleget, se fuisse ignotum patri pupillorum?

Non præbet ea res excusationem, *s.* 10. *Inst. h.*

Quid faciet qui se excusare vult?

Non appellabit, sed causas coram judice, sive unam sive plures habuerit, intra 50 dies continuos numerandos à tempore quo scivit se datum, proponet, *s.* 1. 6. *Inst. h.*

Licetne

Licetne ergo appellare, si rejecta sit excusatio?

Licet, *l.* 1. *§.* 1. *&* 2. *D. quand. appell.* cum in aliis muneribus publicis ab ipsa datione soleat appellari, *d. l.* 1. *§.* 1. *&* 2.

Si tutor vel curator falsis allegationibus excusatus sit. Tit. 36. Lib. 5. Cod.

Quid, si tutor vel curator injustam vel falsam causam allegans fuerit excusatus?

Tutela vel cura periculo ejus erit ab eo tempore, quo administrare debuit, *§. fin. Inst. de excus. l.* 1. *&* 1. 1. *C. h.*

Tit. 2. Ubi pupillus educari vel morari debeat. Et de alimentis ei præstandis. Tit. 49. Lib. 5. Cod.

Ubi pupillus est educandus?

Maxime apud matrem, nisi ad secunda (*a*) vota transierit, *l.* 1. *C. h.* Et, si controversia inter matrem & agnatos vel tutores oriatur, judex statuet, inspecta qualitate & conditione personarum, *d. l.* 1. In specie vero judex rationem habebit, ne educet is, qui successionem sperat, si de ejus malitia vel minima sit suspicio, *l.* 2. *C. h.* vel sit is, qui pudicitiæ insidiari aut pupillum ad malos mores perducere possit, *l.* 1. *§.* 1. *l.* 5. *ff. h.* Nonnunquam ob causam etiam judex recedet à voluntate patris, *d. l.* 1. *§.* 2. *ff. h.*

(*a*) Id hodie non anxiè observatur, *Zyp. tit. de secund. nupt. Perez. C. h. in f. Robert. lib.* 1. *rer. judic. c.* 8.]

Cogine potest, quem judex eligit, suscipere pupillum alendum?

Nullo modo, nisi libertus, parens, affinis, (*a*) cognatus, hæres vel legatarius sit patris, *d. l.* 1. *§.* 2. 3. *ff. h.*

(*a*) Definitum est à Curia Frisiæ, quod frater germanus, consanguineus, vel uterinus possit cogi, sed non ita patruus, *Sande lib.* 2. *tit.* 8. *def.* 2.]

Potestne & apud vitricum educari?

Si æque commode possit pupillus educari apud alium, præteritur vitricus, *l.* 1. *ff. &* *l.* 1. *C. h.*

De

De alimentis pupillo præstandis. Tit. 50. Lib. 5. Cod.

Quomodo educandus pupillus?

Præstabuntur non tantum alimenta, sed & sumptus in disciplinas & servitia, secundum modum, quem Prætor arbitrabitur, *l. 2. §. 1. l. 3. pr. §. 1. 4. ff. h.* vel qui conveniat facultatibus pupilli. Nec tantum reputabit tutor, quantum dedit, si plus æquo dedit, sed quantum dare debebat, *d. l. 2. §. 1.*

Quid statuendum est in divitibus vel egenis?

In amplis patrimoniis non cumulus patrimonii, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit, *d. l. 3. §. 3. ff. h.* ita ut semper aliquid ex reditu supersit. Si non constet de modo facultatum cognitio ea de re est suscipienda, *d. l. 3. §. 4.* Et, si tutor non fideliter suggesserit Prætori statum bonorum, & supra vires sint decreta à Prætore alimenta, alimentorum omnium non habebitur ratio, *d. l. 2. §. 2.* Si vero pupillus ad egestatem sit deductus post alimenta decreta, diminui debent, quæ decreta sunt, quemadmodum augeri, si auctum sit patrimonium, *d. l. 3. §. fin.* Qui autem adeo sunt egeni, ut se ex suis sustentare nequeant, non sunt alendi à tutore, *d. l. 3. §. fin.* ne officium eorum iis sit damnosum; sed mittendi sunt ad [a] proximos, ut illi eos alant, si possint.

[a] Vel si proximiores eos alere non possint, receptum est ut ab universitate sua alantur.

Quid, si tutor simpliciter aluerit pupillum?

Officio judicis congruit impendia in alimenta & disciplinas tanquam reputationes non improbas admittere, *d. l. 2. D. h.* Nec ferendus est juvenis, qui, cum præsens esset studiisque eruditus aut alius, si ea per alium se consecutum non probet, sumptus recusat, quasi vento vixerit, aut nullo liberi hominis studio imbui meruerit, *l. 2. C. h.*

Tit. 3. De tutelæ & rationibus distrahendis. & utili curationis causa actione. Arbitrium tutelæ. Lib. 5. Cod. Tit. 51.

Quæ actiones sunt ex tutela vel cura?

Actiones [a] ex tutela dicuntur arbitria: & sunt vel directæ, vel utiles. Directæ ad tutelam; utiles ad curam referuntur. Directæ dantur pupillis contra tutores, ut reddant rationes administrationis, & quidquid pupillis debetur, restituant, *l. 9. C. h.* resarciantque damnum, quod illatum est, præstentque lucrum, quod non est acquisitum sed acquiri poterat, *l. 7. C. h.*

[a] De actionibus & rationibus tutelæ vide *Berlich. p. 2. conclus. 12. per tot.* & *Carpzov. ad constit. Elect. 11. p. 2.*

Secundum quæ debent rationes reddi?

Secundum fidem inventarii rite confecti; huic tam diu statur, donec contrarium expresse probetur. huc facit *l. 1. & fin. C. h.*

Annon & aliæ directæ dantur?

Sunt quæ nominantur in specie de rationibus distrahendis, quibus controvertitur de rebus, quas tutores subtraxerunt vel interceperunt. Hæ competunt in duplum, & non dantur contra hæredes, nisi qua pervenit, *l. 1. § pen. l. 2. pr. & § 2. ff. h.*

Quando dantur actiones directæ, sive de distrahendis rationibus, sive aliæ?

Demum tutela, non tantum pubertate, sed & alio quovis modo finita, [a] *l. 1. § fin. l. 4. ff. h.*

[a] Præstat, ut moribus receptum est, ut singulis annis, biennii, vel trienniis pro re nata reddantur rationes, ut constitutum à *Carolo V.* & *Augusto Electore d. const. 11. p. 2.*

De in litem jurando. Tit. 35. Lib. 5. Cod.

Quid, si tutor vel curator conventus non restituat inventarium vel cætera instrumenta?

Defertur juramentum [a] in litem, tam ex lata culpa, quam dolo *l. 1. 2. ff. h.* Sin autem nec dolus nec lata culpa intervenerit, judex de veritate rei tantum cognoscet, *d. l. 2. in fin.*

(a) Quid ergo si dolo malo non fuerit inventarium confectum? Resp. Etiam ex vi *l. 2. C.* jusjurandum in litem locum habere potest, quia non est parcendum illi qui in dolo est: aliter a explicat *Berlich. p. 1. conclus. 54. n. 95.*]

Potestne juramentum deferri hæredibus tutorum?

Non, si non dolus vel lata culpa ipsorum hæredum arguatur, *l. 1. & 4. C. h.* Cum vero lis contestata cum ipso tutore, partes suas judex interponet, arbitrabiturque, an contra hæredes in litem sit jurandum, *d. l. 4. & 5.*

Si tutor vel curator non gesserit. Tit. 55. Lib. 5. Cod.

Quid, si tutor vel curator non gesserit?

Non eo minus conveniri potest, &, si plures dati neglexerint administrationem, omnes sunt conveniendi, *l. 1. & 2. C. h.* In hac autem re sequi oportet regulam, traditam supra *tit de dividenda tutela.*

De usuris [a] pupillaribus. Tit. 56. Lib. 5. Cod.

Quæ usuræ à tutore sunt præstandæ?

Si tutor pecuniam pupillarem non potuerit hominibus idoneis credere, vel in emptionem prædiorum convertere, nullas debebit, *l. 3. C. h.* Si clam in suos usus converterit, centesimas, *l. 38. ff. de negot. gest.* aliàs tantum ordinarias, *l. 1. C. h. l. 7. §. 4 ff. de administr. tutor.*

[a) Hodie usuræ pupillares sunt eædem cum ordinariis, *Christin. vol. 3. dec. 165. n. 6, 7. Neostad. dec. 51.*]

Quamdiu currunt hæ usuræ?

Donec rationes (a) sint redditæ, etiamsi finitum sit officium, *d. l. 7. §. fin. l. 46. §. 3. ff. eod.* Sin autem tutor liberari velit ab usuris, interpellabit frequenter curatorem, ut rationes accipiat, & provocabit ad judicem, & hoc facto sufficiet sola reliquorum oblatio sine ulla depositione, ut sistatur cursus usurarum, *l. fin. C. h.*

(a) Redditas rationes hic accipimus cum effectu, ut simul

simul reliqua sint soluta, ut eleganter hoc explicatur in *l.* 82. *in. f. vers. itaque. ff. de condit. & demonstr.*]

Tit. 4. De contraria & utili actione tutelæ. Tit. 58. Lib. 5. Cod.

Quæ sunt contrariæ tutelæ actiones?

Dantur directo tutoribus, utiliter & curatoribus, ut indemnes ratione administrationis serventur, *l. ult. C. h.* & non tantum iis refundantur impensæ utiliter factæ, sed & præstentur usuræ, *l.* 3. *s.* 4. *ff. h.* quatenus compensari non possint, *l. ult. C. h.* ut etiam liberentur à fidejussionibus, quas in administratione præstiterunt, & similibus oneribus ac molestiis.

Quando hæ actiones instituuntur?

Tutela finita, nisi quis pro tutore negotia gesserit: tunc enim statim locus erit huic judicio, *d. l.* 1. *s.* 3. *ff. h.* Imo competunt hæ actiones, licet tutelæ judicio non agatur, *d. l.* 1. *s. fin.*

Si mater indemnitatem promisit. Tit. 46. Lib. 5. Cod.

Quid, si mater indemnitatem promiserit?

Æque tutor ex administratione potest conveniri: quinimo & tutor ex eo nihil commodi vel securitatis consequetur, quia est species intercessionis, quæ infirmatur per SConsultum Vellejanum, *l.* 1. *C. h.* nisi specialiter decreto sit comprehensum, tutorem dari periculo matris, *l. fin. C. h.*

Quid, si mater administrationem suscipiens promiserit tutori indemnitatem?

Tenebitur, quia magis suum quam alienum negotium gessit, *l.* 2. *C. h. junct. l.* 6. *pr. D. ad SC. Velleian.*

Tit. 5. De eo, qui pro tutore vel curatore negotia gessit. Tit. 45. Lib. 5. Cod.

Quid, si quis administraverit pro tutore negotia, cum tutor non esset, vel jure dari non posset?

Tenetur actione pro-tutelæ *l.* 1. *pr. D. h.* ex administratione, ac si tutor fuisset, *l.* 1. *C. h.* non tantum ob ea quæ gessit, sed & quæ gerere debuit, *d. l.* 1. *s. fin. D. h.*

Sin autem omnino non attigerit quædam negotia, tenebitur eorum nomine tunc tantum, cum alius omnia gesturus fuisset, *d. l. 1. §. fin.* viceversa ob ea, quæ gessit, ei, qui pro tutore gessit, si quid eorum nomine absit, contrarium dabitur judicium, *l. fin. D. h.*

Tit. 6. Quod falso tutore gestum esse dicetur.

Quid, si quid à falso tutore sit gestum?

Ei, qui ignorans cum eo contraxerit, datur restitutio in integrum, *l. 1. §. fin.* non ei, qui scierit, nisi sit minor, *d. §. fin. & l. 4. D. h.* & agitur in id, quod interest revera, *l. 7. §. 2. & 3. ff. h.*

Quid, si in judicio quasi tutor agat falsus tutor?

Potest in qualibet parte judicii instar falsi procuratoris, *l. 24. C. de procurat.* exceptione removeri, etiamsi probet suam intentionem, *l. 2. C. h.*

De hæredibus tutorum vel curatorum. Tit. 54. Lib. 5. Cod.

Annon præter ipsos tutores & alii teneantur?

Tenentur [a] varii. 1. Hæredes tutorum, in quos tale judicium transfertur, quale [a] defunctus suscepit, *l. fin. §. 1. D. de fidejussor. tut.* Et, si inchoatum sit judicium cum defuncto, tenentur de omnibus respondere, de quibus tenebatur defunctus, etiam de levi culpa. Cæterum, filis non sit inchoata, tantum dolum & latam culpam præstant, *l. 1. C. h.*

[a] Id a. ita est accipiendum, ut, si defunctus fuerit conventus à pupillo, etiam hæres teneatur suscipere idem judicium; ita tamen ut requiratur reassumptio litis, ad quam rem speciali citatione est opus, *Berlich. p. 1. conclus. 27. n. 27.*]

Tenenturne perficere hæredes negotia à defuncto inchoata?

Tenentur, modo legitimæ sint ætatis, & masculi, *l. 1. pr. D. de fidejussor. tutor.* Debentque præstare eodem modo rationes & usuras, quo ipse tutor, *l. 1. §. 1. l. 3. D. eod.* Et, si tutores defuncti pecuniam pupillarem agitaverint, hæredes eorundem præstabunt usu-

ras,

ras, quantas judex constituerit æquitati convenire *l. 4. §. 2. D. eod.*

Tit. 7. De fidejussoribus & nominatoribus. Tit. 57. Lib 5. Cod.

Qui secundo loco tenentur?

Tutorum fidejussores, sive expresse intervenerint, sive tacite; uti, si præsentes sine contradictione passi sunt sua nomina referri. Etiam illi, qui nominarunt tutores, vel qui affirmarunt eos idoneos esse, *l. 4. §. fin. D. h. l. 12. §. 13. ff. Mandat. junct. l. 9. ff. de dol. malo. l. 5 §. 10 ff. de instit. act.*

Habentne hi fidejussores beneficium ordinis?

Habent, *Nov. 4. c. 1.* imo &, si plures sint, divisionis, *l. 6. D. h. l. 1. §. 10. & 11. D. de tutel. & ration.* si pupillus ipse non agat, *l. ult. rem. pupill. D. h.*

Qui præterea conveniri possunt?

Honorarii tutores vel curatores, *l. 3. §. 2. D. de administr. tutor.* & alii contutores, qui administrarunt, non divisa per testatorem, judicem vel legem tutela, vel qui suspectos non reddiderunt eos, qui administrarunt, *l. 2. C. de divid. tutel.* de quibus supra.

Tit. 8. De Magistratibus conveniendis, & eorum hæredibus. Tit. 75. Lib. 5. Cod.

Quinam ultimo loco tenentur ad securitatem pupillorum?

Datur actio [a] subsidiaria adversus magistratum, qui nullam vel non satis idoneam cautionem exegit à tutoribus vel curatoribus, *l. 1. 4. & 5. C. h.* etiam adversus hæredes eorum, ob dolum & latam culpam, ut & scribas, quibus mandatum fuit inquirere, si negligentes fuerint, *l. ult. C. h.* Non autem contra majorem magistratum, qui non solet satisdationem exigere, *§. fin. Inst. de satisdat. tutor.*

[a] Id quidem in Hollandia Meridionali quoq; receptũ

est; aliàs a generaliter hodie magistratus actione nulla conveniri potest, nisi aliquid dolo fecerit, *Busius in l. 1. ff. h.*]

Datur ne hæc actio in totum ordinem?

Nequaquam, &, si ordo in se periculum receperit, tantum præsentes conveniri possunt, *l. 1. D. h.* Fidejussores autem magistratus, qui & quia rempublicam, non pupilli, salvam fore promiserunt, non tenentur.

Quid, si ab initio fuerit idoneus tutor, & satisdatio non sit facta?

Id non magistratui ad excusandum sufficit: verum, si is satisdederit, quamvis postea lapsus sit facultatibus, nihil magistratui imputabitur. Non enim magistratus fortuitos casus & fortunam pupillo præstabit, *l. 1. §. 11. ff. h.*

Quid, si satisdatio non sit exacta, & tutor idoneus fuerit eo tempore, quo tutelæ agitur?

Nihil magistratus præstabit, *d. l. 1. §. 12.*

Quis probare debet idoneum fuisse, vel non?

Magistratus tenetur docere idoneum fuisse tempore satisdationis, non contra pupillus: quia ad magistratus officium erat inquirere, *d. l. 1. §. 13.*

Tit. 9. De rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis. Tit. 71. Lib. 5. Cod.

Possuntne res pupillorum vel minorum à tutoribus vel curatoribus alienari?

Non possunt sine decreto, *l. 22. C. de administr. tutor.* & justa causa, nisi sint res, quæ servando [a] servari non possunt, *d. l. 22.*

[a] Idem etiam accipe de pecunia, quod sc. ea possit mutuo dari à tutore, quia non alium habet usum pecunia, quam ut collocetur in emptionem prædiorum, vel fœnori detur.]

Quid venit nomine alienationis?

Omnis actus per quem dominium transfertur; uti venditio, permutatio, donatio (nisi donatio fiat propter nuptias, vel ob dotem;) *d. l. 22 l. 4. C. de præd. min.* in solutum datio, *l. 15. C. eod.* transactio, *d. l. 4.* (nisi ita sit

sit facta, ut res retineatur, *l.* 46. *in fin. D. de administr. tutor.*) divisio, ad quam provocant pupilli vel minores, *l.* 1. *§* 2. *l.* 7. *D. h. l.* 17. *C. de præd. min.* repudiatio commodi delati, *l.* 5. *§.* 8. *D. h.* In hypothecam vel Emphyteusin perpetuam datio, *l. fin. C. de reb. non alien.*

Quæ requiruntur, ut possit fieri alienatio ex decreto?

Ut sit justa causa. sic in transactione, ut jus valde sit dubium: in divisione, ut socius sit rixosus, vel periculum sit, ne dilapidet: in venditione, ut sit æs alienum, & ex aliis rebus non possit exsolvi, *l.* 1. 5. *§.* 14. *D. h. l.* 12. *C. de præd. min.* sive sit paternum sive proprium, modo sit urgens, grave & incommodum minori, *d. l.* 5. *§.* 9.

An utilitatis causa venditio possit celebrari?

Nusquam ea causa recepta est; imo & rejecta, *l.* 13. *D. h. l.* 5. *§.* 14. *ff.* Verum si magna sit [*a*] utilitas, subveniri debet, *arg. l.* 11. *D. de rit. nupt. l.* 7. *C. de contrah. stipul. l.* 28. *§.* 1. *D. de pact.*

[*a*] Idem statuit & *Autumn. in coll. ll. ad l.* 13. *ff. h.*]

In quæ debet fieri inquisitio?

Ea sunt elegantissime descripta *l.* 5. *§.* 9. 10, 11. *& seqq. D. h.* &, si obreptum sit judici, nihil id nocebit læsis, sed integra [*a*] manebit iis actio.

[*a*] Sic ut vindicatio fieri possit, nec opus est ut minor offerat pretium, si tutor id consumpserit, & in utilitatem pupilli non converterit, *l.* 10. *C. de præd. & aliis reb. min.*]

Quid, si sine decreto, vel ex decreto nimis vili pretio, fiat alienatio?

Si sine decreto, manet dominium penes pupillos vel minores; si nimis vili pretio per decretum fiat alienatio, dabitur causa cognita restitutio, *l.* 11. *C. de præd. minor.*

Quid, si minor alienationem sine decreto factam sequi velit, major autem ab eo resilire?

Non potest major resilire: nam debet sibi imputare, si damnum patiatur, quod cum eo contraxerit, quem sciebat, vel scire poterat valide non obligari, *l.* 13. *§.* 29. *D. de act. empt.*

Debetne necessario decretum præcedere?

Non est necesse: quia effectu idem est jubere, & ratum habere, *l. fin. C. ad SC. Maced.*

Potestne, quia publicè facienda est venditio, ipse tutor emere?

Non prohibetur; modo bona fide omnia gerantur, *l. 2. §. 8. D. pro. emp.* unde si minoris emerit, tutelæ judicio non tenebitur, nec obstat, *d. l. 2. §. 8. in fin.* (a)

(a) Quia textus in *d. l. 2. §. 8.* accipiendus est de eo casu, quo non ex judicis decreto fit venditio ex necessitate, sed tutor simpliciter auctionem instituit.

Potestne, si ex decreto facta sit venditio, emptor tuto curatori solvere?

Potest, *l. 7. §. fin. D. de curat. furios.* Sic tamen, ut, si læsio sit facta, non denegetur restitutio, *l. 1. & 2. C. si advers. vendit.*

Quando decreto opus non est. Tit. 72. Lib. 5. Cod.

Quando non opus est decreto?

1. Si major minorem provocaverit ad divisionem, *l. penult C. de. prad.* 2. Si pater; vel alius testator alienationem jusserit vel fieri permiserit, *l. 1. & 3. C. h.* licet etiam testamentum factum sit irritum, *l. fin. ff. h.* 3. Si princeps concesserit, *l. 2. C. h.* 4. Si pater, vel is, cui pupillus successit, stipulanti fundum spoponderit, *l. 5. §. 6. ff. de reb. eor.* 5. Si parens, vel is, cui successit pupillus, *l. 1. C. h.* vel etiam ipse pupillus cum pacto de retrovendendo emerit. 6. Si sit necessaria distractio; veluti ex pignore, quod decreto constitutum est, *l. 7. §. 1. ff. de reb. eor. l. 1. C. de prad. minor.* 7. Si magistratus mittat in possessionem bonorum, *l. 3. §. 1. ff. eod.* 8. Si minores testamento alienent, *arg. l. 5. ff. qui testam. fac. possunt.* 9 Si pupilli delinquant, & ex delicto bona publicentur, *arg. l. 111. ff. de R. I. junct. l. 3. §. 1. ff. de reb. eor.*

Quid, si pater sit curator liberorum?

Etiam requiritur decretum; verum pronior (a) erit judex ad consentiendum, *l. 7. §. 2. ff. de reb. eor.*

(a) Vide de hac re *Sande tract. de prohib. rer. alien. c. 1. n. 7.*

n. 7. & seqq. & adde *l. ult. §. sin autem C. de bonis quæ liberis &c.*]

Quid, si judex permiserit vendere, & tutores rem obligaverint?

Nullius momenti est oppigneratio, quia aliud à tutoribus est factum, quam decretum erat à judice, *d. l. 7. §. 3.*

Si quis ignorans rem minoris esse sine decreto comparaverit. Tit. 37. Lib. 5. Cod.

Quid si quis ignorans rem esse minoris sine decreto emerit?

Bonæ fidei emptor, postquam minor ad legitimam ætatem pervenerit, incipiet usucapere, *l. 1. in fin. l. 3. & fin. C. h.* Qui autem scivit rem esse minoris, non usucapiet, sed tenetur quovis tempore vindicanti restituere cum fructibus, *l. 2. C. h.*

Si major factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit. Tit. 74. Lib. 5. Cod.

Quid, si major factus alienationem sine decreto factam, ratam habuerit?

Sive expresse, sive tacite per minoris vel ejus hæredis silentium quinquennale post legitimam ætatem confirmata sit alienatio, habebit ea plenum effectum, nisi donatio simplex sit facta; ad hanc enim supra legitimam ætatem 10 anni inter præsentes, 20 inter absentes requiruntur, *l. ult. C. h.*

De curatoribus furioso, & aliis extra minores dandis. Tit. 70. Lib. 5. Cod.

Habentne ea, quæ dicta sunt de alienatione & similibus locum in furioso vel prodigo, eorundemque curatoribus?

Non dubitatur, ob sententiam orationis, *l. 8. §. 5. l. 11. D. de reb. eor.*

Esne quid singulare in furiosis?

Quod hæreditatem, sibi delatam tempore furoris,

non transmittant [a] ad suos propinquos, sed ad eorum, à quibus bona sunt profecta, *l.* 8. *s.* 8. *C. h.*

[a] Id hodie in Hollandia non viget; in Frisia a. aliisque locis, in quibus Jus Civile viget, etiam locum habet,]

Quomodo interdicitur prodigo bonis?

Ad instantiam proximorum, *l.* 12. *s.* 1. *D. de tutor. & curat. dat.* inter quos filius comparere non debet, nec filius prodigo patri curator est dandus, *l.* 1. *s.* 1. *D. h.* Quinimo & judex ex officio & nemine petente potest interdicere: semper autem desideratur magistratus sententia, *l.* 16. *s.* 1. *D. h.* licet etiam prodigalitas sit notoria.

Atqui lege prodigis interdicitur bonis,
l. 1. *D. h. l.* 6. *D. V. O.*

Lege fit interdictio, qua lex potestatem interdicendi defert & vult eam fieri: verum magistratus, quia res facti est, eam facit, *arg. l.* 32. *ff. de usur.*

Quid, si quis notorie sit prodigus, potestne contrahere, testamentum facere?

Potest, *arg. l.* 10. *ff. h.* qui autem crediderit luxurioso, sciens quod is scorto mox sit daturus nummos, creditum amittit, *l.* 12. *s.* 11. *ff. mand. l.* 8. *ff. pro emptor.*

Quando prodigus desinit esse in cura?

Cum ad sanos mores redierit, ita tamen ut accedat sententia judicis, *arg. l.* 1. *ff. h. t.*

QUIN-

QUINTA PANDECTARUM PARS.

LIBER XXVIII.

Tit. 1. Qui testamenta facere possunt, & quemadmodum testamenta fiant. Tit. 22. Lib. 6. Cod. Tit. 12. Lib 2. Inst.
De testamentis ordinandis. Tit. 23. Cod. Lib. 6. & Tit. 10. Inst. Lib. 2.

1. De variis speciebus testamentorum, eorumque definitionibus.

Quid est testamentum?

IN genere acceptum denotat omnem ultimam voluntatem. hoc sensu appellatur testatio mentis, *pr. Inst. h.* & definitur, justa voluntatis nostræ sententia de eo, quod post mortem nostram fieri velimus, *l. 1. ff. h.*

Quid intelligimus per justam voluntatem?

Non solemnem, non omnibus numeris perfectam, sed legibus conformem. licet enim codicillus nullam solemnitatem in ordinando desideret, *§. fin. Inst. de codicill.* nec complectatur universalem, & perfectam de rebus omnibus dispositionem: tamen, cum in eo etiam regulæ juris sint spectandæ, *l. 17. §. fin. ff. de testam. mil.* est suo modo justa [a] dispositio. Inde est quod testamenti nomine veniat, & pars testamenti dicatur, *l. 2. ff. test. quemadm. aper. l. 1. §. 2. & seqq. ff. de tabul. exh.*

[a] Idem & eleganter tradit *Carpzov. p. 3. constit. 4. def. 3. n. 3. & def. 29. n. 3.*]

Atqui nominatim distinguuntur codicilli à testamentis, l. 7. C. de codicill.

Id fit, cum testamenta in specie accipiuntur, non cum in genere.

Cur dicitur in definitione, nostræ voluntatis?

Vt testamentum distinguatur à contractibus. nam in testamentis tantum est disponentis voluntas; in contractibus, vero duorum vel plurium, *l. 31. ff. de oblig. & act.* [a] Ex hoc apparet, donationem mortis causa factam non referri ad testamentum, cum fiat ex consensu duorum, *l. 38. ff. de mort. caus. don.*

[a] Quibus adde, quod testamenta non possint pendere absolute ab alieno arbitrio, *l. 32. ff. de hered. instit.* quod testamenta etiam non possint fieri per procuratorem, *Carpzov. d. p. 3. constit. 1. def. 36. n. 3.*

In quas species distribuitur testamentum in genere acceptum?

Aut est in specie sic dictum, aut codicillus, *d. l. 7. C. §. 2. Inst. de codicill.*

Imo videntur plures esse species, uti legatum, fideicommissum, epistola codicillaris, donatio mortis causa?

Nequaquam. Legata enim vel fideicommissa sunt relicta testamento, vel codicillis, Donatio mortis causa fit per contractum: nec pertinet ad jus testandi, nisi effectu tenus. Epistola codicillaris, est codicillus, & quamvis nonnunquam quoad verba testamentis & codicillis opponatur, non tamen est species distincta à codicillis, quia oppositio, quæ inter codicillos & epistolam codicillarem fit, non est tanquam inter diversas species, sed genus & speciem: vel in tali oppositione codicilli accipiuntur pro omnibus illis speciebus codicillorum, qui per modum epistolæ non formantur; & epistola pro iis codicillis, qui tantum per epistolæ formam fiunt.

Quid est testamentum in specie?

Est id, quod habet hæredis institutionem, *§. 2. Inst. de codicill.* Hoc testamentum secundum excellentiam ubique fere testamentum appellatur.

Quo-

Quomodo distinguitur?

Est vel solemne, vel minus solemne. Solemne, ad quod ordinariæ solemnitates adhibendæ sunt, *l. 1. D. de injust. rupt.* Minus solemne, quod non omnes, vel nullas desiderat.

Quomodo distinguitur solemne?

Est vel scriptum, vel nuncupativum. Scriptum, quod scripto & non aliter conficitur. Nuncupativum, quod sinè scriptis fit, *§. 3. & fin. Inst. h.*

2. Qui testamenta facere possunt.

Quid desideratur in omni testamento?

Vt, qui condit testamentum, ejus faciendi potestatem habeat, & id legitime ordinet, *l. 4 ff. h.*

Qui possunt testamentum condere?

Non omnibus permissum est. Faciendi autem jus nonnullis non est propter potestatem. Hoc modo servi testari nequeunt, *l. 16. 19. ff. h.* licet etiam liberi facti decesserint, *d. l. 19.* & filiifamilias; cum pugnare videtur cum decore patriæ potestatis, ut, qui in potestate est, de universis bonis disponat, *d. l. 16. 19.* Nec valebit testamentum à filiisfam. conditum, licet postea sui juris sint facti. *d. l. 19.*

Quid, si parentes consenserint?

Cum ratio, ob quam denegata est potestas filiisfamilias, sit ex jure publico, & ipsa testamenti factio sit juris publici, *l. 3. ff. h.* & nemini competat, nisi cui jus publicum concesserit, patris consensus nihil hic operatur, *pr. Inst. quib. non est permiss. l. 6. ff. h.*

An igitur nullo casu filiifamilias testari possunt?

Possunt de peculio castrensi vel quasi, non de adventitio, *d. pr. Inst. l. 11. C. qui testam. facer. poss.*

Quid statuendum de adventitio peculio, in quo pater non habet usumfructum?

Filiosfamilias de eo testari non posse: quia tantum concessa est iis testamenti factio de castrensi vel quasi, *d. l. 11.*

Atqui

Atqui directo contrarium innuitur in Nov. 117. cap. 1. §. 1. l. 8. §. 5. verſ. C. de bon. quæ lib. l. 50. ff. ad SC. Trebell.

Nihil obſtant dicti textus. Nam *d. Nov.* loquitur de adminiſtratione bonorum, ut ipſe contextus ſatis indicat. Et *d. l. 8. §. 5.* explicatur per *d. l. 11. C. qui teſtam. facer.* Deinde *d. l. 8. §. 5.* tantum habet argumentum à contrario ſenſu, quod contra alias leges non procedit. Et verba *in d. §. 5. conſtitutus uſusfructus* ſic accipi debent, ut dicatur conſtitutus etiam is, qui ſpecialiter ademptus eſt, cum per legem ſit conſtitutus in omni peculio adventitio, & per accidens fiat, quod adimatur. Neque etiam eo tempore, quo *d. l. 8.* lata eſt, fuit permiſſum adimere uſumfructum, & ſic is textus non poteſt intelligi de adempto uſufructu. In *d. l. 50.* tantum eſt comparatio ſecundum quid, non omnia.

Suntne plures, qui ob poteſtatem teſtari nequeunt?

Sunt capti (*a*) ab hoſtibus, *§. ult. Inſt. quib. non eſt permiſſ. l. 8. ff. eod.* Obſides (*a*), *l. 11. ff. eod.* niſi iis permittatur. Pariter & illi, qui de ſuo ſtatu dubitant, vel errant, *l. 14, 15. D. qui teſtam. facer. poſſ.* damnati (*b*) pœnæ capitalis, *l. 8. §. 1. & fin. D. eod.* Quod & novo jure civili verum eſt, cum *Auth. Bona damnatorum C. de bon. damn.* non largiatur damnatis ad mortem teſtamenti factionem, ſed hæredibus ab inteſtato, adſcendentibus & deſcendentibus & ex latere junctis uſque ad tertium gradum hæreditatem addicat.

(*a*) Cum hodie capti non fiant ſervi hoſtium, & obſides non ſint in poteſtate abſoluta, recte capti ab hoſtibus & obſides teſtari poſſunt, *Zypæus de teſtam.* (*b*) Secundum Mores a. ſolent damnati ad mortem teſtari, quia vetera iſta jura ſervitutis pœnæ & ſimilia ſunt ſublata.]

Annon ex aliis cauſis nonnulli nequeunt teſtamentum condere?

Aliqui ob defectum animi, uti mente capti, *§. Inſt. quib. non eſt permiſſ.* furioſi, impuberes, *d. §. 1.* nec non prodigi, quia furioſis aſſimilantur, *§. 2. Inſt. eod.* Nonnulli

nulli ob vitium corporis vel in totum vel certo modo, uti surdi, muti, vel cæci.

Quid, si furiosi dilucida habeant intervalla?

Valent testamenta iis temporibus, quibus mente valent, facta, *d. §. 1.* & si factum sit testamentum à furioso dilucida habente intervalla, in dubio præsumitur valere, *arg. d. §. 1. junct. l. 5. C. de codicill.*

Quo tempore pubes condit testamentum?

Etiam ipso die natali, quo ingressus est pubertatem, *l. 5. D. qui testam. facer.* & si fecerit cum impubes esset, per pubertatem non redditur validum, *l. 19. D. eod.*

Quid, si prodigus testetur in commodum eorum quibus consulere debet?

Testamentum ex æquitate est recipiendum, *Nov. Leonis (a) 39.* & quod ante interdictionem prodigus fecit, ipso jure est validum, nec tollitur per interdictionem subsecutam. *§. 2. Inst. eod.*

(a) Magis argumenta quæ sunt in *d. Nov.* allegantur in probationem ejus quod hic dicitur, quam auctoritas *Leonis*, quæ non recipitur.]

An nullo jure surdi & muti testari possunt?

Surdi & muti simul natura, testari nequeunt, casu, possunt, modo literas noverint. Si vero discreta sint vitia, recte testantur, modo voluntatem suam voce probe enuncient, si sint surdi tantum: & si muti tantum, modo literis mentem suam exprimant, *l. 10. C. qui testam.* Si autem tardius exaudiant vel loquantur, valide testabuntur, *§. 3. Inst. h.*

Quomodo cæci testantur?

Debent primum coram notario & septem testibus aperte voluntatem suam declarare; initio facto ab hæredis institutione: quæ voluntas unico contextu in scripturam redigenda, & ab omnibus testibus præsentibus confirmanda est subscriptionibus, *l. 9. C. eod.*

Quid, si initium non sit factum ab hæredis institutione?

Ob hoc voluntas ultima non rejicienda est: nec enim ordinem scripturæ, sed rei sequi oportet, *l. 6. ff. de solut. quo facit l. pen. C. de inst. & substitut.*

Quid,

Quid, si corpore quis valde æger sit?

Testari æque potest, licet sit senex; modo animo valeat, *l. 2. ff. l. 3. Cod. qui test. facer. poss.* Imo valet ea ultima voluntas, quam lingua balbutiens sed seminecis profudit, *l. 15. C. de testam.*

3. De solemnitatibus testamentorum.

Quæ solemnitates desiderantur ad testamentum solemne, cujuscunque sit generis,

Præter hæredis institutionem, quæ basis & fundamentum est testamenti, requiritur præsentia septem [a] testium, eorundemque ad hunc actum specialis rogatio, & ut omnia fiant unico contextu, *§. 3. & fin. Inst. de testam. ordinand. l. 21. C. eod.*

[a] Idem & in Frisia observatur, in Hollandia a. & plurimis Provinciis confœderatis sufficiunt duo Scabini cum Secretario, vel duo testes cum Notario, *Grot. lib. 2. p. 17. Coren obs. 31. Gudelin. lib. 2. de I. N. c. 5. Zypæus de testam.* licet etiam non subscripserit testator, valet æque testamentum, ita, ut ante dictum est, factum, *Coren. obs. 10.*]

Quid, si unus ex testibus abfuerit?

Testamentum nullius est momenti, *l. 12. C. eod.* imo nec obligat directo conscientiam hæredis ab intestato.

Præsumiturne in dubio rogatio testium?

Nequaquam: sed eam hæres probare debet. Interim si adscriptum sit testes esse rogatos, vel si testes subscripserint, præsumetur pro rogatione, *arg. l. 30. ff. de V. O.*

Qui possunt esse testes?

Qui non prohibentur. Prohibentur autem mulieres, quia pro aliis solemnium non sunt capaces, *§. 6. Inst. de testam. ordin.* impuberes, furiosi, nisi dilucidum intervallum habuerint, servi, prodigi, jussi esse improbi & intestabiles, *d. §. 6.*

Quid, si quis publice habitus fuerit pro libero, & sit servus?

Favor testamenti exigit, ut testamentum substineatur, *§. 7. Inst. eod quo facit l. 3. ff. de offic. prator.*

Possuntne

Possuntne & infames esse testes?

Possunt, modo non sint jussi intestabiles; nam his nec testamentum facere, nec testimonium in testamento dicere licet, *l. 26. ff. h. t.* Sunt autem jussi intestabiles, qui ab carmen famosum sunt damnati, vel repetundarum, *l. 18. §. 1. l. 20. §. 5. ff. h. l. 15. ff. de testib.* & similes.

Potestne pater filio esse testis in testamento?

Potest, si filium non habeat in potestate, vel filius testetur de peculio castrensi ante missionem, *§. 9. Inst.*, non vero, si post eam. *d. l. 20. §. 2. ff. h.* Verum in tertii testamento una cum filio est testis, & loco duorum ipse & filius habentur, *§. 9. Inst. eod.*

Potestne hæres esse testis?

Non, nec pater nec frater ejus, inter quos est idem vinculum potestatis, *§. 12. Inst. eod.* licet etiam sit hæres tantum fideicomissarius,

Quid juris in legatariis, & fideicommissariis singularibus?

Illi tam in testamento nuncupativo quam scripto recte sunt testes, cum non sint juris universi successores, *§. 11. Inst. eod.* & hæres eos, cum pro se approbaverit, postea reprobare non debeat, *arg. l. 9. ff. de negot. gest.*

Quomodo testamentum dicitur fieri unico contextu?

Cum nihil committitur, ex quo suppositio aliarum tabularum metui potest, vel oriri dubitatio, an omnia legitime à testatore sint expressa. confer, *l. 21. §. ult. ff. h.* cum *l. 28. C. de testam. ordinand.*

Potestne ergo celebrari contractus in testamento?

Potest quidem fieri declaratio testatoris de aliquo contractu, sed non recte fit contractus in testamento, nec testamentum per contractum, *arg. l. 23. ff. de Verbor. Signif.*

Atqui dicitur pignus constitui in testamento, l. 26. ff. de pignorat act.

Id verum est, non ut contractus de pignore celebretur dum testamentum conditur, sed testator offerat creditori pignus ad securitatem crediti.

Qua

Quæ solemnitates desiderantur in specie in testamento scripto?

Præter præcedentes, requiritur: 1. Vt nomen hæredis scribatur, sive per testatorem, sive per alium, ut novissime expressum *Auth. & non observato. C. de testam.* 2. Vt testes subscribant, nec non testator, vel ejus loco alius, qui ad hoc specialiter est rogatus, *l.* 21. *C. eod.* 3. Vt omnes subsignent [*a*] tantum annulo, *l.* 22. *§.* 5. *D. eod.* sive uno, sive pluribus, sive proprio, sive alieno, *d. l.* 21. *junct. §.* 5. *Inst. h.*

[*a*] Hodie testamenta valent, licet nulla sint signacula apposita, *Coren obs.* 10. *Grot.* 2. *p.* 17. *Graff §. testam.* Q. 10. *n.* 8.]

Quid, si testator dixerit, Instituo eum, cujus nomen scribam in codicillis?

Valet illa institutio acsi in testamento esset facta; & ex testamento suum robur habet, *l.* 77. *D. de hæred. instituend.*

Cur magis annulo quam alio impresso fieri oportet subsignatio?

Annulus non quivis hic sufficit, sed signatorius. Quod autem annulus requiratur, non ad majorem fidem, sed rei dignitatem & solemnitatem pertinet.

Quæ sunt solemnitates speciales testamento nuncupativo?

Ut nuncupatim, hoc est, viva voce omnibus audientibus, *l.* 21. *D. h.* hæres coram testibus idoneis septem rogatis instituatur, *d. l.* 21. *§.* 2. *C. de Test. ordin.*

Quid, si postea sit scriptum?

Manet æque nuncupativum; initium enim cujusque rei spectari debet, *arg. d. §. fin. Inst. eod. junct. l.* 3. *C. ad SC. Macedon.*

Quid, si testator palam voluntatem suam enunciaverit, & scriptura testamenti in continenti facta a subsignationibus sit munita?

Habebitur non tantum pro nuncupativo, sed & pro scripto: siquidem utriusque solemnitates sint adhibitæ. Sin autem quid sit omissum de solemnitatibus in scripto requisitis, potest sustineri ut nuncupativum; modo sufficiens sit numerus & rogatio testium: licet etiam

etiam dixerit testator, se velle id ut scriptum valere, *arg. l. 3. ff. de mil. test.*

Tit. 2. De liberis vel posthumis hæredibus instituendis, vel exhæredandis vel præteritis. Tit. 28. 29. Lib. 6. Cod.

Estne in liberis singularis observatio necessaria?

Sunt instituendi vel exhæredandi: sive sint nati, sine nascituri: sive fœminæ sive masculi; sive mater sive pater testamentum condiderit, *l. 30. ff. h. Nov. 115. c. 3.*

An nulla est differentia circa effectum?

Liberi præteriti à parentibus, in quorum sunt potestate, testamentum dicunt [*a*] nullum; posthumi ipso jure rumpunt, *pr. Inst. de exhæred. liberor. d. l. 30.* A matre vero præteriti, uti & emancipati à parte pro [*a*] exhæredatis habentur, *Nov. 115. c. 3. pr. & 5. fin.* sive sint posthumi, sive nati.

[*a*] Hodie non dicunt nullum, *Grot. lib. 2. p. 18. n. 14.*

[*b*] Idem etiam est statuendum, si liberi præterierint suos parentes; in matre a. hoc singulare est, quod si in puerperio moriatur, & enixa sit filium, cum ante ea testamentum fecisset, quod hic posthumus habeatur pro instituto, una cum iis quos mater ante instituerat, *l. 3. C. de inoff. testam.*]

Quid, si liberi præteriti non velint dicere nullum, an æque erit nullum?

Videtur quidem id juris subtilitate procedere; verum æquum & bonum id non patitur, *l. 17. ff. de injust. rupt.*

Quæ est differentia utrum testamentum sit ipso jure nullum, sive rumpatur, an liberi pro exhæredatis habeantur?

Si nullum sit, vel rumpatur, omne quod in testamento est corruit, ut nec legata, nec fideicommissa debeantur. Posteriori casu institutio tantum (*a*) enervatur, salvis legatis & fideicommissis, *d. pr. junct. d. Nov. c. 3.*

(*a*) Enervatio a. hæc fit per querelam inofficiosi, quod indicant verba in, *d. Nov. 115. c. 3. in f. testamento eva-*

evacuato, h. e. rescisso, ut explicatur in d. Nov. cap 4. §. 9. vers. si a. hæc, &c.]

Imo directo contrarium traditum, Auth. ex caus. C. de liber. præter.

Nequaquam, quia is textus accipi debet secundum d. Nov. 115. c. 3. ex qua desumptus est, non de præteritione, quam facit pater, qui liberos habet in potestate, cujus effectus specialis circa nullitatem nusquam est sublatus, sed de ea, quæ est pro exhæredatione. Quos enim in principio d. Novell. cap. 3. dixerat Imperator præteritos vel exhæredatos, eos postea eodem sensu exhæredatos appellat.

Quid in parentibus præteritis?

Parentes, ut & fratres qui querelam habent, præteriti pro exhæredatis habentur, D. Nov. 115. cap. 4.

Quomodo defendi potest, præteritos haberi pro exhæredatis, cum lex jubeat necessario instituti vel exhæredari, & quod contra legem fit, sit pro infecto habendum, l. 5. C. de legib.

Lex non simpliciter, nec sub pœna nullitatis, jubet instituti vel exhæredari, sed cum interminatione, ut, si contra fiat, institutio sit evacuanda, reliquis manentibus salvis, d. Nov. 115. c. 4.

De Exhæredatione liberorum. Tit. 13. Lib. 2. Inst.

Quid est exhæredatio?

Est exclusio ab hæreditate certis personis, quibus querela inofficiosi jure competit, debita.

Qui dicuntur exhæredari?

Et liberi, sive sint nati sive nascituri, sive masculi sive fœminæ: Et parentes & fratres germani ac consanguinei.

Quomodo posthumi, cum in eos nulla ingratitudinis causa cadere possit?

Non possunt cum effectu exhæredari, quatenus nulla ingratitudinis causa in eos cadere possit, sed tantum in hunc finem, ut rescindi debeat solummodo institutio per querelam sive actionem, ex Nov. 115. c. 3. 4.

Quo-

Quomodo fieri debet exhæredatio, ut effectum habeat?

1. Nominatim, *l.* 1. & 2. *ff. de lib. & posth. §. nominat. Inst. h.* sive certa demonstratione *d. l* 1. 2. 2. Sine conditione, *l.* 3. *eod.* quia certo judicio à parentum successione excludendi sunt liberi, *l.* 18. *D. de bonor. poss. cont. tab.* 3. Tantum in Testamento, *§.* 2. *Inst. de codicill.* 4. Ex causa justa expressa in tabulis, ac ea, quæ certo probari possit, *d. Nov.* 115. *c.* 3. 4.

Quid, si aliquid ex hisce omissum?

Exhæredatio non tenet. Licet enim vera sit alioqui causa ac justa, si tamen ea non expressim adjecta, vel nominatim non sit facta exhæredatio, non habetur pro facta.

Quis ergo effectus non bene factæ exhæredationis?

Testamentum rescinditur tantum quoad institutionem, non quoad cætera, *d. Nov.* 115. *c.* 3. 4.

Ex quibus causis possunt liberi exhæredari?

Sunt quatuordecim, relatæ in *Nov.* 115. *c.* 3. quæ hisce versiculis comprehenduntur.

Bis septem ex causis exhæres filius esto:

1. *Si patrem feriat,* 2. *vel maledicat ei.*
3. *Carcere conclusum si negligat.* 4. *aut furiosum.*
5. *Criminis accuset,* 6. *vel paret insidias.*
7. *Si dederit damnum grave,* 8. *si nec ab hoste redemit.*
9. *Testarive vetet.* 10. *se societve malis.*
11. *Si mimos sequitur,* 12. *vitietve cubile paternum.*
13. *Non orthodoxus.* 14. *Filia si meretrix.*

Quæ sunt justæ causæ exhæredandi parentes?

Sunt octo, relatæ in *Nov.* 115. *c.* 4. & sequentibus versibus comprehenduntur.

1. *Si pater accuset capitalis criminis,* 2. *aut se*
Adjungat mimis. 3. *vitaque est insidiatus.*
4. *Testari prohibet gnatum.* 5. *dirumque venenum*
Præparet. 6. *Inclusum si carcere,* 7. *vel furiosum*
Negligat. 8. *& veram contemnat relligionem.*

Quæ sunt justæ causæ fratrem vel sororem exhæredandi?

Sunt tres, comprehensæ *Nov.* 22. *c.* 46. *in fin. cap.* 47. easque sequentes versiculi exhibent.

1. *Si-*

1. *Si struat insidias vitæ.* 2. *Si crimina atrox Judicium dicat.* 3. *Rebus damnum inferat ingens.*

Suntne plures causæ liberos, parentes, aut fratres exhæredandi?

Sunt plures, non quidem toto genere distinctæ, sed sub hisce generibus contentæ, *d. Nov.* 115. *c.* 3. 4.

Tit. 3. De injusto rupto, & irrito facto testamento.

Quibus modis testamenta infirmentur. Tit. 17. Lib. 6. Cod.

Quomodo distinguuntur testamenta quæ effectum non habent?

Dicuntur, 1. Nulla, sive nullius momenti, 2. Infirmata, cum in principio valuerint.

Quæ sunt nulla sive nullius momenti?

Quæ ipso jure non valent cum fiunt; uti, si solemnia non sint adhibita, *l.* 1. *D. h.* si filius in potestate sit præteritus à patre, *d. l.* 1. *& l.* 30. *supra de liber. & posth.* vel in voluntate sit defectus.

Quibus modis infirmantur?

1. Cum rumpuntur. 2. Cum irrita fiunt. 3. Cum rescinduntur per querelam inofficiosi, de quo ante. 4. Cum destituuntur, hærede scilicet non adeunte.

Quomodo rumpuntur?

Duobus modis, aut agnatione sui hæredis, aut posteriori testamento, *§* 1. *&* 2. *Inst. h.*

Quomodo agnascitur hæres?

1. Si cui post obitum posthumi, qui fuissent in potestate si vixisset, vel post testamentum nascantur in potestate, aut si nepotes fiant sui hæredes & immediate successores, qui ante propter parentes excludebantur. 2. Si Testator post testamentum conditum naturales suos liberos legitimet, aut arroget eos qui sui juris sunt, vel si inter ascendentes quis adoptet eos qui alieni sunt juris, *§.* 1. *Inst. h.*

Quomodo distinguuntur posthumi?

Sunt vel veri, vel quasi. Veri vulgariter, qui post obitum patris; vel legaliter, qui post testamentum conditum nati sunt, *l.* 3. *§.* 1. *D. h.* Quasi, qui in locum

cum sui hæredis succedendo, quasi agnascendo fiunt parentibus sui hæredes; uti, si quis filium & nepotem ex eodem filio habeat in potestate, & filius post testamentum conditum, sed ante obitum sui patris moriatur, fiet nepos hæres suus, repræsentando patris sui locum, ac ita avo suo agnascetur, *l.* 13. *D. h.*

Quid, si ante obitum testatoris moriatur posthumus?

Reconvalescit testamentum ante ruptum tantum ex æquitate Prætoria, *l.* 12. *D. h.*

Quomodo posteriori testamento rumpuntur?

Si id fuerit rite perfectum, hoc est, hæres in eo sit institutus: Nuda autem revocatio, licet coram solemni numero sit facta, non sufficit, *s.* 2. *& penult. Inst. h.*

An ergo, cum testamentum post est factum, desideratur, ut perfecte aliud fiat testamentum ad infirmandum prius?

Non præcise. Potest enim cancellari, incidi, vel potest testator declarare in secundo, se ab intestato velle decedere, *l.* 1. *s.* 8. *D. si tab. testam. null. exstabunt.* vel si revocatio etiam coram tribus testibus sit facta, & decennium sit elapsum, testamentum prius non valet, *l.* 27. *C. de testam.* similiter, si hæredes ab intestato sint vocati ad hæreditatem in posteriori testamento 5 testibus munito, rumpitur prius, quo extranei erant instituti, *l.* 2. *D. h. l.* 21. *s.* 3. *C. de testam.*

Quid, si hæres ex re certa sit institutus in secundo?

Prius æque rumpetur, & institutus in secundo habebitur pro instituto ex asse, rejecta rei mentione, *l.* 1. *s.* 4. *D. de hæred. instit.* Verum, si testator jusserit hæredem in secundo scriptum contentum esse re sibi data, & se velle prius testamentum valere, videtur hæres, in secundo scriptus, per hæc expressa verba tacite esse rogatus de hæreditate restituenda, *s.* 3. *Inst. h. l.* 29. *D. ad Trebell.*

Quid, si scriptus in secundo non adierit hæreditatem?

Æque ex priori non potest adire, quia infirmatum est; sed totum concidit, *s.* 2. *Inst. h.*

Quid,

Quid, si intelligens ex falso rumore hæredem scriptum esse mortuum, mutaverit voluntatem, & aliud testamentum scripserit?

Institutus in priori testamento hæreditatem obtinebit; at legata in posteriori scripta præstabit, *l. fin. D. de hæred. Instit. l.* 28. *D. de inoffic. l.* 25. *§.* 1. *D. lib. & posthum.*

Potesne quis sibi eam legem dicere, ne testamentum revocet?

Non [a] *l.* 22 *D. de legat.* 3. Imo quamvis jurato eam sibi posuerit legem, & post revocaverit, testamentum prius non valebit, *arg. l.* 7. *§.* 16. *D. de pactis. l.* 112. *§ pen. & fin. D. de legat.* 1.

[a] Ratio est, quia testamenti factio est juris publici, & ex privatorum arbitrio nec datur, nec adimitur, *l.* 3. *ff. qui testam. fac. poss. junct. l.* 15. *l. de pact. l.* 38. *ff. eod.*

Quomodo testamenta fiunt irrita?

Per capitis diminutionem, sive ea maxima, sive media, sive minima fuerit, *§.* 4. *Inst. h.* Irriti vero vocabulum aliquando etiam ad ea, quæ rupta sunt, refertur: verum cum rupto opponitur, ad hanc speciem proprie pertinet, *§.* 5, *Inst. h.*

Quid, si testator postea redierit ad priorem suum statum?

Reviviscit prius testamentum, modo rite fuerit factum, ita ut hæres secundum tabulas bonorum possessionem agnoscere possit, si modo testator mortis tempore, potuerit testamentum condere, *§.* 6. *Inst. h.* Verum, si minima capitis diminutio contigerit, uti fit per arrogationem, non aliter vires recipit prior voluntas quam si constiterit testatorem voluisse prius testamentum valere. Qua in re sufficit voluntatem suam expressisse etiam per codicillos, *l.* 11. *§. ult. D. bonor. possess. secund. tab.*

Quæ est ratio differentiæ, quod in minima capitis diminutione requiratur aliquod factum, non in maximâ & media?

Hæc est: quia, qui arrogandum se dat, cum capite fortunas quoque suas in familiam & domum alienam

nam transfert voluntario, *d. l.* 11. *s. fin.* & sic renunciat priori testamento tacite: qui vero fit servus, vel deportatur, contra vel præter suam voluntatem fortunas amittit.

Tit. 4. De his quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur.

Quid, si in testamento aliquid inveniatur deletum?

Si inconsulto[a] sit deletum, vel incisum, vel cancellatum, æque habebit vires: secus, si consulto, *l.* 1. *in pr. s.* 1. *& seqq. ff. h.*

[a] Quis a. probabit, an quid consulto vel inconsulto sit expunctum? Resp. Siquidem apud testatorem fuerint inventæ tabulæ testamenti, debet is, qui inconsulto dicit esse factum, id probare, cum actoris sit probare, & ipse testator cum in potestate sua habeat tabulas, videtur expunxisse, vel ad expunctionem mandatum dedisse.

Quid, si nomen unius hæredis sit inductum?

Sine dubio reliqua pars testamenti valebit, & ei soli denegabuntur actiones; verum legata ab eo relicta, debebuntur, si probari[a] possit, quod ea fuerit voluntas testatoris, ut tantum hæredis institutio improbetur, *l.* 2. *ff. h.*

[a] Itaque si hoc probari non potest, magis est ut etiam legata pereant, cum legata sint præstanda ab eo à quo testator præstari ea voluit, & cum is non est heres, sive esse non possit sive non velit, legatarii nihil consequentur, huc fac. *l.* 14. *l. de fidicom.*

Quid, si omnia nomina testator induxerit, adscripseritque se id fecisse quia unum hæredem offensum habuit?

In ambiguo id ita interpretandum est, ut cohæredum institutio non sit infirmata, nec legata adempta, *d. l.* 2.

Quid, si diversæ sint tabulæ testamenti, & unum testamentum sit deletum?

Testamentum per hoc non erit irritum, quippe ex aliis tabulis satis probari potest voluntas, nisi probet

actor deletionem eo animo esse factam, ut hæres ab intestato succederet, *l. fin. D. h.*

Tit. 5. De hæredibus instituendis. Tit. 24.27. Lib. 6. Cod. & Tit. 14. Lib. 2. Inst.

Quid est hæredis institutio?

Est designatio successoris universalis, in testamento facta.

Quomodo distinguitur?

1. Est vel voluntaria, vel necessaria. Necessaria est in illis, quibus querela inofficiosi competit, de qua ante. Voluntaria in reliquis. 2 Est vel institutio in specie sic dicta, quæ fit primo loco, de qua hoc titulo; vel substitutio, quæ fit secundo vel ulteriori loco, de qua infra, *tit. de vulg. & pupill. subst.*

Possuntne omnes instituí hæredes?

Qui non prohibentur specialiter. Prohibentur vero, qui jus civitatis non habent. quales sunt deportati (quo casu hæreditas non ad fiscum pertinet. sed hæredes pro non scriptis habentur, *l. 1. C. h.*) Apostatæ, *l. 2. C. de apostat.* Hæretici, *l. 4. 5. C. de hæred.* Collegia illicita, qualia sunt [a] Judæorum, *l. 1. C. de Judæis*, licita vero & civitates recte instituuntur, *l. 6. §. 4. ff. ad SC. Trebell. 8. 12. C. h.*

[a] Mennonistarum, *Coren. obs. 28.*

Quot possunt instituí hæredes?

Quot testator voluerit, modo numerum vel personas eorum determinaverit, *§. 4. Inst. h.* Licet ei etiam de facie sint ignoti, *§. fin. Inst. h.*

Si plures instituantur hæredes, in quot partes dividetur hæreditas?

Testator potest tot partes facere, quot voluerit. Et, si unum vel plures instituerit in semissem, tota hæreditas erit in semisse: quia nemo pro parte [a] testatus, pro patre intestatus potest decedere, *§. 5. Inst. h.* nisi miles, *d. §. 5. & l. 7. ff. de R. I.*

[a] Secundum mores Hollandiæ jus accrescendi legale est sublatum, & regula, *nemo pro parte testatus, pro parte intestatus potest decedere* non habet ibidem locum;

cum; at in iis locis, in quibus jus Civile viget, id omnino procedit.

Quid, si testator unum vel plures ex certis partibus, alium vero simpliciter instituerit?

Distinctio hæc erit adhibenda. Siquidem in illis partibus datis as sit exacte completus, alius sine parte institutus consequetur solus dimidiam partem hæreditatis. Si partes datæ non impleverint assem totum, consequetur illam partem, quæ deest. Si datæ partes assem superaverint, procedetur ad dupondium sive duplam hæreditatis, & quod deest, ad id alius vocatus esse videtur. Si & duplam testator impleverit exacte, attribuetur sine parte scripto tertia pars totius. Si etiam superent partes datæ duplam, pertinebunt ad eum partes, quæ ad triplam sive tripondium desunt. & sic deinceps, *§. 6. & 8. Inst. l. 17. pr. & §§. seqq. l. 18. D. h.*

Quæ & quot legales sunt partes hæreditatis?

Dividitur hæreditas, quæ nomine assis venit, in duodecim uncias. Harum duæ Sextans quæsi sexta pars assis: ters Quadrans quasi quarta pars; quatuor Triens quasi tertia pars; quinque Quincunx, quasi quinque unciæ; sex Semis, quasi semi as; septem Septunx, quasi septem unciæ; octo Bes quasi bis triens; novem Dodrans, quasi dempto quadrante as; decem Dextans, quasi dempto sextante as; undecim Deunx, hoc est, dempta uncia, appellantur, *d. §. 5. & 8. d. l. 17. §. fin. & l. 18.*

Quid, si omnibus sint partes datæ, & pars aliqua desit vel vacet?

Siquidem datæ partes superent totum assem, pars singulis pro rata decrescit; si infra assem sint, pars vacans singulis pro rata accrescit, *§. 6. Inst. h.*

Quid, si pluribus certa res institutione sit relicta, aliis vero simpliciter, vel ex certis partibus hæreditatis?

Instituti ex re certa legatariorum erunt loco, reliqui vero sunt vere hæredes, *l. 13. C. h.* Si vero unicus sit institutus hæres ex re certa, videtur vocatus ex [a] asse, *l. 1. §. 4. D. h.* &, si plures ex re certa sint hæredes nominati, habebunt eas partes in ea re, quas testator dixit; in reliquis vero bonis erunt hæredes ex æqua-

libus partibus, nisi voluntas contraria probetur, *l.* 9. *§.* 13. *D. h.*

[*a*] Id hodie in hac Provincia non valet, *Grot. lib.* 2. *p.* 18. *Gudelin. lib.* 2. *c.* 5. *Zyp. de testam.*]

Potestne jus accrescendi prohiberi?

Non potest, *l.* 7. *D. de R. I. junct. l.* 55. *D. de. legat.* 1. *Imo potest aliquis pro parte intestatus decedere. l.* 15. *D. in inoffic. testam.*

Distingui oportet inter decedere. & fieri intestatum. Nemo pro parte testatus, & pro parte intestatus potest decedere, *d. l.* 7. sed fieri per querelam inficiosi, *d. l.* 15.

Quid, si testator nullam fecerit partium mentionem?

Hæreditas æqualiter est dividenda, *§.* 6. *Inst. h.* Et, si ita dixerit testator: *Titius & fratris mei filii æque hæredes sunto*, omnes ex virilibus partibus sunt instituti. Sin autem ita: *Titius & fratris mei filii hæredes sunto*, semissem Titius, semissem fratris filii habebunt, *l.* 11. 13. *D. h.*

Quid, si ita cautum sit in testamento: si filiis mihi natus erit, ex besse hæres esto, ex reliqua parte uxorem instituo; si vero filia fuerit nata, ex triente hæres esto, ex reliqua parte uxorem instituo hæredem: & filius & filia nati essent?

Hoc casu as distribuendus est in septem partes; ut filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat. vel, si ad partes assis rem redigamus, consequetur Filius sex uncias cum sex septimis unius unciæ partibus, Vxor tres cum tribus septimis; Filia [*a*] unam cum quinque septimis. Quod ita ex humanitate est constitutum; cum aliàs secundum subtilem juris regulam, ruptum esse videatur testamentum, *l.* 13. *D. de liber. & posthum.*

[*a*] Hæc res temperamento opus habet, sc. ut filia nunquam minus habeat quam legitimam, quæ nulla conditione vel modo onerari potest, *l.* 32. *C. de inoff. test.*]

Quomodo fit institutio?

Nominatim, sive ea demonstratione, quæ nullum errorem continere potest, *l.* 9. *§.* 8. *D. h.* uti, si testator nunc supans hæredem præsentem dixerit: hic mihi hæres esto,

esto, *l.* 58. *D. h.* nec interest, utrum pure an sub conditione fiat institutio, §. 9. *Inst. h.* &, si tempus sit adjectum, valet institutio vitio temporis sublata, *l.* 34. *D. h.*

An & nutu fieri potest institutio?

Non recte, nisi constet indubitate de voluntate, aut repentino casu impendiatur vocem emittere testator: quia adventitius casus voluntatem certam vitiare non debet.

Potestne institutio conferri in arbitrium alterius?

Nequaquam, *l.* 32. *ff. h.* nisi tacite & ex consequentia videatur testator se referre per modum conditionis ad alterius voluntatem. Quædam enim in testamentis, si exprimantur, nullum habent effectum, quæ, si verbis tegantur, licet eandem significationem habeant, quam haberent expressa, momentum aliquod habebunt, *l.* 68. *D. h. l.* 52. *ff. de condit. & demonst. l.* 32. *l.* 70. *ff. de heriustit:*

Quid, si quis instituerit hæredem: Si Titius me instituerit, instituo eundem? vel, Titius, si Mævium tabulis testamenti sui hæredem à se scriptum ostenderit, hæres esto?

Non valet hæc institutio: quia non ex mutua proficiscitur affectione, verum est captatoria, hamata & viscata, se referens ad secretum alienæ voluntatis, *l.* 70, 71. *ff. h.* Sed, si ita scriptum; *qua ex parte hæredem me Titius instituit, ex ea parte Mævius esto:* valet institutio, *l.* 71. *in pr. ff. h.*

Quid, si error sit in nomine aut cognomine?

Non [a] obest id institutioni, nisi quis volens alium scribere, alium scripserit; quia scriptus hæres esse non potest, quoniam voluntas ei deest; nec etiam is, quem voluit, quoniam non est scriptus, *l.* 9. *pr. D. h.*

[a] Modo certo constet de persona heredis. Quid ergo, si quis scripsit filium heredem, & postea demonstretur non esse filius? Institutio non valet, si vere putaverit esse filium, cum esset suppositicius, *l.* 3. 4. *C. de hered. instit.* Si a quis nomine filii instituerit aliquem, quem paterno affectu amplectitur, cum sciat eum non esse filium, institutio valebit, *arg. l.* 58. *ff. de hered. instit.*

Quid, si in re quis erraverit, uti cum lancem vult, vestem leget?

Neutrum valebit, sive ipse scripserit, sive scribendum dictaverit, *d. l. 9. §. 1.* Verum, si in parte sit erratum, sequemur magis voluntatem, quam id, quod scriptum est, *d. l. 9. §. 2. 3.*

Quid, si quis contumelioſe demonſtretur?

Id non vitiat institutionem. Sed si quis institutus sit eo nomine, quod contumeliæ causa solet addi, institutio non valet, *d. l. 9. §. 8.* secus, si ea sit facta cum maledicto, *l. 48. §. 1. ff. h.*

Tit 6. De vulgari & pupillari substitutione. De impuberum & aliis substitutionibus. Tit. 25. Lib. 6. Cod.

Quomodo distinguitur substitutio?

Est alia directa, alia obliqua. Obliqua est, quæ fit per fideicommissum requirens alicujus restitutionem. Directa, quæ recta via transit ad substitutum, sine ullius restitutione.

Quomodo distinguitur directa?

Est vel paganorum, vel militum.

Quomodo distinguitur paganorum?

Est vel vulgaris, vel pupillaris, vel exemplaris, sive quasi pupillaris. Breviloqua autem, compendiosa, & reciproca, non sunt diversæ species, sed diversi modi substituendi.

Quæ est vulgaris?

Quæ fit in casum non acquisitæ hæreditatis, cum hac clausula: *si scriptus hæres, hæres non erit.* sive decedat ante testatorem, sive hæreditatem repudiet, *pr. Inst. h.* Eaque habere potest gradus infinitos, *d. princ.* sic dicta, quod omnibus & ab omnibus fieri possit.

Quid, si instituti ex disparibus partibus sibi invicem sint substituti?

Cum substitutio est facta propriis nominibus hæredum, aut onera æqualia imposuit testator in substitutione, videntur portiones viriles esse datæ, *l. 23. junct. l. 24. D. ad SC. Trebell. l. 124. D. de leg. 1. l. 56. D. de cond.*

cond. & demonst. Cum facta est simpliciter, secundum partes hæreditarias admittentur substituti, *§. 1. Inst. l. 5. l. 24. l. 41 §. 1. D. l. fin. C. h.*

Quid, si substitutio sit facta expresse in casum, si hæres scriptus noluerit esse hæres?

Videtur etiam esse facta ad casum quo non potuerit, *l. 3. C. de inst. & substit. l. 25. in fin. D. de liber. & posth. l. 22. D. ad Trebell.* Solet enim expressus casus trahi ad non expressum, si ad eundem finem tendat. *Imo non expressus casus habetur pro omisso. l. 10. D. de liber. & posthum. l. 21. D. h.*

Id nonnunquam verum est, cum voluntas testatoris non est adeo evidens, ut in casu *d. l. 10.* qua agitur de institutione posthumi, sub variis casibus, & in *d. l. 21.* ubi tempus, intra quod substitutus admittendus erat, expressum est.

Quomodo extinguitur vulgaris substitutio?

1. Si adita sit hæreditas ab instituto, *l. 5. C. h. 2.* Si pater liberis suis extraneum substituerit & postea illi liberos susceperint, *l. 6. §. 1. C. h. l. 102. D. de condit. & demonstr.* 3. Si substitutus moriatur ante institutum, nam hæreditas quæ non defertur non potest transmitti, *l. un. §. in novissimo. C. de caduc. tollend.*

Annon circa casum, quo hæreditas est adita, distingui poterit in pluribus institutis, quibus unus substitutus est?

Potest. Aut enim facta est substitutio duobus copulative. Uti, *Titius & Sejus hæredes sunto, &, si hæredes non erunt, Sempronius hæres esto.* Vel, *si Titius & Sejus hæredes non erunt, Sempronius hæres esto.* Hoc modo, uno ex institutis adeunte, in totum exspirat substitutio, *arg. l. 23. D. de cond. & dem. l. 13. §. utrum. D. de reb. dub.* Aut est facta separatim; hoc modo, etiam uno decedente substitutus admittitur, sive alternative quid scriptum, sive aliter disjunctio sit facta.

De pupillari [a] substitutione. Tit. 16. Lib. 2. Inst.

Quæ est substitutio pupillaris?

Qua pater filiis & filiabusfamilias substitutum dat in casum, quo impuberes moriantur, *pr. Inst. h.*

[a] Substitutio pupillaris in plerisque Belgii provinciis non frequentatur, quia jus patriæ potestatis cessat, *Grot. lib. 1. p. 6. & lib. 2. p. 19. fin. Gudelin. lib. 1. c. 13. & lib. 2. c. 5.* In Frisia aliisque locis, in quibus Jus Civile & patria potestas vigent, substitutio pupillaris frequentatur.]

Quis substituit pupillariter?

Tantum pater, licet sit arrogator, *l. 22. §. 1. D. de adopt, add. pr. Inst. h.* Non mater vel alii parentes, qui liberos non habent in potestate, *d. pr. Inst. h.*

Quibus substituitur?

Tantum liberis in potestate, *l. 2. D. de vulgar. & pupill.*

Quid, si pater filio puberi vel impuberi emancipato, vel quis extraneus extraneo substituerit?

Substitutio nullius momenti est, sc. ut tanquam pupillaris valeat, *§. fin. Inst. l. 7. 14. D. h. t.* sed potest ita valide reliqui fideicommissum.

Annon ist idem in hac re, quoad effectum, utrum substitutio fiat per fideicommissum, an pupillariter?

Nequaquam. 1. In fideicommisso quis ab alterius manu hæreditatem exspectat; in pupillari substitutione directo est hæres. 2. In fideicommisso tantum transeunt fideicommittentis; in pupillari substitutione etiam pupilli bona. 3. In fideicommisso habere potest locum Trebellianicæ deductio; in substitutione pupillari nulla fit defalcatio.

Quæ bona transeunt, si arrogator substituerit pupillariter?

Tantum bona ea, quæ ab arrogatore, vel ejus occasione sunt profecta ad arrogatum, quod specialiter placuit, *l. 10. §. 6. D. h.*

An & exheredato potest substitui pupillariter?

Omnino, *§. 4. Inst. h.* Licet enim à patre non habeat bona, aliunde tamen habere potest.

Quomodo fit pupillaris substitutio?

Vel expresse, vel tacite. Expresse per hanc clausulam, *si filius vel filia ante pubertatis annos decesserit. pr. Inst. h.* Tacite, cum impuberi [a] facta est substitutio vulgariter, *l. 4. D. de vulgar.*

[a] Id singulariter placuit ob præsumptionem voluntatis

tis paternæ, quæ hæc est, ut in eminenti gradu liberis prospiciat de herede; itaque non obstat *l.* 10. *ff. de lib. & posth.* cum ibi agatur de alio casu ab hoc nostro separato.]

Annon distinguendum est in substitutione vulgari facta impuberi?

Est. Siquidem enim pater, duos habens filios impuberes, eos sibi invicem substituerit, est facta substitutio pupillaris utrinque: si vero alter sit pubes, alter impubes, reciproca substitutio, vulgariter facta, habebit tantum vim substitutionis vulgaris, *d. l.* 4. §. 1. & 2. Si denique simpliciter impuberibus pater substituerit vulgariter, habebit ea res effectum substitutionis pupillaris, *d. l.* 4. *pr.*

Quæ requiruntur, ut hæc substitutio vires habeat?

Debet pater ante sibi scribere hæredem, & deinde filio substituere, *l.* 2. §. 4. & 5, 6. *ff. h.*

Quis est effectus hujus substitutionis?

1. Omnia bona impuberis devolvuntur ad substitutum. 2. Si impubes, cui etiam vulgari clausula substitutus est datus, non adeat hæreditatem patris, substitutus admitti potest ad bona patris. 3. Per substitutionem pupillarem expressam etiam mater excludi potest, *l.* 8. §. 5. *ff. de inoffic. testam.* Ita tamen, ut matri [*a*] salva sit facultas petendi legitimam sine querela inofficiosi. In tacita vero mater [*b*] excludit substitutum, *l.* 8. *C. de impub. & aliis junct. l. fin. C. de inst. & substit.*

[*a*] Idem Jure Saxonico receptum esse tradit *Carpzov, p.* 3. *constit.* 8. *def.* 3. Ratio est in eo, quia lex desiderat, ut legitima præsterur liberis vel parentibus, eaque libera, *l.* 32. *C. de inoff. testam.* adeoque si ea non sit relicta, æque debebitur, ne quid fiat contra æquitatem & bones mores, & patri detur privilegium ad injuriam matris, quod non admittit *l.* 4. *C. de emancip.* [*b*] Vide *Fachin. lib.* 4. *controvers.* 40. *& seqq. & lib.* 13. *controv.* 76. id a. maxime tunc admittitur, cum mater ita fuit dilecta à suo marito, ut et eam instituerit ex parte, *d. l. fin. C. de instit. & substit.*]

Quando evanescit hæc substitutio?

1. Pubertate, *l.* 7. 14. *ff. de vulgar. & pupill.* vel ante si testatori ita placuerit, *l.* 21. 43. *§.* 1. *ff. eod.* 2. Si liberi tempore mortis fuerint in potestate, *l.* 41. *§.* 2. *ff. h.* 3. Si hæreditas patris non adeatur, *l.* 2. *§.* 1. *l.* 10. *§* 4. *ff. eod.* vel aliàs infirmatum sit testamentum patris. 4. Si substitutus moriatur ante impuberem, *arg. l. unic. §. in novissimo. C. de caduc. toll.*

Si majus tempus comprehenderit pater, annon flectetur in fideicommissum?

Nullo modo, *§. fin. Inst. h. d. l.* 7. *&* 14. *D. de vulg. pupill.* nisi (*a*) ejusmodi verbis fuerit usus testator, quæ fideicommisso applicati possunt: in dubio enim actus valere debet, *l.* 12. 21. *D. de reb. dub.* In milite verò speciale est, quod directo (*b*) possit ultra pubertatem substituere, hoc effectu, ut si filius post pubertatem moriatur, substitutus tantum consequatur bona testatoris cum fructibus in hæreditate inventis, *l.* 15. *ff. eod.*

(*a*) Nisi etiam clausula Codicillaris fuerit adjecta, *Carpzov. d. constit.* 8. *n.* 19. (*b*) Obstat *l.* 8. *C. de impub. & aliis subst.* in verbis *veluti ex causa fideicommissi.* quæ sunt *inf. d. l.* 8. Resp. Verbum *peti* non hic indicat esse ex causa fideicommissi, sed tantum ex nota similitudinis, hoc modo: quemadmodum bona testatoris tantum transeunt in fideicommisso à substituto, sic etiam in substitutione facta à milite ultra annos pubertatis, directo a. jure; Vide *Cujac. lib.* 11. *obs.* 25.]

Quæ est substitutio (a) quasi pupillaris?

Quæ fit tam à matre quam à patre liberis mente captis, si in eo statu liberi decesserint, *l.* 9. *C. h.*

(*a*) Hæc etiam secundum mores hujus provinciæ in desuetudinem abiit, *Grot. lib.* 1. *p.* 6. *& lib.* 2. *p.* 19. *Gudel. lib.* 1. *c.* 13. *& lib.* 2. *c.* 5.]

Potestne hæc substitutio quolibet modo fieri?

Si mente capti fuerint liberi, tenentur parentes substituere unum vel omnes descendentes, si iis fuerint fratres, non liberi, unum ex fratribus, vel omnes. Sin autem nec fratres fuerint, possunt parentes iis substituere, quos voluerint, *d. l.* 9.

Quid,

Quid, si plures parentes substitutionem fecerint, uti pater & mater?

Valebit substitutio patris quoad bona paterna: matris quoad bona materna: utriusque, quoad bona, quæ aliunde ad mente captos pervenerunt, *d. l. 9.*

Quid, si mente capti sanitati mentis restituantur?

Evanescit substitutio, *d. l. 9.* nec convalescet, si rursus mente capiantur, sive brevius fuerit intervallum, sive longum, *d. l. 43. ff. de vulg. & pupill. arg. l. 2. C. de posth. hæred. inst.*

Quid, si liberi fuerint prodigi, muti, & surdi?

Etsi quidem eadem sit ratio, quæ est in mente captis, tamen, quia speciale privilegium est; quod non solet de personis ad personas extendi, præstat impetrare principale rescriptum, *d. l. 43.*

De necessariis servis hæredibus instituendis vel substituendis. Tit. 27. Lib. 6. Cod.

Possuntne aliquando hæredes instituí, vel substituí, qui volentes nolentes coguntur esse hæredes?

Possunt proprii servi institui & substitui, iique sunt hæredes omni casu necessarii, *§. 1. Inst. de hæred. qual.*

Tit. 7. De conditionibus institutionum.

De institutionibus, & substitutionibus, & restitutionibus sub conditione factis. Tit. 25. Lib. 6. Cod.

Potestne sub qualibet conditione institui hæres?

Distingui oportet. 1. Inter conditiones. 2. Inter hæredes. Conditio alia perplexa, alia non perplexa. Perplexa, ut, si ita dictum: *Si Titius hæres erit, Sejus hæres esto; Si Sejus hæres erit, Titius hæres esto.* Non perplexa, est vel possibilis, vel impossibilis, Possibilis, vel casualis, quæ à casu; vel potestativa quæ à potestate; vel mixta quæ partim à potestate partim à casu dependet. Impossibilis vel natura, cui rerum natura obstat; vel jure, cui lex vel boni mores impedimento sunt; vel facto, quæ quidem in se non est impossibilis, sed

tum personis hæredum, Hæredes vero hic distinguuntur inter suos, & extraneos.

Quid igitur in filiis suis in potestate constit utis obtinet?

Quod nequeunt [a] sub aliqua conditione institui alia, quam potestativa, *l.4. D. de hered. instit, l.4. C.de inst. & substit.* Id etiam admittendum est in filiabus, cum differentia ista sexus sit sublata: non ita in nepotibus, secundum formam in *l.6. §.1. D. de hæred. inst.*

[a] Hodie ubi patria potestas est sublata, ut in Hollandia, de filiis suis in hac re non quæritur, sed sub qualibet conditione filius potest institui heres, sic tamen ut legitima maneat absolute salva; reliqua a. bona subsint necessitati parendi conditioni adjectæ.]

Quid ergo, si de facto filius suus sit institutus sub casuali, vel mixta, vel impossibili?

Nullius momenti erit institutio, tanquam filius esset præteritus, *d. l. 4. D. de hæred. instit. l.15. D. h.* Verum, si potestativæ conditioni, sub qua institutus est filius, non satisfaciat, & moriatur, legitima æque peti potest, quia omnis conditio rejicitur à legitima, *l. 32. 36. C. de inoffic.*

Quid juris in extraneo circa conditiones?

Potest institui sub qualibet conditione possibili, etiam difficili, &, si non pareat, hæreditatem non acquirit. Conditio vero impossibilis natura vel jure, habetur pro non [a] adjecta, *§.19. Inst. de hæred. inst. l.1. l. 9. ff. h.* Institutio sub perplexa conditione facta, nullius est momenti, *l. 16. ff. h.*

[a] In contractibus a. conditio impossibilis contractum vitiat, *l. 7. ff. de V. O.* quod & secundum mores Hollandiæ receptum est, ut impossibilis conditio institutionem vitiet, *Grot. lib. 2. p. 18. n. 32.*]

Possuntne plures conditiones apponi?

Possunt sane vel conjunctim vel disjunctim. Si conjunctim, omnibus parendum est; si disjunctim, sufficit unam existere, *§. penult. Inst. de hæred. Inst.* Sin autem ita quis instituerit: *si filius vel filia intestatus vel intestata, aut sine liberis, aut sine testamento, vel sine*

nuptiis

nuptiis decesserit : in hac specie tum demum locus est substituto, si nihil ex hisce subsecutum fuerit : non enim ferendum est, cum liberorum mentio facta, & posteritas sit relicta, propter hujusmodi verborum angustias liberos omni pene fructu paterno defraudari, *l.* 6. *C. de instit. & substit.*

Liberi in conditione positi, an etiam sunt in dispositione?

Non, *l.* 8. *ff. si quis omiss. caus. l.* 1. *C. de pact. l.* 16. *ff. de vulg. & pupill.* Unde, quod dicitur in *l.* 85. *ff. de hæred. instit. in fin.* sic explicandum est, quod Testator non tantum per suam dispositionem fratrem hæredem prætulerit, sed & prudenti consilio liberos ejus, sc. ab intestato. Dum enim liberos fratris ponit in conditione, tacite per illam, & ex consequentia, lege in subsidium veniente, substitutos rejicit.

Tit. 8. De jure deliberandi. Tit. 30. Lib. 6. Cod.

Sunine nonnulla beneficia quibus hæredibus succurritur, ne ob temerariam additionem vel repudiationem afficiantur damno?

Sunt duo : Jus deliberandi, & beneficium Inventarii, *§.* 2. *Inst. de hæred. qual. & diff. l. fin. C. h.*

Quod est jus deliberandi?

Quo hæres, sive scriptus sive ab intestato, intra certum tempus sibi præstitutum apud se expendere potest, utrum hæreditatem adire vel repudiare velit, *d. §. l. fin. C. h.*

Quomodo distinguitur à cretione hæreditatis?

Cretio fit intra tempus, quod à testatore præscriptum est hæredi, *Ulpian. in fragm. tit.* 22. Tempus ad deliberandum petitur à Principe vel Judice, *d. l. fin. §.* 13. *C. h.*

Intra quod tempus petitur jus deliberandi, & quod tempus concedendum est?

Si hæres non urgeatur à creditoribus aliisve quorum interest, nulla ei necessitas petendi incumbit : verum urgeri potest ab iis quorum interest, ut petat, *l.* 9 *C. h.* Sin autem urgentibus creditoribus vel sponte petat, mode-

moderatum ei spacium dandum est, *d. l.* 9. summum, si à judice, novem mensium, *d. l. fin.* §. 13. minimum, centum dierum, *l.* 2. *D. h.*

Potestne sæpius peti?

Non potest, *d. l. fin.* §. 13. *in fin.* nisi ex magna causa, *l.* 3, 4. *D. h.*

Quid, si variis gradibus substitutio sit facta, potestne deliberante primo secundus vel tertius adire?

Dum primus deliberat, nec secundus nec tertius succedere potest, nec secundo & tertio currit tempus deliberandi, *l.* 69. *D. de acquir. vel omitt. hæredit.* Interim hac in re prætoris officium est, prospicere, ne creditores eludantur.

Quid, si is, qui deliberat, sit mortuus?

Tempus quod restat transmittitur ad hæredes, *l.* 19. *C. h.* Verum si post annum, postquam apertum fuerit testamentum eique insinuatum, sit mortuus & nihil egerit, nihil transmittet ad hæredes, *d. l.* 19.

Quid juris consequitur hæres, dum deliberat?

Habet copiam instrumentorum inspiciendorum, *l.* 5. *pr. D. h.* potest petere rationes ab iis, penes quos depositæ sunt, *l.* 28. *D. de acq. vel. omitt hæred.* & si res sint in hæreditate, quæ tempore fiunt deteriores, potest adito prætore & quæ sunt sumptuosa libere vendere, solvere æs alienum, quod sub pœna vel pretiosis pignoribus debetur, *d. l.* 5. §. 1. *ff. h.* Potest & impendia facere ex pecunia vel aliis quantitatibus, *l.* 6. *l.* 7. §. 3. *ff. h.* quin imo & si filius sit, debet ali ex hæreditate, *l.* 9. *D. h.*

Quid, si intra tempus præstitutum hæres nihil dixerit?

Videndum est, ad quorum instantiam præfixum ei fuerit tempus; si ad (a) creditorum, in solidum iis obligabitur, acsi adisset, *d. l. fin.* §. *penul. C. h.* Si ad substituti, vel hæredum ab intestato, qui parati sunt adire, habebitur pro repudiante, *l.* 99. *in fin. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* atqui ita semper in detrimentum deliberantis res explicabitur, cum in ejus potestate sit voluntatem exprimere.

(a) Creditores n. possunt compellere heredem u. tempus deliberandi petat, quid ergo si æque non velit petere?

tere? Tunc causa cognita permitti oportebit bona servandæ rei causa posslideri, & si res ita exigat ve lconditio, constituetur curator, *l. 8. ff. ex quibus causis in poss. l. 23. §. 2. in f. de hered. instit.*]

Quid est beneficium inventarii?

Est beneficium singulare concessum hæredi, ne in damnum incidat, modo legitime inventarium conficiat.

Quomodo sit legitime inventarium?

Desideratur 1. Iustum (*a*) tempus. Est enim à præsente intra 30 dies, ex quo delatam sibi hæreditatem scivit, inchoandum, & intra 60 dies plene absolvendum: ab absente vero, qui non est in eo loco, in quo res hæreditariæ sunt, vel maxima earum pars, intra anni spacium, à morte testatoris numerandum, inchoari & absolvi debet *d. l. ult. §. 2. &* 3. 2. Ut fiat per certas personas, per tabularios ad minimum (*b*) duos, *d. l. ult. §. 2. Nov. 1. c. 2. verb. tabulariis.* 3. Ut sint præsentes, quorum interest, vel, si horum copia esse non non possit, tres testes idonei, *d. Nov. 1. c. 2. §. 1. junct. d. l. fin. §. 2.* 4. Res omnes hæreditariæ specifice describantur, imo & fructus & aliæ accessiones, quæ postea provenerunt, *arg. d. l. fin. §. 2. verb. exordium capiat super rebus quas defunctus mortis tempore habeat.* 5. Ut subscribat hæres, vel si ignarus sit literarum, tabularius ad hoc specialiter adhibendus, signo manu hæredis præposito, coram testibus notis, *d. l. fin. §. 2.* 6. Ut circa subscriptionem adjiciatur ab hærede, quod nulla malitia sit usus, & quod nihil penes eum remanserit, *d. l. fin. §. 2.*

(*a*) In hac re sequi oportet statuta locorum, quæ sunt varia. (*b*) Id hodie non ita observatur: Ita in nonnullis locis receptum est, ut apparitor Supremæ Curiæ descriptionem faciat coram duobus testibus, ut in Frisia; vel Notarius ex mandatu Senatus coram duobus testibus, ut alibi receptum est.]

Quid, si forma non sit observata?

Si quid substractum (*a*) vel occultatum sit, in duplum convenietur hæres, *d. l. fin. §. 10.* Sin autem in aliis

aliis sit peccatum, corruit beneficium, *arg. l. 5. C. de Ll.* nisi levis aliqua solemnitas sit omissa, *l. 1. circ. fin. D. de inspic. ventr.*

[a] Secundum mores observatur, ut qui fraudulenter agit, beneficio inventarii indignum sese reddat, quod convenit huic rationi, quod forma non servata totus actus corruit.]

Quæ commoda consequitur heres ex beneficio inventarii?

Primum ac præcipuum est, quod non teneatur ultra vires hæreditatis, *d. l. fin. §. 4.* 2. Quod, si supersit aliquid, per Legem Falcidiam possit deducere quartam ex legatis, *d. l. fin. §. 4.* 3. Quod creditoribus primo venientibus possit exsolvere, *d. l. fin. §. 4.* 4. Quod & legatariis possit satisfacere, *d. §. 4.* 5. Quod creditores, qui suum post emensum patrimonium non sunt consecuti, supervenientes, ipsum hæredem vel emptorem nequeant convenire, sed creditores, quibus minus juris est, vel legatarios, *d. l. fin. §. 5, 6, 7, 8.* 6. Quod hæres possit retinere quicquid in funus, in testamenti insinuationem, inventarii confectionem, vel alias necessarias causas expendit, *d. l. fin. §. 9.* 7. Quod id, quod hæredi debetur à defuncto, non confundatur, sed hæres simile jus cum aliis creditoribus habeat, *d. l. fin. §. 9.* unicuique ex creditoribus sua prærogativa servata. 8. Quod pro inventario concedatur facultas contra id quid probandi, *d. l. fin. §. 10.* 9. Quod dum inventarium fit, hæres non possit inquietari, *d. l. fin. §. 11.*

Estne igitur in potestate hæredis solvere cui velit?

Primo quidem venienti solvere potest, si ignoraverit alios tempore esse potiores, non si sciverit: in omnibus enim bona fide hæres versari debet. huc fac. *l. 41. D. ad L. Falcid.*

PAN-

PANDECTARUM
LIBER XXIX.

Tit. 1. De Testamento militis. Tit. 21. Lib. 5. Cod. Tit. 11. Lib. 2. Inst.

Quæ sunt species testamentorum, in quibus aliquæ solemnitates sunt remissæ?

1. TEstamentum tempore pestis conditum, in quo remissa est tantum solemnitas, quod in unum testes convenire non teneantur, *l. 8. C. de testam.* Nec quicquam aliud remissum est, nisi tanta sit pestis, ut numerus septem testium haberi [a] nequeat. Subveniendum enim est, quoties æquitas evidens postulat, *l. 7. D. de restit. in int.* 2. Testamentum factum ruri, ubi summa est hominum penuria. In hoc quinque testes sufficiunt, *l. fin. C. de testam.*

[a] Id jus non est ex Jure Civili, sed tantum ex Moribus & æquitate, sive potius ex necessitate; propter necessitatem etiam solent rejici in testamentis solemnitates, ut est casus in *l. ult. ff. h.*]

Quæ sunt testamenta, in quibus nullæ solemnitates desiderantur?

Sunt 1. Parentum [a] inter liberos, *l. fin. C. famil. erciscund. l. 21. §. 1. C. de testam.* Parentibus hoc tantum imponitur, ut in patrimonii distributione, quam sua manu faciunt, non notis vel signis, sed literis [b] clare voluntatem suam exprimant, *Nov. 107. c. 1.* 2. Militum. [c]

[a] Id & secundum mores viget, *Grot. lib. 2. p. 17. Christin. vol. 1. decis. 117. & vol. 4. dec. 7. Clarus §. testamentum Q. 8. Gail lib. 2. obs. 112. & 116. Grassus §. testament. Q. 11.* [b] Sub nomine literarum hic etiam intelligimus signa indubitata, *l. 1. ff. de liber. & posth. l. 9. §. 8. ff. de hered. instit.* [c] Hisce speciebus etiam addi potest testamentum ad pias causas, ut probat *Sande lib. 4. tit. 1. def. 31. Radeland. decis. 125. n. 34. & seqq. Coren obs. 32.* adde *Sande d. tit. def. 13.*

Quid,

Quid, si parentes extraneo quid velint relinquere?

Si propria manu id, dum inter liberos disponunt, scripserint, & coram testibus etiam duobus suam voluntatem declaraverint, valebunt relicta, *Nov.* 107. *cap.* 1. *junct. l.* 12. *D. de testib.* Si vero non scripserint, vel simul coram testibus non expresserint voluntatem suam, requiritur solemnis [a] dispositio, *d. l. fin. in fin. C. famil. ercisc.*

[a] De revocatione testamenti paterni id singulare est jure civili, quod ea non potest fieri per testamentum imperfectum, *Nov.* 107. *c.* 2. quod hodie vix valere in hac Provincia testatur *Coren obs.* 39]

Ex qua causa & quibus militibus datur privilegium testandi?

Causa est necessitas & periculorum frequentia, nec non utilis opera, quam milites reipublicæ præstant, *pr. Inst. h.* Competit autem tantum iis, qui in numero sunt, & revera militant, nec aliter, quam si in castris, in expeditione, vel in conflictu versentur, *s.* 3. *Inst. h.* non igitur limitaneis vel præsidiariis, nec advocatis, *s. f. Inst. h.*

Quid, si non miles in hostili solo sit?

Etiam huic concessum sine ulla solemnitate testari, *l. fin. D. h. t.* modo ibi decedant. *d. l. f.* & non sint [a] capti ab hostibus. *s. fin. Inst. quibus non est permiss.*

[a] Hodie, quia servi non fiunt capti ab hostibus, etiam apud hostes factum testamentum valet, licet solemnitas nulla sit adhibita, *l. fin. ff. h.*]

Quid ergo requiritur ad testamentum militis?

Nihil aliud, quam, ut probetur voluntas. Itaque si milites sine teste ullo scripserint, & certo constat eos scripsisse, valebit: adeoque sufficiet in arena, vel in clypeo etiam literis sanguine rutilantibus scripsisse, *l.* 15. *C. h.* Sin autem nuncupent viva voce hæredes, sufficient duo testes, *s.* 2. *Inst. l.* 1. 24. *ff. h. junct. l.* 12. *ff. de Testib.*

Quamdiu durant testamenta militum?

Quamdiu militant, & si missi sint, ad annum post missionem, licet conditio adscripta post annum exiterit, *s.* 3. *Inst. h.*

Quid,

Quid, si quis non miles condiderit testamentum non rite, & post miles factus decesserit?

Licet quidem miles, qui destinavit communi jure testari, & ante defecit quam omnes solemnitates essent adhibitæ, recte condat testamentum, modo voluntas sit plene exposita, *l. 3. ff. h.* tamen, si, cum non esset miles, inutiliter fuerit testatus, non convalescet testamentum, quamvis postea factus miles, nisi quid dixerit vel fecerit, ex quo confirmatio probatur, *§. 4. Inst. h. l. 20. §. 1. ff. h.*

Atqui directe contrarium videtur traditum l. 15. §. 2. ff. h.?

Nullo modo; quia ibi non agitur de testamento ante militiam, non jure sed legitime facto. Ac deinde voluntas militis in *d. l. 15. §. 2.* non est ea, quæ animo pressa est, sed ea, de qua constat. Hic itaque erit sensus; testamentum, quod ante etiam factum est, valet, nisi voluntas ultima, quam miles fecerit, contrarietur.

Quid, si coram Principe sit factum testamentum?

Id solemnitatem non desiderat, uti nec id, quod coram actis est conditum, *l. 19. C. de testam.*

Tit. 2. De acquirenda vel omittenda hæreditate. Tit. 33. Lib. 6. Cod. De hæredum qualitate & differentia. Tit. 19. Lib. 6. Cod.

Quomodo hæreditas solet adiri?

In hac re distinguendum inter hæredes. Sunt enim alii necessarii, qui etiam inviti agnoscere debent: quales sunt servi proprii testatoris à testatore instituti, *§. 1. Inst. h.* Sunt alii sui & necessarii, qui sunt liberi in potestate defuncti tempore mortis constituti, sic dicti, quod vivis parentibus quodammodo Domini sint rerum paternarum, & necessario agnoscere debeant hæreditatem: verum his ex æquitate prætoris datur beneficium abstinendi, *§. 2. Inst. h.* Sunt denique extranei, qui nec in dominica nec patria potestate testatoris tempore mortis fuerunt, *§. 3. Inst. h.* Matri autem omnes etiam liberi sunt extranei, *d. §. 3. Inst. h.*

Qui-

Quibus modis aditur hæreditas?

Vel nuda voluntate, hoc est, simplici declaratione sine ullo facto, vel pro hærede [a] gestione, cum hæres facit, quæ sunt tantum hæredis, uti explicatur, *§. penul. Inst. l. 29. pr. & §§. seqq. D. h.*

[a] Quid ergo, si quis funus curavit? Resp. Præstat protestari eum qui funus curat, eum non facere sumptus eo animo ut se pro herede gerat, sed tantum ex pietate, *l. 20. §. 1. ff. h.* Quid ergo si liberi non sint protestati? Non quidem erunt heredes, sed sumptus repetere non possunt, *l. 14. §. 8. junct. §. 7. ff. de relig.*

Quid, si extraneus quid explicarit?

Non gerit se pro hærede, nam admissum contrariam voluntatem declarat, *l. 21. pr. D. h.*

Quæ requiruntur ut aditio recte fiat?

1. Oportet constare, defunctum eum esse, de cujus hæreditate agitur, *l. 18. D. h. l. 32. ff. h.* 2. Hæres debet esse certus, sibi delatam esse hæreditatem, *l. 21. §. 2. D. h.* vel ex testamento, vel ab intestato, *arg. l. 39. D. h.* & an pure an sub conditione sit institutus, *l. 32. §. 1. D. h.*

Qui possunt adire?

Omnes, sive patres sive filiifamilias sint. Filiifamilias vero, si non habeant jussum parentum, parentes alieno æri hæreditario subjicere nequeunt, *l. 6. D. h.* Ex constitutione Iustiniani potest filius major, etiam dissentiente patre, adire, *l. ult. C. de bon. quæ liber.* cum adventitiorum proprietatem habeat, *l. 6. C. eod.* ita tamen, ut patri non præjudicet.

Quid juris in pupillo, furioso & minore?

Si delata sit hæreditas furioso vel infanti, potest ea adiri à curatore furiosi, *l. ult. C. de curator. furios.* vel à patre, vel à tutore infantis, *l. 18. C. de jur. delib.* Si pupillo majori infantia, adeunda est per pupillum, ex jussu patris [a], si patrem habeat, vel patre mortuo ex tutoris authoritate, *d. l. 18. §. fin. l. 8. 9. ff. h.* vel si tutorem nec patrem habeat, ex decreto prætoris, *d. l. 18. §. fin.* Si minoribus, ipsi adibunt ex consensu curatorum, *arg. l. 3. C. de in integr. rest. min.*

[a] Hodie patres, qui sunt legitimi curatores liberorum

rum suorum, ut omnes reliqui curatores, adeunt, etiamsi nullum sit factum pupillorum vel minorum.

Potestne per Procuratorem hæreditas adiri?

Vix fieri id potest, nisi speciale ad hoc habeat mandatum, quo interveniente mandans videtur adire. huc fac. *l.* 90. *ff. h.*

Potestne hæreditas pro parte adiri?

Nullo[a]modo, *l.* 1. *&* 2. *ff. h.* hinc filius, servata sibi legitima, non potest omittere reliquum hæreditatis, nec Emphytheusin agnoscere, repudiato reliquo patrimonio patris. Recte autem legatum agnoscitur, licet hæreditas rejiciatur, *l.* 87. *&* *Ll. seqq. ff. de legat. junct. l.* 4. *ff. ad Trebell.*

[a] Secundum mores hujus Provinciæ, si in partem quis sit institutus solus, illam partem tantum adit, quia hic pro parte testatus pro parte intestatus potest decedere.]

Intra quod tempus adiri potest?

Nullum est tempus præscriptum, nisi creditores urgeant, ut ante dictum, *l.* 9. *C. de jur. delib.* &, si lateant hæredes, potest fieri missio in bonorum possessionem, *l.* 8. 9. *ff. quib ex caus. in possess.*

Quis est effectus aditionis?

Implicatur hæres omnibus oneribus hæreditariis, & legatariis obligatur, nisi factum fuit legitime inventarium, de quo ante, *l. fin. §.* 12. *ff. de jur. delib.*

Annon datur restitutio?

Minori, *§.* 5. *Inst. h.* ut & militi, *l. fin. C. de jur. delib.* & alio omni, qui justo errore lapsus est. *arg. l.* 7. *ff. de restit. in integr. junct. l.* 1. 26. *in fin. ff. ex quib. caus. major.*

De repudianda vel abstinenda hæreditate. Tit. 31. Lib. 6. Cod.

Quomodo fit repudiatio hereditatis, & à quibus?

Nuda voluntate, re & verbis declarata, *§. fin. Inst. de her. qual.* Abstinere autem dicuntur sui hæredes, repudiare extranei. Fit vero repudiatio ab illis, quibus delata est hæreditas, & qui quid agatur intelligunt, *l.* 94. *ff. h.* & possunt obligari. Quare furiosi non recte repudiant,

diant, *l.* 47. *ff. de acquir. vel omitt. hæred.* nec pupilli sine tutoris autoritate, *l.* 5. *C. h.* Filiifamilias quoque quidem repudiant in suum detrimentum, sed non patrum, *l.* 1. 3. *§. fin. ff. h.* nec patres in incommodum filiorum, *l.* 11. *C. de jure delib.*

Quis est effectus repudiationis?

Repudians liberatur ab omni onere hæreditatis, & hæreditas devolvitur ad alium. Et, qui semel repudiavit, postea suo jure non potest adire, *l.* 4. *C. h.* nisi sit minor, is enim potest restitui, *l. f. C. h.* vel major suus [*a*]hæres qui quidem non restituitur, sed si bona nondum sint distracta, auditur intra triennium, *l. fin. C. h.*

[*a*] Itaque in filiofam. qui repudiavit maternam hereditatem, cum non sit suus heres matris, receptum est, ut is repudians hereditatem maternam, postea admitti non possit, *l.* 2. *C. de J. & fact. ignor. Gomez. lib.* 1. *variar. resol. c.* 9. *n.* 31. *Grassus §. suitas* Q. 6. *n.* 6.]

De edicto Divi Hadriani tollendo, & quemadmodum scriptus hæres in possessionem mittatur. Tit. 33. Lib. 6. Cod.

Quid præcipue continetur hoc titulo?

Quod hæres, qui non cancellarum vel ulla parte vitiatum exhibuerit judici testamentum, mitti debeat in bonorum possessionem, *l. ult. C. h.*

Cui datur hoc interdictum?

Tantum hæredi scripto, sive ex parte, sive ex asse sit institutus, *d. l. fin.* sive rogatus fuerit hæreditatem restituere, sive non, *l.* 56. *D. ad SC. Trebell.* Imo & hæredi nuncupato, *arg. d. l. fin.* Non vero hæredi ab intestato, *d. l. fin.* non legatario, vel fideicommissario singulari, nec etiam universali, nisi fuerit verbo [*a*] restituta hæreditas.

[*a*] Verbo dicitur restitui hereditas, quando fiduciarius cedit fideicommissario omne jus suum, *l.* 37. *ff. ad SC. Trebell.* quo facto jure fiduciarii & tanquam nomine procuratorio fideicommissarius admittitur.]

Quomodo igitur prospiciatur hæredi ab intestato?

Per interdictum quorum bonorum, *l.* 1. *& tot. tit. D. quor.*

D. quor. bonor. quin & poterit instituere petitionem hæreditatis, si ad hæreditatem, non ad possessionem velit agere.

Quid, si sit vitium injustæ exhæredationis vel præteritionis?

Eo non obstante mittetur hæres scriptus in possessionem *l. 2. C. h.* imo, etsi aliud vitium objiciatur, non oberit, nisi in continenti probari possit. *l. 3. §. 13. D. ad exh.*

Quid, si duo simul agant?

Præferetur, cui potius est jus: Institutus substituto, Scriptus in posteriori testamento ei, qui in priori designatus est. Et, si jura utrinque sint eadem, non fiet missio, *arg. l. 30. D. test. tut.* Ei vero, qui possidet, possessio in casu dubio non est adimenda.

De his qui ante apertas tabulas hæreditatem transmittunt. Tit. 51. Lib. 6. Cod.

Quid, si hæredes scripti ante apertas tabulas moriantur?

Liberi hæredes instituti vel legatarii hæreditatem, legata & fideicommissa ad descendentes [a] transmittunt, quia perindignum est ob fortuitos casus liberos parentum suorum hæreditate vel legatis iis relictis privari, *l. unic. C. h.* Id procedit, sive parentes sibi quid relictum esse sciverint, sive ignoraverint, *d. l. unic. l. un. §. 5. 13. C. de caduc. tollend.*

[a] Vide *Sande lib. 4. tit. 9. def. 9. Gail lib. 2. obs. 128. Christin. vol. 4. dec. 26. n. 7. Grassus §. transmissio Q. 21. & seqq.*]

Idemne juris est in liberis hæredibus ab intestato?

Justa, imo major videtur esse ratio in *d. l. unic. in fin. C. h.* quæ id suadeat.

Quid statuendum de extraneis?

Non transmittunt hæreditatem, nisi sit adita, *d. l. unic. §. 5. 13. C. de Caduc. tollend.*

Tit. 3. Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur. Tit. 32. Lib. 6. Cod.

Quomodo testamenta sunt aperienda?

Apud magistratum, & coram omnibus, quorum interest. Possunt vero omnes, ad quos pertinent, desiderare aperiri, *l.* 1. *D. l.* 3. *C. h.* Cogi etiam possunt signatores & testes, ut sigilla & manus suas recognoscant, *l.* 4. *& seqq. D. h.*

Quid in pupillaribus tabulis fiet?

Eas, si seorsim signatas testator reliquerit, prætor non aliter, quam causa cognita patietur aperiri, *l.* 8. *D. h.*

Tit. 4. Si quis omissa causa testamenti ab intestato, vel alio modo possideat hæreditatem. Tit. 39. Lib. 6. Cod.

Quid, si omissa causa testamenti heres scriptus repudiet hereditatem, ut ab intestato succedat?

Si id in necem legatariorum fecerit, æque tenebitu ad legata, ac si ex testamento adiisset, *l.* 1. *D. l.* 1. *& 3. C. h.* Idem obtinet, si ab hærede instituto legata sint relicta, non à substituto, & institutus pecunia accepta repudiet, *l.* 1. *C. h.*

Tit. 5. De SConsulto [a] Syllaniano & Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur. Tit. 35. Lib. 6. Cod.

Quid comprehensum est SConsulto Syllaniano?

Cum à familia occisus quis esse dicitur, non licet hæredi tabulas testamenti aperire aut hæreditatem adire, antequam de servis, qui fuerunt sub eodem tecto vel in loco, ex quo domino periclitanti auxilium ferre potuerunt, habita fuerit quæstio, *l.* 1. *pr. s.* 26. 27. *D. l. ult. C. h.*

[a] Hic titulus hodie exolevit.]

Quod

Quod tempus huic edicto præstitum est?

Quinquennii quoad cognitionem aperti testamenti in extraneis, *l.* 13. *D. h.* Illi autem, qui parricidii pœna teneri possunt, etiam ultra decennium recte accusantur, *d. l.* 13.

Ubi manet hæreditas, quæ adita est contra CSonsultum?

Pertinebit ad fiscum, cum constat certo defunctum esse occisum, *l.* 5. *§.* 2. *D. h.*

Quid, si quis ignorans occisum aperuerit?

Non tenebitur hoc edicto, uti nec is quis sciens per imperitiam vel rusticitatem aperuit, *l.* 3. *§.* 21. 22 *D. h.*

Quid, si pars testamenti sit aperta?

Sive totum, sive pars ejus, sive codicilli, sive voluntates non rite ordinatæ aperiantur, sive etiam ab intestato adeatur hæreditas, locus est edicto, *d. l.* 3. *§.* 24, 25, 26. 29.

Tit 6. Si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit. Tit. 34. Lib. 6. Cod.

Quid, si quis prohibuerit aliquem testari?

Si quis dum captat hæreditatem legitimam, vel ex testamento antea facto, prohibuerit quem facere testamentum vel mutare, Divus Hadrianus constituit, denegandas ei esse [a] actiones, & fisco locum fore, *l.* 1. *pr. h.* Idem juris est, si dolo fecerit, ne testes venirent, *l.* 2. *D. h.*

[a] Putant nonnulli id in Galliarum plerisque locis non observari, ut notat *Charon. resp.* 63. at Tolosæ jus Civile vigere testatur idem Auctor, *lib.* 10. *respons.* 23.]

An in hac re unius factum alteri obest?

Nequaquam: nec fratris fratri, *d. l.* 2. *§.* 1. unde si fiduciarius hoc egerit, fisco cedit commodum legis Falcidiæ sive quartæ Trebellianicæ, non fideicommissum, *d. l.* 2. *§. fin.*

Quid, si quis coegerit aliquem testari?

Is carebit hæreditate, eaque fisco tribuetur, *d. l.* 1.

Verus hæres nihil consequetur?

Si certo constat, quod testator eum hæredem esse vo-

luerit, alterius maleficium ei non nocebit; nec etiam fiscus ex aliena calamitate emolumentum sentire debet, *l.* 1. *C. de naufrag.* Cæterum fisco adversus delinquentem non est deneganda actio ad pœnam, *d. l.* 12.

Quid, si maritus blanditiis provocaverit pro se judicium uxoris?

Non est id criminosum, *l. ult. C. h.* nec etiam viro, qui non per vim aut dolum placavit offensam ægræ mulieris ne mutaret ultimum elogium, auferenda sunt relicta, *l. fin. D. h.*

Tit. 6. De jure (a) Codicillorum. Tit. 36. Lib. 6. Cod. 25. Lib. 2. Inst.

Quid sunt Codicilli?

Ultima voluntas, sine directa hæredis institutione, *§.* 2. *Inst. h.*

(a) Secundum mores non est differentia quoad actum testandi inter codicillos & testamentum, *Baro instit. tit. de legat. Argentr. art.* 570. *gloss.* 1. *Grot. lib.* 2. *p.* 25. *Coren obs.* 31. sed testamentum etiam appellatur ubivis in quo est hæres institutus, codicillus in quo non est.]

In quibus distinguuntur à testamento?

Etsi quidem nemo eos facere possit jure, nisi cui permissum testari, *l.* 6. *§.* 2. *D. l.* 8. *§.* 2. *D. h.* tamen in multis differunt à testamento. 1. Testamentum non valet citra institutionem hæredis directam: in codicillis vero institutio non potest fieri, nec exhæredatio, nec adjicitur conditio institutioni, *§.* 2. *Inst. h.* 2. Testamentum posterius rumpit prius, *§.* 2. *Inst. quib. mod testam. infirm.* Codicilli vero posteriores, nec testamentum, nec priores codicillos, *§.* 1. *Inst. h.* correcta *l.* 5. *D. h.* 3. Testamentum est unicum, quia complectitur universalem rerum dispositionem: Codicilli possunt esse plures, *§.* 3. *Inst. h.* 4 In testamentis est solemnitas ordinationis; nulla autem in codicillis, *d. §.* 3.

Quot testes requiruntur in codicillis?

Sive in scriptis, sive per nuncupationem fiant, requiruntur quinque, *l. ult. §. fin. C. h.* eodem tempore adhiben-

hibendi, *d. l. ult. §. fin.* ac non intereſt, utrum fœminæ an maſculi ſint.

Verum, videtur eſſe ſolmnitas, ſi teſtes ſint quinque & ſimul advocandi?

Negari non poteſt, quin major ac certior probatio in codicillis deſideretur, quia multis ultima voluntas inſidiis ſubjicitur, *l. fin. C. de fideicomm.* ſed non eſt in iis quoad omnia ſolemnitas ordinationis.

Quid, ſi in codicillis ita quis ſcripſerit: Titium hæredem eſſe volo?

Voluntatis eſt quæſtio: nam ſi legata reliquerit, ſubſtitutum directo adſcripſerit, non erunt codicilli, ſed teſtamentum. Sin autem apparuerit ex levi conjectura, fideicommiſſariam hæreditatem à legitimo eum reliquiſſe, erunt codicilli, *l.* 13. *§.* 1. *ff. h.*

Quid, ſi quis in literis promittat hæreditatem, vel animi affectum exprimit?

Non obtinebit id vim codicillorum, *l.* 17. *ff. h.* quia hæreditas codicillis non datur. Aſt fideicommiſſum relictum epiſtola, adhibito ſufficienti numero teſtium, vires habebit, *l.* 22. *C. de fideicommiſſ.*

Quid, ſi teſtamentum ſit ruptum, an codicilli rumpuntur?

Si ſint confirmati teſtamento, & ante teſtamentum ſint facti, jus teſtamenti ſequuntur, *l.* 16. *D. l.* 1. *C. h.* Sin autem non ſint confirmati, non rumpuntur teſtamento rupto, *Dd. Ll.*

De Clauſula Codicillari.

Quæ eſt clauſula codicillaris?

Eſt, qua teſtator declarat, ſe pro codicillis etiam velle haberi teſtamentum, *l. f. C. h.* ſi non poſſit valere ut teſtamentum.

Eſtne Clauſula codicillaris eadem cum hac: volo valere omni meliori modo quo jure poteſt?

Nequaquam. Clauſula codicillaris eſt arctior, & ad factum pertinet: verum clauſula, *volo valere omni meliori modo*, latius ſe diffundens, etiam ad juris ordinem refertur.

Quæ est efficacia clausulæ codicillaris?

Ut valeat voluntas tanquam codicillus, & institutiones hæredum directæ flectantur in fideicommissum, *l.* 19. *pr. §.* 1. *D. de test. mil. l.* 2. *§. f. D. de codicillis. l.* 29. *§.* 1. *D. qui test. fac. poss.*

PANDECTARUM

LIBER XXX.

De Legatis & fideicommissis. 1.

Quid est legatum?

EST donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda, *§.* 1. *Inst. h.* Vel delibatio hæreditatis, qua testator ex eo, quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit, *l.* 116. *ff. hic.*

Qui possunt legare?

Quibus testandi est facultas, *l.* 2. *ff. hic.* Hinc deportati, aliique similes, nec legatum nec fideicommissum relinquunt, *l.* 1. *§.* 2. *ff. de legat.* 3. nec etiam filiifamilias, *d. l.* 1. *§.* 1. *ff. de leg.* 3,

Imo & filiusfamilias recte fideicommissum relinquit, si emancipatus decedat.

d. l. 1. *§.* 1.

Facilius fideicommissum redditur, quia imponitur alii; ac deinde, non simpliciter filiusfamilias fideicommittere potest, sed tunc tantum, cum probatur, quod voluntas ejus duraverit post emancipationem, *d. l.* 1. *§.* 1.

Quibus potest legari?

Omnibus, qui testamenti factionem passivam habent, hoc est, ex testamento quid capere possunt, *§.* 24. *Inst. l.* 101. *in f. ff. h.* Unde deportatis & similibus personis, quæ hæredes institui non possunt, etiam legari nequit, *l.* 101. *§. fin. ff. de legat.* 1.

De

De incertis personis. Tit. 48. Lib. 6. Cod.

Potestne & incertis personis legari?

Siquidem nulla ratione certæ fieri possint, inutile est legatum; secus, si certæ fieri queant, §. 25. *Inst. de legat.* Adeoque & posthumo alieno hodie recte legatur, §. 26. *& seqq. Inst. h.*

Valetne legatum collegiis vel corporibus relictum?

Valet, modo sint licita, *l.* 1. *C. de hæred. instit. l.* 1. §. 15. *ff. ad SC. Trebell.*

Quid, si pauperibus quid legatum sit?

Valebit, *l.* 24 *C. de Episc. & Cleric.* licet nulli sint nominati. Nullis autem personis designatis, Xenones ejus civitatis legatum nanciscentur, ut id conferant Xenodochio pauperiori: Et, si nullum sit Xenodochium, inter mendicantes, ac maxime eos qui eo loco affliguntur inopia, distribuent, *l.* 49. §. 3. *C. eod.*

Quid, si Deo sive Iesu Christo quid sit relictum?

Id cedet sanctissimis Ecclesiis in civitate vel alio loco, in quo constitutus erat defunctus, & conferetur in pauperum alimoniam, *l. ult. in f. pr. C. de SS. Eccles. junct. c. ult. caus.* 16. *qu.* 1.

Quid, si quis viro integræ existimationis summam certam leget, ut eam post obitum in pauperes, quos ipse eliget, eroget?

Legatum valebit, & vix poterit compelli, si sit id ipsi prohibitum, edere nomina pauperum, *arg. l.* 14. *D. de dot. præl.* Cautius autem aget, si coram amicis, vel aliquibus delegatis ab hæredibus, distributionem eam faciat.

Potestne & hæredibus legari?

Non valet legatum, si quis solus sit hæres: absurdum enim est, ut idem sit creditor & debitor, *l.* 116. §. 1. *D. de legat.* 1. Ideoque, si hæredi ex asse instituto & Titio fundus sit legatus, Titius sibi totum acquiret, *l.* 34. §. 11. *D. de legat.* 1. Nec [a] obstat *l. f.* §. 2. *D. de leg.* 2.

[a] Quia legatum ibi est relictum heredi substituto, siquidem ad hereditatem & substitutionem non veniret, itaque si heres esset adimit ipsi legatum, & ex adempto legato non potest esse jus accrescendi.]

Quid, si duo sint hæredes, unus ex uncia, alter ex undecim unciis, & fundus sit iis simpliciter legatus?

Vndecim unciarum hæres habebit undecim in fundo, cohæres unciam duodecimam, *d. l.* 34. *s.* 12. Si autem eadem res sit legata duobus ex pluribus hæredibus, quibus disparis partes sunt datæ, pro virili legatum divident, *l.* 6, 7. *s.* 1. *D. de leg.* 1. *l.* 2. *D. de instruct. & instrum. legat.*

Quid, si hæredi habenti cohæredem quid sit relictum, cum hac clausula: ut hæres à se habeat?

Subsistet secundum formam *l.* 34. *s.* 1. *D. de leg.* 2.

Quid capit hæres, qui cohæredem habet, ex prælegato sibi relicto?

Rem totam: partim jure hæreditario, partim legati. Iure hæreditario eam partem, quæ ejus est ex vi institutionis: legati jure eam, quæ aliàs pertinuisset ad cohæredes, *l.* 104. *s.* 3. & 4. *D. de leg.* 1. Vnde est, quod pars, quæ jure hæreditario habetur, imputetur in falcidiam, *l.* 91. *D. ad l. falcid.*

Legata relicta ab institutis videnturne esse repetita à substitutis?

Admittendum id est, nisi evidens diversa fuerit voluntas, quæ ex multis colligitur. Quid enim, si rem relinquat à substituto, quam ab instituto non reliquerat? Quid si certa causa fuerit in instituti persona, quæ cessat in substituto? Quid si substituit ex parte fideicommissarium, cui ab instituto reliquerat fideicommissum? *v. l.* 74. *ff. de legat.* 1. *l.* 61. *in f. ff. de leg.* 2. *l.* 4. *C. ad SC. Trebell.*

Debetne & hæres, qui universaliter substitutum habet, restituere prælegata?

In fideicommissis quidem id admittendum est, *l.* 15. *C. de fideic.* verum non in substitutione vulgari, *l.* 32. *ff. de legat.* 3.

PAN-

PANDECTARUM

LIBER XXXI.

De Legatis & fideicommissis. 2.

Possuntne res omnes legari?

TAm corporales quam incorporales, modo non prohibeantur, §. 21. *Inst. h. l.* 41. *pr. ff. de legat.* 1.

Quæ res prohibentur?

1. Quæ in rerum natura non sunt, §. 4. *Inst. h. l.* 108. §. 10. *vers. nam quodammodo. ff. de leg.* 2. 2. Quæ non sunt in commercio ullius, ut res sacræ, religiosæ & sanctæ, *l.* 39. §. 9. 10. *ff. eod. l.* 14. *C. h.* vel, quæ non sunt (*a*) in commercio testatoris, vel legatarii, *arg. l.* 112. *pr. ff. de legat.* 1. *l.* 24. §. 1. *ff. eod. l.* 20. *C. h.*

(*a*) Nec etiam sperantur: recte n. res futuræ legantur, ita tamen ut petitio differatur in id tempus, quo extiterint, §. 7. *Inst. de legat. junct. l.* 73. *ff. de Verb. Obl.*]

At obstat l. 40. 114. §. 5. *ff. de legat.* 1. *l.* 11. §. 16. *ff. de leg.* 3. Non est corrigenda, *d. l.* 40. sed, cum ibi agatur de re aliena, in qua est ea intentio & voluntas testatoris, ut, si res præstari non possit, solvatur æstimatio, §. 4. *Inst. hic.* recte æstimationem deberi respondetur. Deinde in *d. l.* 114. §. 5. vocabulum *licite* satis indicat, ibi non esse relictum ei, qui directo non habet ejus rei commercium, vel jure prohibetur rem relictam habere, *arg. l.* 49. §. 2. *D. de leg.* 2. sed relictum esse ei, qui jure capere possit, propter vitium vero corporis vel aliam accidentalem causam rem recte habere non possit. Denique in *d. l.* 11. §. 16. tractatur de legato militiæ, quod magis consistit in quantitate quam corpore, adeo ut ea vera quantitas, quæ ex militia haberi possit, videatur legata, *d. l.* 49. §. 1. *D. de leg.* 2.

Suntne & aliæ res, quæ legari non possunt?

Sunt res ædibus junctæ, *l.* 41. §. *& seqq. l.* 42. *& seqq. leg.* 1. *l.* 11. §. 14. *D de leg.* 3. Res propriæ legatarii, §. 10. *Inst. h. l.* 66. §. *penult. D. de legat.* 2. licet vivo testa-

testatore legatarius eas alienaverit. quo casu nec debebitur res, nec æstimatio, *d. §.* 10. non [*a*] obstante *l.* 1 *§. f. D. de reg. Caton.*

[*a*] Resp. Quod verba, *si eum viro testatore alienaris*, non innuant factum, quod legatarius alienavit, sed conditionem, sub qua is fundus legatus est; Si in contrarium allegetur, quod dispunctio in eo textu facta id non admittat: Resp. quod Pandectæ Florentinæ non habuerint dispunctiones, sed pro libitu JConsultorum, qui primi libros juris ediderunt, sint additæ, adeoque ex iis solidum argumentum duci non potest; accedit quod magis sit, ut dispunctio aliqua negligatur, quam ut turbetur intellectus juris.]

Possuntne & res alienæ legari?

In legato conjunctis personis relicto non distinguitur, utrum testator sciverit rem fuisse alienam, an non, *l.* 10. *C. h.* Sed in eo, quod extraneis relictum est, si legatarii nequeant probare testatorem sciviſse rem esse alienam, nihil debebitur, *§.* 4. *Inst. h.* Idem in re oppignerata hæres enim non aliter eam luere tenetur, quam si legatarius probaxerit testatorem sciviſse fuisse oppigneratam, *§.* 5. *Inst. eod.*

Quomodo autem testator de re aliena potest disponere, cum lege 12 *tabb. cautum, uti quisque legasset suæ rei, ita jus esto; cum nemo plus in alium transferre possit, quam ipse habet?*

Testator rem alienam legans imponit hæredi necessitatem rem eam à Domino emendi, si Dominus æquo pretio velit vendere, vel præstandi æstimationem, si Dominus vendere nolit, aut iniquum pretium exigat, *d. §.* 4. *l.* 14 *§.* 2. *D. de legat.* 3. *l.* 31. *§.* 4. *D. de fideicomm. libert.* Ex hisce apparet, testatorem hic nihil alieni invito domino tranferre, sed de suo tantum testari.

Quid, si res hæredis sit relicta?

Non est dubium, quin id vires habeat, *d. §.* 4. *l.* 36 *de usufr. legat. l.* 67. *§.* 1. *D. de legat.* 2. Nec distinguitur hoc casu, utrum testator sciverit vel non.

Quid,

Quid, si legatarius sit dominus rei legatæ alienæ factus vivo testatore?

Si ex titulo oneroso, præstabitur ei pretium quod abest; si ex lucrativo, nihil solvetur, nisi ante æstimationem tantum sit consecutus; tunc enim rem petere potest, §. 6. 9. *Inst. h.* adde *l.* 13. 14. *ff. de liberat. legat.*

PANDECTARUM

LIBER XXXII.

De Legatis & fideicommissis. 3.

Quomodo relinquuntur legata?

FUit olim distinctio inter damnationis, vindicationis, sinendi modo, & per præceptionem relicta, §. 2. *Inst. h.* Cujus etiam vestigia in pandectis frequenter occurrunt: verum hodie una est omnium natura, quatenus rerum qualitas id pati possit, *d.* §. 2. & *l.* 2. *C. commun. de legat.* Imo nullum quoad effectum inter legata & fideicommissa singularia discrimen est, nisi lex nominatim id expresserit, §. 3. *Inst. h.*

Potestne & in Codicillis legari?

Negari id videtur, §. 10. *Inst. de fideicommiss. hæred.* sed præstat affirmare, propter exæquationes de quibus ante: sic tamen, ut legatum ita relictum magis per modum fideicommissi sustineatur, quam proprio jure legati.

Ubi legatum est scribendum?

Non interest, utrum ante vel post hæredis institutionem, vel inter medias hæredum institutiones scribatur, §. 34. *Inst. h.*

PANDECTARUM

LIBER XXXIII.

Tit. 1. De annuis & menstruis legatis & fideicommissis.

Quid juris est in annuis legatis?

PLura esse legata videntur, & primi anni purum, sequentium conditionalia sunt. videtur enim hæc iis inesse conditio: si legatarius vivat, *l.* 4. 11. *ff. h.* morte enim (*a*) finiuntur, *l.* 8. nisi reipublicæ sint relicta, *l.* 6. *ff. h.*

(*a*) In hoc distinctio est inter legata & stipulationes; Stipulationes annuæ perpetuæ sunt, quia per contractum quisque consulit suis heredibus, *§.* 3. *instit. de verbor. obl.* id in legatis non obtinet, quia legata magis ad personam & affectionem erga eam, pertinent.]

Quæ est differentia inter hoc legatum & usumfructum?

Ususfructus finitur capitis diminutione, non annua legata. Usufructuarius nullum habet commodum ex fructibus, qui non sunt percepti: in annuis legatis potest in ingressu cujuslibet anni fieri exactio &, licet decesserit legatarius, dum currit annus, hæredes eorum nihil restituent, *d. l.* 8. *junct. l.* 5. 22. *ff. h.*

Quid, si legatum sit relictum annua bima trima die?

Per singulos annos æquæ pensiones præstandæ sunt, hoc est, integra summa dividetur in tres partes, & singulis annis tertia solvetur, licet non sit adjectum, æquis portionibus, *l.* 3. *pr. & §.* 1. *ff. h.*

Quid, si adjectum sit in æquis portionibus, & non sint portiones expressæ?

Dabuntur ei partes, quas vir bonus arbitraretur pro facultatibus defuncti, & positione patrimonii, sine vexatione & incommodo hæredis, *d. l.* 3. *§.* 2. *&* 3.

Quid, si ita: pensionibus quas putaverit legatarius vel hæres?

Non totum legatum statim exigetur, nec etiam considet, sed æstimandum est ex officio viri boni, quæ pen-

pensiones sint servandæ, *d. l.* 3. *s.* 4. *junct. l.* 22. *s.* 1. *D. de R. I. l.* 11. *s.* 7. *D. de legat.* 3.

Quid, si dixerit trima?

Compendiose videtur testator cogitasse de annua bima trima die, *d. l.* 3. *s.* 5. Et non male concludunt nonnulli jussum dare tribus terminis, jussum intelligi dare tribus annuis pensionibus.

Legatum ita est: Attiæ donec nubat hæres centum dato, neque adscriptum est, in annos singulos?

Rectius dicetur id legatum in annos singulos deberi, *l.* 17. *D. h.*

Quid, si quid in annuo legato, uti in fructibus unius anni, desiciat: uti, Vini falerni, quod domi nasceretur, quotannis in annos singulos binos culeos hæres Attio dato, & nihil eo anno sit natum?

Debentur æque duo culei; modo ex vindemia cæterorum annorum dari possint, *d. l* 17. *s.* 1.

Quid, si ita legatum: fidei hæredis committo, ut det post obitum ex reditu cœnaculi & horrei mei, Sacerdoti & iis qui in templo erunt, denaria decem die nundinarum quas ibi posui?

Hæc sunt præstanda in perpetuum: ministerium autem sacerdotis tantum est designatum, at templo legatum est relictum, *l.* 20. *s.* 1. *D. h.*

Tit. 2. De usu & (a) usufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum vel fideicommissum.

Possuntne & hominis liberi operæ legari?

Possunt, sicuti locari & in stipulationem deduci solent, *l.* 3. *D. h.*

(a) Obiter notandum, quod is, cui ususfructus omnium bonorum est relictus, alere debeat, quos testator alere debebat, *Surdus de aliment. tit.* 1. *Q.* 30. *Peckius de testam. conjug. lib.* 5. *c.* 6. *n.* 6.]

Ex quo die cedit legatum operarum?

Cedit ex die petitionis, & ægritudo illius, qui operas præstabit, nocet legatario, *l.* 7. *D. h.*

Quid, si usus vel ususfructus servitutis realis relictus sit?

Dabitur aut actio incerti contra hæredem, ut præstet legatario quamdiu is vixerit, eundi, agendi, &c. facultatem; aut ut ea servitus constituatur sub hac cautione, ut finito usu vel usufructu restituatur, *l.* 1. *D. h.*

Quomodo distinguitur inter reditum & usumfructum?

Reditus nomen, generaliter acceptum, ad omnia ex rebus provenientia emolumenta pertinet: strictius sumptum denotat præstationem talem, quæ solet fieri legatario à proprietario, cum ipse proprietarius possidet & re utitur, fruitur.

Estne distinguendum inter annuos fructus legatos, & usumfructum?

Negatur per *l.* 41. *ff. h. t.* Affirmatur per *l. unic. ff. quando dies usufr. legat. ced. l.* 22. *ff. h.* Sed commode hæc & similia loca conciliantur, ut si relicti sint fructus annui eo sensu, ut fructuarius suo jure eos percipiat, videatur usufructus esse legatus; secus, si jussus sit fructuarius accipere fructus annuos ab hærede. In dubio autem videtur, per fructus annuos usufructus relinqui, *l.* 20. *ff. de usufruct.*

Quid, si quis alteri fundum, alteri usumfructum leget?

Usufructus inter eos [*a*] communicabitur, *l.* 19. *ff. h.*

[*a*] Ratio est, quia ei cui fundus legatus est, & legata est proprietas & usufructus; rei n. nomine & proprietas & usufructus veniunt: Putant a. nonnulli hanc *l.* 19. *ff. h.* esse abrogandam, quia nimis subtilis est, quo fac. *l.* 7. *C. de instit. & substit.* sed id admittendum non est, quia non, ut aliqui putant, contra voluntatem testatoris aliquid fit, sed maxime secundum ejus verum judicium; cæterum si probari possit, quod testator aliter senserit, plus ejus voluntati est tribuendum, licet erraverit, quam verborum subtilitati. *l.* 69. *ff. de legat.* 3. Vide *Gomez. lib.* 2. *var. resol. c.* 15. *n.* 5. *Graff. §. legatum Q.* 25. *Fabr. lib.* 6. *C. tit.* 18. *def.* 3.

Quid,

Quid. si Titio fundus & ejusdem fundi usus-fructus sit legatus?

Erit in potestate ejus, fundum, an usumfructum vindicare malit. Si fundum elegeri., plenam habebit proprietatem; si usumfructum, tantum ejus erit usus-fructus sine proprietate, *l.* 10. *ff. h.*

Quid, si habitatio sit relicta in annos singulos?

Ab initio anni debebitur, *l.* 11. *ff. h. l.* 12. *§.* 1. *ff. quand. dies legator.* secus si pecunia ex habitatione redacta, relicta sit.

Tit. 3. De Servitute legata

Possuntne & servitutes reales legari?

Non est dubium, sive sint urbanæ, sive rusticæ, *l.* 2. 3. 6. *ff. h.*

Quid, si à pluribus hæredibus legata sit servitus viæ, vel alia similis?

Singuli hæredes in solidum convenientur; etiam uno adeunte vindicari potest, *l. f. D. h.*

Tit. 4. De dote prælegata.

Quid juris est in relegata dote?

Vxor ex legato statim agere potest, nec cogitur expectare ad annum, qui datus est actioni ex stipulatu in rebus mobilibus, *l.* 1. *§.* 2. *ff. h. §.* 15. *Inst. de leg. junct. l. unic. §.* 7. *C. de rei uxor. act.*

Quid, si ita legatum: uxori amplius quam dotem aureos centum lego: an & dos videtur legata, ut ea statim peti possit?

Manifestum est, dotem quoque esse relegatam *l.* 3. *ff. h.* confer *l.* 108. *§.* 7. *&.* 8. *ff. de legat.* 1.

Quid, si maritus legaverit dotem, & nulla sit dos data?

Si certa summa vel species sit relicta, ea debebitur, *d. §.* 15. *Inst. de legat. l.* 6. *§.* 1. *D. h.* Sin autem simpliciter sit relegata dos, nihil debebitur, *d. §.* 17. Nec obstat *l.* 69. *§.* 4. *D. de jur. dot.* quia ibi agitur de patre, qui dotem dare debet, ad quam relegandam maritus non tenetur.

Quid,

Quid, si fœmina in mancipiis haberet dotem & pecuniæ pro dote sit legata, & vivo marito mancipia sint mortua?

Potest uxor, vel ejus hæres, ad pecuniam marito mortuo agere, *l.* 8. *D. h.* Secus est, si pretia servorum indenfinite sint legata.

Tit. 5. De optione vel electione legata.

Quid juris est in optione legata?

Poterit legatarius eligere, quam rem voluerit, etiam optimam. idque jus optandi etiam transmittit ad hæredes, & si hæredes inter se dissentiant, sorte res erit dirimenda, *§.* 23. *Inst. de legat. l. ult. C. commun. de legat.*

Quo tempore debet eligere?

Si testator adjecerit, id tempus quod adjecit servandum est; alias decernet prætor certum tempus, *l.* 6. *D. h.* ne venditio, quandoque eligente legatario, interpelletur, *d. l.* 6.

Quid ergo, si dies sit præteritus, & hæres omnes res vendiderit?

Non aliter eliget legatarius, quam si omnia in integro sint, *d. l.* 6. *vers. quid ergo. & l.* 7. *D. h.*

Quid, si ante aditam hæreditatem optaverit legatarius?

Nihil agit. *l.* 16. *D. h. l.* 10. *de legat.* 1.

Quid, si electio semel sit facta?

Non potest mutare voluntatem: quia omne jus legati prima testatione comsumptum est, quoniam res continuo fit optantis, *l.* 20. *D. h.*

Quod est legatum generis, generaliter, alternative vel obscure relictum, & quis in his modis electionem habet?

Legatum generis, est 1. Cum genus aliquod rerum ex universitate relictum est; uti, si libri, bibliotheca, si grex legetur. In hac specie omnia, quæ sunt in illo genere, pertinent ad legatarium & quidquid accessit: uti & cedit damno legatarii, si species in eo genere nonnullæ sint sublatæ, adeoque si ad unam speciem genus pervenerit, etiam illa unica species vindicari poterit, *§.* 18. *& seq. Inst. h. l.* 22. *D. de legat.* 1. quod

in

in usufructu generis certi rerum diversum esse docetur, *l. fin. D. quib. mod. usufr. amitt. l.* 10. *§. fin.* 2. Cum quantitas relicta est; oleum, triticum. In hac specie est electio hæredis, *l.* 4. *D. de Tritic. vin.* Generaliter relictum est, cum species aliqua non determinata legata est; uti equum ex meis lego. hoc casu est electio legatarii, *§.* 22. *Inst. de legat.* ita tamen, ut si duæ sint, optima, *d. §.* 22. si plures, medii pretii eligenda sit, *l.* 37. *pr. ff. de legat.* 1 habita simul ratione personæ legatarii, testatoris, & similium circumstantiarum, *arg. l.* 50. *in fin. ff. eod.*

2. Alternative concipitur legatum, cum una ex pluribus rebus disjunctim datur. In hac specie (de qua est exemplum in *l.* 23. *ff. de legat.* 2.) etsi aliàs debitori detur electio, *l.* 10. *§.* 6. *de jur. dot.* eliget legatarius, *d. l.* 23. *l.* 34. *§. penul. ff. de legat.* 1. *l.* 10. *ff. de usu & usufr. leg.* nisi testator verba magis ad hæredem retulerit: *uti, volo ut hæres meus det illud, aut illud.* (*a*) Obscurum est, cum testator propòsuit certam speciem demonstrare, at non apparet, quæ sit illa species. hoc casu electio hæredis est, *l.* 32. *§.* 1. *l.* 37. *§.* 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 9. 34. *ff. de R. I.*

(*a*) Huc fac. *l.* 12. *l* 85. *§.* 4. *D. de V. O.*]

Tit. 6. De Tritico, vino, vel oleo legato.

Possuntne & res fungibiles legari?

Non est dubium, *t. h. tit.* & cum certus modus cum certa qualitate legatus est, debet is præstari: sin autem non sit adjecta qualitas, non quæritur cujus generis testator uti sit solitus, aut homines ejus regionis in usu habeant; sed liberum erit hæredi, cujus generis solvere velit, ut supra probatum ex *l.* 2. *ff. h.*

Quid, si qualitas, quæ haberi non possit, sit adscripta: ut, lego Titio modios tritici decem, qui singuli pondo centum pendeant?

Nihil peti potest: quoniam ejusmodi triticum non est in rerum natura, *l.* 108. *§.* 10. *D. de legat.* 1. *l.* 7. *§.* 1. *D. h.*

Quid venit legato vini?

Omne, quod ex vinea natum vinum permansit, non zythum,

zythum, non camum, non cerevisia, non hydromeli, non mulsum; verum Oenomeli, id est, dulcissimum vinum & passum continebitur, *l. 9. pr. & ss. seqq. D. h.*

Quid de vasis statuendum, legato vino?

In quæ ita diffusum est, ut non ad perpetuum usum vasa reserventur, debentur, *l. 14. D. h.*

Quid, si quis hæredem damnaverit uxori dare vinum, oleum, frumentum?

Omne, quantum præter familias reliquisset, debebitur, *l. 7. D. h.* Indefinita enim oratio æquipollet universali.

Tit. 7. De Instructo vel instrumento legato.

Quid venit nomine instrumenti fundi?

Omne, quod fructus quærendi, cogendi, vel conservandi causa paratum est, *l. 8. D. h.* omnisque apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus possessio exerceri nequit, *l. 12 D. h.*

Annon est differentia inter fundum instructum, fundum & instrumentum, & fundum cum instrumento legari?

Nulla quidem est, *s. 17. Inst. de legat.* alienato enim fundo, non debetur instrumentum, *d. s. 17. l. 1. ff. h.* Verum si sit probabilis conjectura in hisce speciebus: *Fundum & instrumentum, vel fundum instructum lego*, poterit alienato fundo instrumentum deberi, *l. 5. ff. h.*

Quid, si fundus simpliciter legetur?

Dotes prædiorum extrinsecæ legatario non præstantur, *l. 2. s. 1. arg. l. 20 s. 1. D. h.* sed tantum ea emolumenta, quæ immediate ad fundum pertinent; uti dolia, molæ, prælum, & quæcunque infixa, vel inædificata sunt, *l. 21. ff h.*

Fundo legato, uti optimus & maximus est, quid continetur?

Si quæstus fundi maxime in [a] venationibus consistat, continebuntur reria apraria, & cætera venationis instrumenta, & quicquid ad instrumenta pertinet, *l. 22. ff. h.*

[a] Ita-

[a] Itaque si in venationibus non consistat, nomine fundi optimi maximi significatur libertas prædii ab omni servitute, *l.* 48. *l.* 75. *ff. de evict. l.* 69. *§.* 3. *D. de legat.* 1. *l.* 91. *§.* 4. *ff. de legat.* 3 *l.* 59. *D. de contrah. empt.*

Debeine spectari instrumentum quod in fundo est, vel id, quod fundus sustinere possit?

Spectatur tantum id, quod est in fundo, & quod fundi causa paratum est, non quod desiderat vel quod sustinere queat, *l.* 25. *ff. h.*

Tit. 8. De Peculio legato.

Servo legato videturne peculium legari?

Non, nisi id nominatim sit expressum, *l.* 24. *D. h. §.* 20. *vers. peculium. Inst. de legat.* vel nisi vicarius ordinario fuerit legatus: hoc enim casu peculium vicarii ad ordinarium pertinebit, *l.* 25. *D. h.*

Quid, si servus legatus sit cum peculio, an & peculium debebitur mortuo servo?

Nequaquam, *l.* 1. 2. *D. h.* si servus vivo testatore decesserit, *l.* 12. *D. h.*

Tit. 9. De Penu legata.

Quid est in legato penoris?

Legatum censetur, quicquid esui potuique est, quicquid familiæ vel jumentorum in eum usum est paratum, *l.* 3. *pr. D. h.*

An omne quod bibitur in penu est?

Nequaquam, sed quod bibitur alendi causa: itaque medicamenta huc non pertinent, *l.* 5. *D. h.*

Quid juris in vasis penuariis?

Etiam ea, sine quibus penus non potest recte haberi, continebuntur, *l* 3. *§. fin. D. h.* non instrumenta pistrini, & vasa coquinaria, *l.* 6. *D. h.*

Tit. 14. De Supellectili legata.

Quid est supellex?

Domesticum patrisfamilias instrumentum, & omnis res, quæ ad ornatum ædium, & usum communem familiæ est parata; non argentum, non aurum factum, non vestis, *l.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *D. h.*

Quid

Quid, si uxori legaverit domum cum omni suo jure & instrumento & supellectili?

Etiam argentum, quod in supellectili est, debetur, non autem escale vel potorium, *l.* 8. *D. h.*

Quid, si species supellectilis sint enumeratæ?

Modus videtur generi esse datus. Cæterum legata supellectili simpliciter, cum species ex[a] abundanti per imperitiam enumerantur, generali legato non derogatur, *l.* 9. *D. h.*

[a] Si dubitetur in hac causa, an species ex abundanti sint enumeratæ, vel modum ponant, vel stringant legatum, potior est ea sententia, quâ legatum non esse restrictum pronuntiatur, *l.* 12. *s.* 46. *ff. de instr. & instrum. leg.*]

Suntne statuæ affixæ portio domus?

Cum instrumentum domus legatur, statuæ non debentur, *l.* 12. *s.* 23. *D. de instruct. & instrum.* sed, si basibus structilibus affixæ sint, non sunt domus portio necessaria, qua ædes perficiuntur; sed tantum habentur ornatus causa, *l. pen. D. de Verb. Sign.* & sunt separatæ ab instrumento, at nomine supellectilis veniunt, *d. l.* 12. *s.* 23. vel si ita affixæ sunt, ut separari nequeant, uti sunt inædificata vel contignata, erunt vera domus portio.

PANDECTARUM

LIBER XXXIV.

Tit. 1. De Alimentis vel Cibariis legatis.

Quid venit legato alimentorum?

OMnia cibaria, vestitus, habitatio, ac reliqua, sine quibus non alitur, *l.* 6. *ff. h.* Non verò, quæ ad disciplinam pertinent *d. l* 6. nisi aliud testator senserit, *l.* 7. *ff. h.* vel qualitas personarum aliud exegerit, *arg. l.* 4. *ff. ubi pupill. educar.*

Quæ veniunt nomine diariorum vel cibariorum?

Ea tantùm, quæ ad cibum quotidianum pertinent; non habitatio, non vestis, *l.* 21. *ff. h.*

Quid,

Quid, si simpliciter alimenta sint relicta, nulla quantitate adscripta?

1. Spectandum, quæ defunctus solitus sit præstare; deinde, quæ cæteris ejusdem ordinis reliquerit. 2. Si ueutrum apparuerit, ex facultatibus defuncti, & charitate legatarii modus statuetur, *l.* 22. *ff. h.*

Quid, si quis rogatus sit, ut aliquem educaret?

Idem erit ac si alimenta relicta essent, *l. fin. ff. h.*

Quid, si sint alimenta relicta usque ad pubertatem?

Præstandæ sunt usque ad decimum octavum annum masculis, ad 14 fœminis, *lib.* 14. *§.* 1. *ff. h.*

Tit. 2. De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veste vel vestimentis & statuis legatis.

Quid venit nomine auri vel argenti legati?

Quicquid auri vel argenti est, sive factum sive infectum fuerit, *l.* 19. *ff. h.* Non pecunia signata, *d. l.* 19. *l.* 27. *§.* 1. *ff. h.* licet etiam legatum sit argentum factum, nisi testatorem aliter sensisse appareat, *d. l.* 27. *§.* 1.

Quid, si certum pondus auri legatum sit?

Liberabitur hæres ipso jure, dando pecuniam, *l.* 1. *§.* 1. *ff. h.* nisi certum genus argenti sit legatum, *d. l.* 1. *§.* 1. vel certa species, *l.* 9. *ff. h.*

Quid, si argentum omne sit legatum quod suum erat?

Sine dubio non debetur id, quod in credito est, *l.* 27. *§.* 2. *ff. h.*

Cujus temporis æstimatio est præstanda, si certum auri pondus legetur?

Præsentis, cum testamentum sit, *l.* 7. & 9. *D. h.*

Species auri & argenti legata est & petitum, ut quicquid in ea legatum esset, restitueretur tertio, addita hac clausula: earum rerum ususfructus legatario, dum vivet sufficiet, An & ususfructus sit legatus?

Non, sed proprietas addito onere fideicommissi, *l.* 15. *D. h.*

Quid,

Quid, si quis legaverit aurum, gemmas, margaritas, quæ in eo auro essent?

Etiam id aurum, cui nec gemmæ nec margaritæ junctæ sunt, videtur legatum, *l.* 11. *ff. h.*

Quid est in legato mundi ornamentorum, unguentorum?

Nomine mundi veniunt specula, unguenta, & si quæ sunt similia, quæ ad mundandum hominem comparata sunt, *l.* 25. *§.* 10. *ff. h.* Ornamentorum, quæ ad ornatum pertinent, de quibus *d. l.* 25, *§.* 10. Unguentorum, quæ ad inungendum habentur, vel voluptatis vel valetudinis causa, *d. l.* 25. *§.* 12.

Quid nomine vestium?

Omnes laneæ, lineæ, & similes, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi vel incubandi causâ sunt paratæ, & quæ hic accessionis vice cedunt; uti insitæ picturæ, & clavi, qui vestibus insuuntur. vide de hac re *l.* 19. *§.* 5. *in fin.* 22. & præcipue 23. 26. *ff. h.*

Quid in statuis legatis?

Ut non tantum ipsæ statuæ debeantur, sed & quod ad eas accessit, *l.* 14. *ff. h. l.* 23. *§.* 2. *D. de rer. vind.*

Tit. 3. De liberatione legata.

Potestne & liberatio relinqui?

Non est dubium, *l.* 1. 3. *ff. h.* non tantum expresse, sed & tacite; ut si chirographum sit legatum, *l.* 1. 3. *§.* 1. *l.* 59. *ff. de leg.* 3. Liberatio autem legatur, & simpliciter & personaliter, *d. l.* 3. *§.* 3. *l.* 8. *§.* 3. *l.* 20. *D. h.* nec tantum in totum, sed pro parte, *l.* 7. *D. h.* & ad tempus, *d. l.* 8. *§.* 1.

Quæ est differentia inter liberationem relictam simpliciter & personaliter?

Si simpliciter, nec debitor nec ejus hæres in infinitum conveniri potest, *d. l.* 8. *§.* 4. *l.* 15. *D. h.* si [*a*] personaliter, tantum proderit personæ, cui adscripta est. *d. l.* 3. *§.* 3. *d. l.* 8. *§.* 3.

[*a*] Cum dubitatur, an personaliter vel impersonaliter liberatio sit relicta, magis est ut dicamus eam impersonaliter relictam esse, quia restrictio non præsumitur,

mitur, & legata sunt latissime interpretanda; accedit quod idem sit in pactis *l.7. §.8. D. de pact.* valet a. argumentum à contractu ad legata, quoties differentiæ ratio manifesta non potest dari, *l.46. D. de legat.1. l. 21. D. de V. Obl.*]

Quid, si pignus sit remissum?

Æque potest debitum peti, nisi aliud testator senserit, *l.1. §.1. D.h.* Interim debitor pignus repetere potest, antequam solverit, *d. l.1. §.1.*

Quid, si debitor, cui liberatio relicta est, ignoranti hæredi creditoris solverit?

Repetere poterit, *l.26. §. adeo. D. de condict. indeb.*

Tit. 4. De Adimendis, vel transferendis legatis, vel fideicommissis.

Potestne legatum adimi?

Potest, quia voluntas defuncti est ambulatoria usque ad vitæ supremum exitum, *l.4. D.h.* licet etiam testator sibi eam legem dixerit, ne revocaret, *l.22. D. de legat.3.* & id juramento confirmaverit, *arg. l.5. C. de legib.*

Quomodo fit ademptio?

Vel expressis verbis, *l.2. l.5. D.h.* vel tacite. Tacite, cum præsumitur voluntatis mutatio, ut si inimicitiæ capitales sint ortæ, vel aliæ graves. *l.3. §.f. D.h.* & nulla reconciliatio sit secuta, *l.4. D.h.* si testator rem legatam citra necessitatem alienaverit, *l.11. §.12. D. de leg.3.* vel vivus alii donaverit etiam ex necessitate, *l.18. D.h.* vel debitum legatum egerit, *§.21. Inst. de legat. l.75. §.2. D. de leg.1.* vel dixerit in codicillis, legatarium de se male esse meritum, *l.4. C. de his qui indig.*

An & transferri possunt legata?

Possunt: vel de personâ legatarii in aliam, quæ res operatur ademptionem, *d. l.5. D.h.* vel ab eo, qui dare jussus est, ut alius det: vel cum res alia aliâ pro re datur: vel cùm mutatur modus, *l.6. D.h.*

Quid, si hominem legans Stichum adimat?

Non perimit legatum, sed extenuat, ut Stichus eligi nequeat, *l.11. 12. D.h.*

Ad

At obstat l. 7. §. 1. D. de liberat. legat.

Nequaquam, quia ibi alternativè debebantur, & hæres damnatus erat, ut unam rem non peteret, at in *d. l. 11. h.* agitur de legato generaliter relicto.

Quid, si legatum transferatur in eum, cui nihil potest deberi?

Æquè ademptum dicitur, cum illi non debeatur, cui ademptum est, *l. 20. D. h.* In contractibus autem id non procedit, *arg. l. 1. D. de Novat. l. 7. D. de rescind. vendit.*

At obstat. l. 14. in fin. D. h.

Ibi ademptio inutilis erat propter qualitatem rei. pro parte enim non potest via deberi, *l. 2. §. 2. D. de verb. Oblig.* non propter translationem in personam, cum qua non est testamenti factio, de qua agitur *l. 20. D. h.*

Cujus periculo cedit interitus rei legatæ?

Si plures res debeantur, spectandum est, utrùm omnes sint æquè principales; quo casu quæ extant, debentur: an una principalis, altera accessoria; hoc modo si pereat principalis, æquè præstanda erit, *§. 17. & seqq. Inst. de legat.* Si una res sit legata, & genus sit, hæredis erit detrimentum; genus enim non perit creditori, *l. 11. C. si certum petat.* si species sit, perit legatario, nisi in culpâ fuerit hæres, *§. 16. Inst. de legat. l. 26. §. 1. D. de legat. 1.* sive hæres ignoraverit, sive sciverit rem esse legatam, *d. d. 16.*

Quam culpam præstare debet heres?

Levissimam, *l. 47. §. 4. & 5. D. de legat. 1.* Non autem casum fortuitum, nisi moram fecerit, *d. l. 34. §. fin. At videtur I Consultus in l. 108. §. 12. D. eod. distinguere hoc modo: ut si is qui præstat legatum nihil aliud capiat ex testamento, dolum malum tantùm præstare debeat, alias culpam?*

Loquitur *d. l. 108. §. 12.* de legatario & fideicommissario, qui est rogatus restituere. In eo verum est, quod teneatur de dolo, si nihil commodi sentiat ex legato; de culpâ, si quod emolumentum capiat. Non autem ad hæredem id referendum est, de quo agit textus in *d. l. 47. 4. & 5.*

Tit. 5. De rebus dubiis.
De Verborum & rerum Significatione.
Tit. 38. Lib. 6. Cod.

Quæ conjectura in ambiguis circa dispositiones est servanda?

Si verba sententiæ testatoris videantur convenire, sequi oportet verba *l. Labeo. §. 7. D. de supell. legat.* Si vero de voluntate certo constat, sequi oportet voluntatem, ita ut ea nunquam [a] pereat, si servari possit, *l. 12. 21. 24. D. h.*

[a] Adeoque si liquido probari posset voluntas, etiam verba sunt improprianda, huc referri oportet *l. 69. D. de leg. 3.*]

Unde metiemur proprietatem sermonis?

Ex usu singulari testatoris, vel more [a] legionis, *l. 50. §. fin. ff. de legat. 1.*

[a] Et si dubitetur, utrum præferri debeat mos testatoris an regionis, magis inclinari oportet pro consuetudine testatoris, ex *l. h allegata*; ad quam accedit ratio, quod sempere a quæ magis sunt specialia, sint attendenda.]

An præcise oportet sententiam testatoris sequi & non verba?

Si sententia nullo modo aptari possit verbis, quibus usus est testator, & de re demonstranda agatur, sequi oportet verba *l. 4. ff de legat. 1.* Si testator personam aliam verbis expresserit, quam voluit, nihil actum est, *l. 9 D. de hæred. instit.*

Quid ergo, si verba sint ambigua, & non certo constet de voluntate testatoris?

Præstat à proprietate verborum non recedere, *l. 69. D. de legat. 3.* Ita autem omnis explicatio facienda est, ut absurditas, contrarietas, scandalum evitetur, ut actus valeat, habeatur ratio personæ testatoris, hæredum, legatarii, dignitatis, necessitudinis, charitatis, verborum antecedentium & consequentium, similiumque, *l. 50. §. f. D. de leg. 1.* [a]

[a] Huc applicati possunt text. in *l. 79. §. 1. D. de legat. 3. & in l. 15. §. 2. D. de rejud.*]

Quid,

Quid, si testator legaverit mobilia, an & pecunia numerata comprehenditur?

Non facile id admittendum est, nisi testator diviserit omnia sua bona in mobilia & immobilia: hoc casu sub mobilibus pecunia comprehendetur, ut & nomina.

Quid, si matri legatariæ filius sit substitutus, & simul naufragio perierint?

Pubes videtur supervixisse matri, impuberi mater, *l.* 22. 23. *ff. h.*

Tit. 6. De his quæ pœnæ causa relinquuntur. Tit. 41. Lib. 6. Cod.

Licetne pœnæ nomine relinquere?

Non est dubitandum, propter *l. unic. C. h.* modo non sit impossibile vel probrosum quid hæredi injunctum, *d. l. unic.*

Tit. 7. De Regula Catoniana.

Quid comprehensum est regula Catoniana?

Eâ definitum est, quod legata tempore conditi testamenti inutilia ex post facto non possint convalescere. *l.* 1. *ff. h. l.* 29. *ff. de R. I.*

Ad quæ legata hæc regula pertinet?

Ad legata pura, eaque, quorum dies à mortis tempore cedit; non ad conditionalia, nec ad ea, quorum dies demum ab adita hæreditate cedit, *l.* 3. 4 *ff. h.*

Tit. 8. De his quæ pro non scriptis habentur.

Semperne valent, quæ scripta sunt in testamento?

Non. Multa pœnam merentur, multa pro non scriptis sunt. Pro non scriptis sunt. 1. Quæ intelligi non possunt, *l.* 2. *ff. h.* 2. Quæ relicta sunt damnato in metallum vel aliis servis pœnæ, *l.* 3. *D. h.* & deportatis *l.* 1. *C. de hæred. instit.* 3. Si non sit in rebus humanis is, cui legatum est adscriptum, vel si in hostium potestate fuerit, *l.* 4. *pr. & §.* 1. *D. h.* 4. Quæ quis sibi adscripsit, *l.* 1. *l. fin. D. h.*

Tit. 9.

Tit. 9. De his, quæ ut indignis auferuntur. 35. Lib. 6. Cod.

Quomodo distinguitur inter incapaces & indignos?

Incapaces sunt, qui capere non possunt ex testamento. Indigni, qui ob maleficium aliquod commissum adversus testatorem vel testamentum, vel similem causam privantur emolumento, quod ex testamento sperabant.

Enumera species aliquas indignorum?

1. Si quis patrem post ejus obitum, quasi illicitæ mercis negotiatorem, detulerit, quamvis & præmium meruerit, *l.* 1. *D. h.* 2. Si filius contra tabulas patris bonorum possessionem petierit, *l.* 2. *D. h. l.* 18. *in fin. D. de contra tabb.* 3. Si quis contra principum mandata duxerit uxorem ex ea provincia, in qua officium gerit, & uxor testamento quid reliquerit, *d. l.* 1. *§.* 1. vel si tutor pupillam duxerit contra SConsultum, *d. l.* 2. *§.* 1. 4. Si quis alteri donaverit vivi ignorantis cognati bona vel partem eorum, *d. l.* 2. *§. fin.* 5. Si quis probatus sit id egisse, ut per negligentiam & culpam suam mulier, à qua hæreditatem vel legatum sperabat, moreretur, *l.* 3. *D. h. l.* 8. *D. ad L. aquil.* 6. Si quis testamentum dixerit esse falsum, *l.* 5. *l.* 7. *D. h.* 7. Si quis defuncto maledixerit, vel infaustas voces adversus eum jactaverit, *l.* 9. *§.* 1. *D. h.* 8. Si quis testamentum dixerit inofficiosum, *d. l.* 5. *D. h. l.* 8. *§.* 14. *ff. de inoffic.* 9. Si quis in fraudem legis fidem accomodaverit incapaci, *l.* 10. *l.* 23. *ff. h.* 10. Si quæ, licet non damnata adulterii, nupserit ei, cum quo adulterium [a] commiserat, eumque hæredem nominaverit, vel damnatus adulteram hæredem instituerit, *l.* 13. *ff. h. t.* 11. Si testator dixerit legatarium hæredem male de se esse meritum, *l.* 4. *C. h.* 12. Si quis testari aliquem prohibuerit vel coëgerit, *l.* 2. *ff. si quis aliq. testar.* Hisce omnibus casibus fisco applicatur hæreditas, *Dd. Ll.* Verum si tutori dato & sese excusanti adimatur legatum, *l.* 5. *§.* 2. *ff. h.* vel ob inimicitias cessare dicatur voluntas, *l.* 9. *D. h.* fisco nihil adquiritur.

[a] Ex hoc ipso constare potest, quod nemo potest ducere illam, quam antè polluit adulterio, ut & *Bariol. h.* defendit, paulo aliter *J. Cod.* est definitum, ut sc inter adulteros non valeat matrimonium, si cum adulterium committerent, fidem dederint de matrimonio ineundo, *l. ult. C. de eo qui dux. quam poll.*]

Si quis dicat, testamentum non jure esse factum?

Nihil ipsi auferetur, *d. l.* 5. *s.* 1. *l.* 24. *ff. h.* Judicium enim defuncti non impugnavit, sed de jure suo disputavit, *d. l. penult.*

PANDECTARUM
LIBER XXXV.

Tit. 1. De conditionibus, & demonstrationibus, & causis & modis eorum, quæ in testamento scribuntur.

Potestne legatum relinqui sub qualibet conditione?

POtest, sub qualiber possibili: eritque ea necessario implenda. Impossibilis vero pro non scripta habetur, *l.* 3. *D. h.*

Quando sunt adimplendæ conditiones?

Promiscuæ conditiones, quæ potestativæ dicuntur, post mortem, *l.* 2. *l.* 11. *s.* 1. *D. h.* Non promiscuæ aut casuales sive mixtæ, etiam vivo testatore, *d. l.* 2. *&* 11. *s.* 1. *junct. l.* 10. *ff. h l.* 7. *C. de instit, & substit.*

Quid, si conditio consistat in non faciendo, potestne eo casu legatarius consequi legatum?

Hoc casu opus est cautione Mutiana, *l.* 7. 77. *s.* 1. *&* 2. *ff. h.* qua promittit legatarius, se restituturum, si contra factum fuerit. Cautio hæc non habet locum, si per aliam conditionem actio legati differri possit: quia non sufficit unum impedimentum removeri, si plura sint, *d. l.* 77. *s.* 1.

Estne conditio semper secundum formam à testatore præscriptam adimplenda?

Distinguendum est. Aut testatoris intentio tota con-

concluditur formâ conditioni adjectâ: hoc casu præcisè adimplenda est, ne quidem per alium modum, licet æqualem vim habeat, *l. 44. per tot. D. h.* aut intentio spectat conditionis modum tanquam medium quod testator protulit ad finem destinatum: hoc modo satisfiet conditioni, etiamsi alia ratione finis fuerit obtentus, *l. 3. C. de institut. & substitut.*,

Quando legata sub conditione relicta debentur?

Demum, cum conditio extiterit, *l. 41. ff. h. l. 5. §. 2. ff. quando dies legat. ced.*

Quid, si per alium stet, quo minus satisfiat conditioni?

Habetur pro implctâ, maximè si stet [a] per eum, cujus eam impleri interest, *l. 24 ff. h.*

[a] Hic notandum est, quod sufficiat oblatio facta illi, in cujus persona impleri debet conditio, *l. 3. ff. de condit. instit. l. ult. C. de condit. instit.* & si is, cui quid præstandum erat, recusarit, postea id petere non potest, *d. l. ult.*]

De falsa causa adjecta legato vel fideicommisso. Tit. 44. Lib. 6. Cod.

Quid, si falsa demonstratio sit adjecta, vel falsa legati sit causa?

Æquè subsistet legatum, modò causa non sit conditionaliter concepta, *§. 3. & seqq. Inst. de legat. l. 17. pr. & ult. l. 72. §. falsam ff. h.*

De his quæ sub modo legata vel fideicommissa relinquuntur. Tit. 45. Lib. 6. Cod.

Quid juris, si modus fuerit adjectus?

Ei ordinario satisfieri oportet, tanquam conditio aliqua esset adjecta, siquidem impleri possit, *l. 2. C. h.*

In quo distinguitur modus à causa & conditione?

Modus futurum tempus respicit, & causam finalem continet, & solet efferri per verba, *ea lege, dum tamen,* aut *dummodo.* Regulariter adjicitur, ut aliquid fiat. Causa respicit præteritum, & magis impulsiva est, quàm finalis. A conditione distinguitur modus, quod Conditio implenda sit indistinctè; Modus aliquando

implendus non sit: uti si ad solum legatarii commodum dirigatur, nisi testator minus industrio voluerit esse prospectum, *l.* 71. *ff. de condit. & demonstr. junct. l.* 16. *ff. de legat.* 3. Deinde illi, in cujus personam implenda est conditio, nulla competit actio *l.* 8. *Cod. quis omiss. causa.* secus in modo jure Codicis, *l.* 2. *C. h.* non Digestorum, *l.* 57. *ff. de cond. & demonstr.* Præterea in conditione legati revocata, non est ademtio; in modo utique, *l.* 30. *s.* 2. *ff. de adim. legat.*

De indicta viduitate, & Lege Iulia Miscella tollenda. Tit. 40. Lib. 6. Cod.

Quid, si conjunx præmoriens reliquerit uxori, si in viduitate permanserit?

Iure Pandectarum conditio talis rejicitur, *l.* 22. *l.* 64. *ff. de condit. & demonstr.* nisi tantum certa persona sit nominata, cui non debeat nubere, *l.* 63. *ff. eod.* Iure autem novo ex *Nov.* 22. *cap.* 44. id mutatum est, ita ut, si viduitas sit injuncta vel à marito vel ab extraneo, mulierque præoptaverit nuptias, legatum amittat.

Pertinebitne Nov. 22. *tantum ad viduas?*

Id videtur ex textu sequi. Itaque fœminæ, quæ nuptias non sunt expertæ, recte conditionem viduitatis possunt impune spernere. & legatum sibi relictum acquirere.

Quid, si dictum, si arbitratu Mævii nupserit?

Id quidem servandum est, non autem necessario sequi oportet arbitratum, *l.* 28. *l.* 72. *s.* 4. *ff. de condit. & demonst.*

Quid, si addita sit conditio, si uxor caste vixerit, annon per hoc videtur esse interdictum secundis nuptiis?

Nequaquam: cum nubere secundo non sit turpiter vivere, & in conjugio summa sit castitas: Thorus enim immaculatus placet Deo.

De Caducis tollendis. Tit. 51. Lib. 6. Cod.

Quæ dicuntur in Iure Caduca?

In genere ea legata, quæ deficiunt. Prima est species eorum, quæ pro non scriptis habentur. Secunda, si legata-

gatarius vivo testore decedat, aut conditio adjuncta deficiat: hæc dicuntur esse in causa caduci. Tertia, cum quidem quid relictum est capaci, sed deficit ex aliqua causa post mortem testatoris. de quibus singulis speciebus *in l. unic. §. 3. 4. 5. C. h.*

Quid juris est in singulis?

In prima manent legata penes hæredem, etiam sine onere, nisi specialibus casibus, *d.l. unic. §. 3.* In secunda, onus comitatur hæredem aut substitutum aut conjunctum, ad quem legatum pervenerit, *d. l. unic. §. 4.* nisi onus contemplatione certæ personæ sit injunctum. In tertia, si legatum sit purum, vel in diem certum relictum, transmittitur ad legatarii hæredem; si sit conditionale, vel incertum diem habeat, non pertinet ad hæredem legatarii, sed ad substitutum aut conjunctum, aut ad ipsum hæredem a quo relictum erat, *d. l unic. §. 5.*

Quomodo jus accrescendi hic habet locum?

In hæredibus quidem certum est, quod iis etiam [a] invitis accrescat portio vacans, *d. l. unic. §.* 10 legatariis vero non nisi volentibus, nisi sint re conjuncti, *d. l. unic. §. 11. junct. l. 4. ff. de legat. 2.* ac deinde mixtim & verbis tantum conjunctis accrescit vacans pars cum onere, non vero re conjunctis: cum re conjuncti ab initio, & directo singuli solidum habuerint, *d. l. unic. §. 11.* non alio modo juncti.

[a] In Hollandia id non observatur. at in illis locis, in quibus jus Civile viget, etiam locum habet.

De usuris & fructibus legatorum seu fideicommissorum. Tit. 47. Lib. 6. Cod.

A quo tempore debentur usuræ & fructus legatorum?

A tempore moræ, quæ committitur vel per litiscontestationem, vel per interpellationem, *l. 1. & seqq. ff. h.* In hac enim causa legata bonæ fidei judiciis sunt exæquata, *l. 34. ff. de usur.* sive agatur in rem, sive in personam. [a] *Dd. Ll.* nisi hæres habuerit justam causam provocandi ad judicium, *arg. l. 2. C. h.*

(a) Sive sint fructus sive usuræ petendæ, *l. ult. C. h.* Quid ergo, si heres non adeat vel deliberet? Cedit quidem, sed petitio fieri non potest, *l. 7. ff. quand. dies leg.* & si non sit petitio, nulla est mora, *l. 47. ff. de V. O.* & ubi non est mora, ibi non possunt fructus peti.]

De Fideicommissis. Tit. 42. Lib. 6. Cod.

Quid est fideicommissum?

Est relictum à testatore, quo is, qui honoratus est, sive hæres sive legatarius fuerit, rogatur totam hæreditatem vel partem ejus aut rem singularem restituere alteri.

Quomodo distinguitur?

1. Est vel universale, vel singulare. 2. Est vel expressum per expressa verba; vel tacitum, quod colligitur ex mente testatoris.

De Fideicommissariis hæreditatibus. Tit. 23. Lib. 1. Cod.

Quid est universale?

Quo hæres rogatur testamento vel codicillis, sive ab intestato sive ex testamento successerit, ut hæreditatem vel partem ejus restituat, pure aut ad certum diem, vel sub conditione, aut aliter.

Da exempla fideicommissi tacite?

Sunt varia; uti si testator roget hæredem, ut Titium sibi hæredem faciat. Ne testamentum sibi faciat. Ne alienet. [a] Quando in posteriori testamento jubet, ut prius valeat, & hæres in posteriore institutus contentus sit rebus sibi datis, *l. 29. D. ad. SC. Trebell.* Quando jussit, ut omni meliori modo vires habeat voluntas, & ea non potest uti testamentum valere, *l. 29. §. 1. D. qui testam. fac. poss. l. 19. ff. de testam. mil. l. 88. §. ult. D. de. legat. 2.*

[a] Prohibitio alienationis nuda nullius est momenti, *l. 93. ff. de legat. 3. l. 38. §. 4. ff. eod.* Sed tunc demum habet prohibitio alenationis vim fideicommissi, cum ex causa vel ratione certæ personæ, ut ei consulatur, facta est, *l. 114. §. 14. ff. de legat. 2.*]

De

De singulis rebus per fideicommissum relictis. Lib. 2. Inst.

Quod est singulare fideicommissum?

Quo testator rogat rem singularem ab hærede vel legatario alteri restitui, quod quoad effectum in iis, quæ aliter speciali lege non disposita sunt, convenit cum legatis, *§.* 3. *Inst. de legat.* de qua re ante.

Communia de legatis & fideicommissis, & de in rem missione tollenda. Tit. 43. Lib 6. Cod.

Suntne & eadem, actiones ex legatis, & fideicommissis singularibus?

Inter reliqua, quæ communia sunt, etiam eadem ratio actionum est. Datur Personalis ex testamento, quæ competit adversus hæredem vel successorem ejus ex quasi contractu propter additionem hæreditatis, *l.* 1. *C. h. junct. §.* 4. *Inst. de Obl. quæ ex quasi contr.* quæ intentari potest pro qualibet re: nec distinguitur, utrum sit mobilis an res immobilis; utrum propria an aliena; utrum species sive corpus sit legatum, an quantitas vel genus. Datur vindicatio contra eum, qui possidet: quæ non aliter intentatur, quam si res extet vel possessor dolo desierit eam possidere. Hujus actionis fundamentum est, quia ipso jure res legata transit in dominium legatarii, *l.* 80. *ff. de legat.* 3. Datur Hypothecaria in rem, quæ non aliter competit, quam discusso prius principali: competitque adversus possessores, non rei legatæ, sed rei hæreditariæ alterius, quam adversarius possidet, *Nov.* 4. *c.* 2. Hæc causam habet, quia lex tacitum pignus constituit pro re legata, *d. l.* 1. & licet contra hæredem possidentem ex aliâ causâ detur actio realis in solidum, hæc tamen ex hac causa tantum pro portione hæreditaria, *l.* 1. *C. h. inf.*

Tit. 2. Ad Legem Falcidiam. Tit. 46. Lib. 6. Cod. 22. Lib. 2. Inst.

Quid comprehensum est Lege Falcidia?

Vt hæres legatis oneratus, ne pro nullo vel minimo

lucro hæredis nomen sustineat, detrahat quartam, vel eam sibi salvam habeat.

Habetne tantum locum in legatis?

Nequaquam: porrigitur enim & ad mortis causâ donationes, *l.* 5. *C. h. l.* 2. *C. de donat. mort. caus.* & mortis causa capiones, *l. penult. C. h.* quin imo & ad donationes inter vivos, quæ non valent nisi morte confirmentur, *l.* 12. *C. h. l.* 15. *s.* 5. *ff. eod.*

Quibus datur Lex Falcidia?

Non legatariis vel fideicommissariis, licet restituere debeant; sed tantum hæredibus veris vel aliis similibus possessoribus, *l.* 1. *ff. h. t.* etiam singulis, *l.* 77. *ff. h.*

Quid, si portio unius hæredis jure accrescendi vel substitutionis pervenerit ad cohæredem, an & hoc casu locum habere potest?

Distinguendum est; si portio gravata accesserit ad non gravatam, potest fieri separatio, ut in onerata tantum Falcidia locum inveniat: si non onerata accesserit ad oneratam, secus est, *vid. l.* 1. *s.* 2. 11. *s. penult. l.* 79. *l.* 87. *s.* 8. *ff. h.*

Quæ imputantur in Falcidiam?

Non quæ jure legati, fideicommissi, vel implendæ conditionis causa, sed quæ jure hæreditario capiuntur, *l.* 74. 91. *ff. h.* quod secus est in Trebellianica, quia ea imminuitur per legata & fideicommissa, *d. l.* 91.

Quando & quomodo debeat iniri quantitas patrimonii?

Redigi debet ad tempus mortis, *s. penult. Inst. h. l.* 15. *s. quod avus l.* 73. *ff. h. junct. l.* 30. *ff. h.* Deduci autem prius oportet æs alienum, impensas funeris, pretia servorum manumissorum, *s. fin. Inst. l.* 8. 16. *C. h.*

Quomodo ineunda ratio legis Falcidiæ in usufructu relicto?

De jure civili sequi oportet responsum in *l.* 61. *ff. h.* quod moribus [*a*] non solet præcise observari.

[*a*] Secundum mores tota hac res dependet ab arbitrio judicis, quod varium esse potest pro robore seu valetudine personarum, *Sande lib.* 3. *tit.* 14. *def.* 14.]

Annon cessat aliquando lex Falcidia?

Cessat, 1. Cùm hæres non fecit inventarium, *Nov.* 1. *cap.* 2. *s.* 1. imò & eo omisso tenetur hæres etiam ex suo

suo patrimonio legatariis satisfacere. 2. Cum hæres sciens vel errore juris lapsus totum legatum exsolvit, *l.* 1. *C. h.* secus si errore facti. 3. Cum testator prohibuit Facidiam, *d. Nov.* 1. *cap.* 2. *in fin.* siquidem non sit ignarus modi sui patrimonii. 4. Cum quid relictum est ad pias causas, *Nov.* 131. *cap.* 2. siquidem hæres fecerit aliquam moram. 5. Cum creditum creditori, vel dos uxori legatur, *l.* 57. 6. Cum hæres quid subtraxit, *l.* 24. *ff. h.* vel egit, ut fideicommissum intercideret, *l.* 52. *ff. h.* 7. Cum non capaci rogatus est hæres restituere, fidemque accomodavit, *d. l.* 59. *ff. h.* 8. Cum quod retineri poterat spopondit hæres se daturum, *l.* 59. *ff. h.* 9. Cum miles legavit, *arg. l. fin. C. de inoffic.* 10. Cum testator vetuit rem alienari, *Nov.* 119. *c.* 11. aliisque modis.

Quid, si testator adjecerit clausulam: se velle integra legata prestari?

Per hoc non est prohibita Falcidia. debet enim prohibitio expresse fieri, *d. Nov.* 1. *cap.* 2. *in fin.* nisi aliæ conjecturæ concurrant.

Tit. 3. Si cui plus quam per legem Falcidiam licet, legatum esse dicetur.

Quid, si dubitetur an lex Falcidia locum habeat?

Subvenit prætor hæredi, ut legatarius ei satisdet, ut, si apparuerit eum amplius cepisse quam licebat, id restituat *l.* 1. *ff. h.* quod etiam admittetur in mortis causa donationibus, *d. l.* 1. *s.* 10.

Quid, si legatarius sit fideicommisso gravatus?

Etiam ei cavendum est, *d. l.* 1. *s.* 13. *l.* 3. *s.* 4. *ff. h.*

Desideratne hæc res fidejussorem?

Necessario: quia fieri potest, ut non sit solvendo is cui solutum est, ac per hoc pereat quod datum est, *d. l.* 3. *s.* 1. *d. l.* 1. *s.* 9.

PANDECTARUM

LIBER XXXVI.

Tit. 1. Ad SConsultum Trebellianum & Pegasianum. Tit. 23. Lib. 2. Inst.

Quid comprehensum est S Consulto Trebelliano?

QUemadmodum hæres ex legatis per legem Falcidiam, ita per hoc SConsultum ex fideicommissis universalibus detrahit quartam, quæ Trebellianica dicitur, *s. 7. Inst. de fideicomm. hered. d. s. 7. & 8. l. 3. & seqq. C. h.* vel repetit, si integra hæreditas sit soluta, *d. s. 7.* Deinde, per hoc SConsultum fiduciarius recusans adire, cogi potest ad adeundum officio judicis, *l. 17. ff. si quis omiss. caus. l. 16. § idem. ff. h.*

Quibus indultum est hoc beneficium?

Omnibus hæredibus, sive ex testamento sive ab intestato succedant, *s. 2. 10. Inst. eod.* licet etiam filius juraverit, se testamentum patris observaturum, *arg. l. 32. C. de inoffic. testam.*

Potestne & filius fideicommisso gravatus, & Trebellianicam & legitimam deducere?

Vtique (*a*), quia ex diverso jure fit deductio. Legitimæ, quia filius est; Trebellianicæ, quia hæres est fideicommisso oneratus, *cap. Raynutius. ext. de testam.*

(*a*) Semper n. in dubio favendum est liberis; hoc a. jus de duabus hisce deducendis potissimum ex J. Canonico descendit, & receptum est per totum terrarum orbem, ut vulgo *DD.*]

Atqui duæ causæ lucrativæ in eundem hominem & eandem causam non possunt concurrere. s. 6. Inst. de legat?

Successio filii non est causa mere lucrativa, quoad patrem, qui tenetur filio relinquere legitimam sine ullo onere, *l. 30. 32. C. de inoffic. testam.* nec etiam Trebellianica pro mero lucro censeri poterit, quia ex necessitate legis debetur, *d. s. 7.*

Vbi manent actiones hæreditariæ?

Si coactus hæres adeat, nec quartam habet, nec adversus

versus ipsum actiones exerceri possunt, *l. 4. D. h.* Si volens adeat, pro rata dividentur actiones inter fiducarium & fideicommissarium, *d. §. 7. Inst. de fideicomm. hæred.* nisi sit rogatus restituere hæreditatem deducta re certa. hoc casu, si quarta sit in illa re, nihil deducet, & nihil oneris ex hæreditate sentiet, *§. 2. Inst. eod.* Et, si non sit in ea re quarta, agitur ad supplementum, & ratione ejus, quod suppletur, actiones fiduciario imputabuntur.

Qua actione repetit fideicommissarius hæreditatem à fiduciario?

Non petitione hæreditatis, *l. 63. D. h. l. 3. §. 1. D. de fideicommiss. hered. petit.* adde *l. 27. §. 7. D. h.* sed tantum personali & hyphothecaria, *l. fin. §. sed quia. C. comm. de legat.*

Quæ imputantur in Trebellianicam?

Non tantum, ut & supra allegatum est, ea, quæ jure hæreditario heres percepit, sed & quæ legati vel fideicommissi aut præceptionis titulo, *l. 91. D. ad L. Falcid.* ac deinde, licet in fideicommissariam restitutionem non veniant fructus, nisi mora sit facta, vel specialiter heres sit rogatus fructus restituere, *l. 18. pr. & §. 1. D. h.* tamen quartam extenuant interim percepti, *d. l. 1. 18. l. 22. §. 2. D. h.*

Estne hoc perpetuum, quod quarta deduci debeat?

Cessat hæc deductio multis casibus. 1. Si testator eam expresse vetuerit, per *Nov. 1. cap. 2. in fin.* vel iis verbis sit usus, ut concludenter inferri possit prohibitionem esse factam. nec distinguimus inter liberos primi [a] gradus, vel ulterioris, quia *d. Nov.* non distinguit. 2. Si inventarium non fuerit factum, *arg. d. Nov. 1. c. 2. 3.* Si intra annum voluntas defuncti non sit impleta, *d. Nov. 1.*

[a] Communiter *DD.* dissentiunt, & præjudicia Curiarum contrariantur, ex malo intellectu *l. 6. C. h.* Eo n. textu tantum hoc indicatur, non quod Trebellianica non possit prohiberi in liberis primi gradus, sed quod fructus, licet testator vetuerit, liberis primi gradus non possint imputari in legitimam, *Clarus Q. 22. §. testamentum.*]

Quid, si fideicommissi alienatio sit prohibita?

Videtur consequenter etiam vetita esse deductio quartæ, *arg. authent. sed in ea re. C. ad L. Falcid.*

Quid, si institutus in re certa sit rogatus eam restituere?

Siquidem sint alii cohæredes simpliciter vel ex parte hæreditatis instituti, quia tunc legatarii est loco, *l.* 13. *C. de hæred. instituend.* non deducet: secus, si solus vel cum aliis etiam ex re certa institutis concurrat.

Tit. 2. Quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat. Tit. 53. Lib. 6. Cod.

Quando cedit dies legatorum vel fideicommissorum?

Si pure quid relictum, ex die mortis, *l.* 5. §. 1. *ff. h.* nisi sit ususfructus, usus, vel habitatio; in iis enim dies ante aditam hæreditatem non cedit. Si sub possibili conditione, expectandus est eventus conditionis. *d. l.* 5. §. 2. Si ad certum diem vel sub impossibili conditione quid sit legatum, cedit à die mortis, *d. l.* 1, §. 1. & 4. uti & tunc cum conditio pro impleta habetur, *d. l.* 5. §. 5. Relictum in annos singulos, cedit singulis annis, *l.* 13. 23. *ff. h.*

Quid in die plane incerto statuendum?

Est idem, ac si conditionale legatum esset, quia dies incertus [a] conditionem in testamentis facit, *l.* 75. *ff. de condit. & demonstr.*

[a] Obiter hic notandum, quod si ita testator dixit, *cum ipse legatarius morietur*, legatum non sit conditionale, sed tantum in diem sit delatum, *l.* 4. §. 1. *D. h.* si a. testator dixerit, *cum morietur hæres*, erit legatum conditionale, adeoque si ante heredem legatarius moriatur, legatum non transmittetur ad heredes legatarii, *d. l.* 4. *in pr.* adde *l.* 79. *D. de condit. & demonstr.*

Quid, si pure sit datum, & sub conditione ademptum?

Id quasi sub conditione relictum habetur, *l.* 6. *D. h. l.* 10. *ff. de adimend. legat.*

Hæredis

Hæredis aditio facitne moram legati?

Nullo modo, *l.* 7 *D. h.*

Quis est usus hujus rei?

Si dies legati cesserit, transmittitur ad hæredes; secus, si non cesserit.

Tit. 3. Vt legatorum, seu fideicommissorum causa caveatur. Tit. 54. Lib. 6. Cod.

Quid, si propter diem vel conditionem adjectam legatarius sibi velit caveri?

Necessario cautio est præstanda, ut diebus, quibus testator voluit præstari, vel cum conditio extiterit, præstetur, *l.* 1. 2. *C. ut in possess. legator. l.* 1. *D. hic.*

Quibus debet satisdari?

Et legatariis sive fideicommissariis, & eorum successoribus, *l.* 1. *s.* 3. *D. h.* quin & si duo contendunt de re legata, utrique satisdatio fiet, *l.* 16. *D. hic.*

Estne hæc cautio præstanda per fidejussores?

Omnino: satisdatio enim desideratur, *l.* 1. 2. 3. *& seqq. D. h.* ubi autem satisdatio requiritur, ibi fidejussores dandi in prætoriis stipulationibus, *l.* 7. *D. de prætor. stipul.*

Cessatne aliquando hæc satisdatio?

Cessat primo, si testator eam prohibuerit, ita quidem ut, & si facta sit, condici possit, *l.* 1. *D. ut in possess. legat.* Secundo, si legatum vel fideicommissum non subsistat, *l.* 14. *s.* 1. *D. h.*

Tit. 4. Ut in possessionem legatorum vel fideicommissorum servandorum causa esse liceat. Tit. 53. Lib. 6 Cod.

Quid, si hæres non præstiterit cautionem?

Mittitur legatarius in possessionem rerum hæreditariarum, *lib.* 13. *D. l.* 3. *C. h.* olim quidem in omnium. *d. l.* 13. sed hodie secundum quantitatem legat. *arg. Nov.* 53 *cap.* 4. *s.* 1. Et, si hæres ad sex menses deficiat, fiet missio in res hæredis proprias, non quidem, ut pro domino esse incipiat, sed custodiam vel jus pignoris habeat, & die adveniente legatum autoritate judicis consequatur, *l.* 5. *C. h.*

Quid

Quid circa fructus statuendum?

Etiam illos aliquando coget missus, & servabit, vel vendet. prout distinctè est traditum in *l. 5. §. 22. ff. h.*

Quid, si hæres interim quid vendat?

Non oberit id legatario; quia causa prætorii pignoris venditionem antecedit, *l. 3. C. h.*

Annon qui prætor mittitur, est reliquis jure potior?

Nulla est hic prærogativa ex tempore, *d. l. 5. §. 3. & 4.* nec etiam missus ex causa legati præfertur creditoribus, *d. l. 5. §. 4.*

Si semel sit satisdatum, debetne postea cogi hæres ad novam satisdationem, si dicat actor egenos fidejussores esse datos?

Non debet sæpius onerari, à quo satis petitur, nisi magna sit causa, *l. 3. §. fin. l. 4. ff. hic.*

SEXTA PANDECTARUM PARS.

LIBER XXXVII.

Tit. 1. De Bonorum Possessionibus.

Quid est bonorum possessio?

DEfinitur, *l. 3. §. 2. D. h.* Jus persequendi retinendique patrimonii. quod cujusque cum moritur fuit. simpliciter describi potest, hæreditas ex prætoris edicto delata.

Quomodo distinguitur?

Est alia edictalis, quæ ex edicto prætoris directo descendit; alia decretalis, quæ desiderat speciale decretum. Rursus, est alia ordinaria, quæ ordinario peti potest; alia extraordinaria.

Estne

Estne magnus usus hujus rei?

Cum hodie plenissime per constitutiones varias Imperatorum, & in successionibus ex testamento, & ab intestato provisum sit, parvus, imo fere nullus usus est: nisi quis voluerit ob causam sibi convenientem isthoc jure specialiter uti.

Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus. Tit. 9. Lib. 6. Cod.

Qui admitti possunt ad petitionem?

Omnes, qui ad hæreditatem adspirare possunt, *l.* 12. *s.* 1. *ff. de bonor. possess.* Pro pupillo autem tutor, pro furioso aut minore curator, pro infante pater, *l.* 7. *C. h.* & quidem quæ agnita est nomine infantis, transmittitur ad ejus hæredem, etiamsi in infantia obierit, *l.* 3. *C. h.*

Quid juris in filiofamilias?

Is acquirit etiam inscio patre, patri autem non proderit ea, antequam ipse id quod actum est ratum habuerit, *l.* 1. *C. h.*

Atqui in petitione hæreditatis jussus patris debet præcedere, l. 6. *l.* 25. *s.* 4. *D. de acquir. hæred.*

Distinguendum est inter bonorum possessionem, & hæreditatem; quia hæreditatis aditio fieri potest perpetuo; bonorum possessio, sive ejus agnitio est minori tempore circumscripta.

Quibus & intra quod tempus datur possessio?

Tantum petentibus coram quocunque judice, *l. ult. C. h.* Liberis autem & parentibus datur annus utilis, reliquis centum utiles dies, *l.* 2. 3, 4. *C. hic.*

Tit. 2. Si tabulæ testamenti extabunt.

Ordinaria bonorum possessio quomodo distinguitur?

Pertinet vel ad causam testati, vel intestati. Quæ ad causam testati, est vel contra tabulas, vel secundum.

Quid in hac re primo spectandum?

An tabulæ testamenti sint, vel mortis tempore fuerint, *l. unic. in fin. ff. h.*

Tit. 3.

Tit. 3. De bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, cæco, competenti.

Quid, si bonorum possessio furiosis, infantibus, mutis, surdis, cæcis competat?

His non currit tempus in præjudiciũ, nec imputatur, quod per tutores vel curatores possint petere. *l. 1. ff. h.*

Tit. 4. De bonorum possessione contra tabulas. Tit. 12. & 13. Lib. 6. Cod.

Quæ est bonorum possessio contra tabulas?

Quæ datur directo liberis emancipatis, non iis, qui juste sunt exhæredati, sed præteritis, adversus testamentum patris rite factum: sive sint primi sive ulterioris gradus, *l. 1. §. 1. & seqq. ff. h.*

Tit. 5. De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.

Si bonorum possessio contra tabulas sit data, quid statuendum de legatis?

Si quæ liberis, parentibus, uxori, nuruique, dotis nomine sint relicta, manent ea salva, *l. 1. pr. §. 1. D. h.*

Tit. De collatione bonorum. Tit. 20. Lib. 6. Cod.

Si possessio bonorum contra tabulas sit petita à filio emancipato, an non debet filius emancipatus etiam sua conferre?

Nihil [a] æquius est: quia sua in medium conferre debet qui appetit jura aliena, *l. 1. pr. D. h.*

[a] Hodie collatio bonorum fit, licet nulla bonorum possessio sit petita.]

Quid est collatio?

Est illatio rei propriæ in communem hæreditatem parentum, ut ea inter conferentem & reliquos hæredes, uti omnia bona hæreditaria, dividatur.

Qui conferunt hodie?

Non ascendentes, non collaterales: sed tantum descendentes, sive emancipati, sive sui, *l. fin. C. h.* Nec fi-

lii tantum, sed [a] nepotes, sive inter sese soli, sive mixtim concurant, *l.* 17. 19. *C. h.*

[a] Si nepotibus quid sit datum ab avo paterno post obitum patris, vel materno post obitum matris, id conferendum est: Si a. ante eorum mortem quid sit datum, magis absolute donatum esse videtur, *arg. l.* 29. *ff. de donat.* quam eo animo ut conferreretur. Obitur & hic notandum, quod & nepotes conferre debeant ea quæ parentes ipsorum acceperunt ab avo vel avia, licet parentum suorum non sint heredes; successionem n. avitam nanciscuntur ex repræsentatione parentum; huc facit text. in *l.* 17. *C. h. junct. l.* 149. 177. *D. d. reg. jur.*]

An tantum ab intestato habet locum?

Nequaquam, verum etiam ex testamento, nisi expresse testator collationem remiserit, *l.* 1. *& auth. seq. C. h.* vel ita generalia sint verba, ut liquido constet eum remisisse, *arg. l.* 39. *§.* 1. *ff. famil. ercisc.* Vel nisi extraneus sit institutus, isve, qui ab intestato non esset hæres, *arg. l.* 1. *§.* 5. *D. h.*

Quid in dubio dicendum?

Testatorem non prohibuisse, *arg. l.* 1. *& auth. seq.*

Quid, si plures filii cum extraneo sint instituti?

Filii sibi invicem conferent: non autem extraneus iis, nec illi extraneo, *arg. l.* 21. *§.* 1. *C. de testam.*

Quid, si diverso jure veniant hæredes, unus ex institutione, alter ex querela inofficiosi?

Æque fiet inter liberos collatio, *l.* 6. *D. de collat. dot.*

Tit. 2. De collatione dotis.

Quæ debent conferri?

Dotes, [a] donationes propter nuptias, *l.* 1. *D. h.* imo omnia, quæ à parentibus sunt profecta, *l.* 17. *C. de collat.*

[a] Etiam mariti culpa deperditæ, *Christin. vol.* 1. *decis.* 178. *n.* 14. *& vol.* 5. *dec.* 198. *n.* 11. ita quoque in Gallia judicatum refert *Louet lit. R. art.* 54. 55.]

Quid statuendum de donatione simplici?

Eam non conferri, si mera fuerit donatio, cum collig

ligi potest, quod parentes voluerint habere liberos id præcipuum, quod donarunt, *l.* 23. *C. h.*

Quid dicendum de impensis studiorum, de sumptibus in elocationem filiæ factis, de iis, quæ ad honorem filiorum faciunt?

Non esse conferenda, *l.* 50. *ff. famil. erciſc. l.* 1. *ſ.* 16. *ff. de collat.* Sive bona liberorum parentes administraverint sive non, *arg. l.* 3. *C. de dot. promiſſ.* Eodem modo nec castrensia bona, vel quasi, *l. fin. C. l.* 1. *ſ.* 16. *de collat.* Quod & recipiendum est in armis militum, *l.* 5. *C. famil. erciſc.* in libris studiosorum ex voluntate parentis emptis.

Quomodo fit collatio?

Petitur ea non tam jure directo actionis, quam officio judicis, *l.* 8. *C. de collat.* & fit vel re, *l.* 1. *ſ penult. ff. de collat. dot l.* 1. *ſ.* 11. 12. *ff. de coll.* vel cautione, *d. l.* 1. *ſ.* 12. *& ſeqq.* Caveri autem solet ita, ut conferens pro portione hæreditatis sibi delata, personam quoque suam numeret, *d. l.* 1. *ſ. fin.*

Poteſtne offerendo æſtimationem liberari, qui rem conferre debet?

Nequaquam: modo res præstari queat, *arg. d. l.* 1. *pr. l.* 11. *C. eod.*

An etiam legata & fideicommiſſa conferenda ſunt?

Minime, *l.* 10. *l.* 16. *C. de collat. l.* 4 *ff. de dot. collat.*

Quid ſi, qui conferre tenebatur, renunciaverit hæreditati?

Non potest compelli ad collationem eorum, quæ ante accepit, *d. l.* 1. *ſ.* 7. *l.* 4. 6. 7. 8. *ff. h.*

Tit. 8. De conjungendis cum emancipato liberis ejus.

Quid, ſi pater filium emanciparit, & liberos ejus in poteſtate retinuerit?

Hi conjungentur cum patre, & unam personam simul repræsentabunt, *l.* 1. *pr. & ſ.* 1. *ff. h.*

Tit. 9.

Tit. 9. De ventre in possessionem mittendo & curatore ejus.

Tit. 10. De Carboniano edicto. Tit. 17. Lib. 6. Cod.

Daturne tantum natis bonorum possessio?

Etiam nascituris contra tabulas datur, & pro posthumo in possessionem mittitur venter, *l. 1. ff. h. de ventr. &c.*

Quid, si impuberi fiat controversia status?

Causa cognita perinde datur per edictum Carbonianum possessio, ac si nulla esset controversia, & judicium in tempus pubertatis differtur, *l. 1. ff. h.*

Tit. 11. De bonorum (a) possessione secundum tabulas. Tit. 11. Lib. 6. Cod.

Quæ est bonorum possessio secundum tabulas?

Quæ conceditur hæredibus scriptis, ut secundum tenorem testamenti bonorum possessionem nanciscantur, *pr. §. 3. 4. Inst. de bonor. possess. l. 2. ff. h.*

[a] Cum jus civile & prætorium in unam consonantiam redactum sit, nullus hujus tituli amplius est usus.

De bonorum possessione contra tabulas, quam prætor liberis pollicetur. Tit. 12. Lib. 6. Cod. &

De bonorum possessione contra tabulas liberti, quæ patronis liberisque eorum datur. Tit. 13 Cod.

Tit. 12. Si quis à parente sit manumissus.

Tit. 13. De bonorum possessione ex testamento militis.

Habentne patres & patroni adversus liberorum vel libertorum tabulas bonorum possessionem?

Non est dubium, sed adversus militis testamentum non datur contra tabulas, *l. unic. ff. de bon. poss. ex testam. mil.*

Tit. 24.

Tit. 14. De Jure Patronatus.

Quod est jus patronatus?

Jus quod patronus habet in liberos circa personam vel bona liberorum.

Tit. 15. De obsequiis parentibus & patronis præstandis.

An non & obsequia, & officia personalia liberi parentibus debent?

Debet filio semper esse honesta & sancta persona patris, *l. 9. ff. h.* etiam militi, *l. 1. pr. & ss. seqq. ff. h.* Nullam famosam actionem instituere possunt liberi adversus parentes, *l. 2. l. 5. s. 1. ff. h.* Pater damnatur, in quantum facere potest, non ulterius, *l. 7. s. 1.* nec pati debet exceptionem, quæ fugillat aliquo modo ejus famam, *d l. 7. s. 2.* nec deferens juramentum tenetur jurare de calumnia, *d. l. 7. s. 3.*

PANDECTARUM

Liber XXXVIII.

Tit. 1. De operis libertorum. Tit. 3. Lib. 6. Cod.

Tit. 2. De bonis libertorum. Tit. 4. Lib. 6. Cod.

Tit. 3. De libertis municipum & aliarum universitatum.

Tit. 4. De assignandis libertis.

Tit. 5. Si quid in fraudem patroni factum sit. Tit. 5. Lib. 6. Cod.

Tit. 6. Si tabulæ testamenti nullæ extabunt, unde liberi. Tit. 14. Lib. 6. Cod.

Tit. 7. Unde legitimi. Tit. 15. Lib. 6. Cod.

Tit. 8. Unde [a] cognati. Tit. 15. Lib 6. Cod.

Suntne & bonorum possessiones ab intestato?

Eæ sunt variæ, inter consanguineos, alioque. Inter consanguineos sunt, *unde liberi*, per quam liberi,

beri, *unde legitimi*, per quam agnati, *unde cognati*, per quam cognati ab intestato petunt bonorum possessionem.

[4] Cum hodierna successio ab intestato multum diversa sit ab ea quæ est juris civilis, hi tituli nullum ferè habent usum.]

Quando non petentium partes petentibus accrescant. Tit. 10. Lib. 6. Cod.

Quid, si aliqui ex iis, quibus bonorum possessio delata est, non intra tempora eam postulent vel hæreditatem repudient?

Portio ejus accrescit cæteris, qui possessionem mature agnoverunt, *l. unic. C. h.*

Tit. 9. De successorio edicto. Tit. 16. Lib. 6. Cod.

Quid, si hæredes sint diversorum graduum vel ordinum?

Siquidem qui priori loco vocantur omnes ejusdem ordinis non petant, admittuntur sequentes, *l. 1. in pr. §. 8. & 11. ff. de succes. edict.* Ita fit transitus ab ordine ad ordinem, vel de gradu in gradum, à liberis ad agnatos, ab agnatis ad cognatos, à filiis ad nepotes &c. *d. l. 1. pr. & §§. seqq.*

Quid, si propter impedimentum prior non potuerit petere?

Subveniendum ei est, *arg. l. 1. ff. si furios. vel infant.* Et interim etiam sequens admitti potest, ita tamen, ut nullum fiat præjudicium priori, *l. 1. C. h.*

Tit. 10. De gradibus, & affinibus, & nominibus eorum.

Quid est proprie gradus?

Est quota cognationis ex generatione.

Quid est cognatio?

Proximitas personarum ex jure sanguinis.

Quomodo gradus computantur jure civili?

In linea [4] recta, quæ continet ascendentes, & descendentes, perpetua est regula; Quot sunt generationes

tiones tot sunt gradus. Ita pater primo, avus secundo, proavus tertio à me gradu distat. In linea vero transversali primo ascendendum ad communem stipitem, ab eo descendendum ad alteram personam, & quot interim inveniuntur generationes, tot sunt gradus.
[a] Quoad computationem graduum sequimur in Hollandia Jus civile.

Quis est communis stipes?

Est ascendens, ex quo ambo, de quorum cognatione quæritur, proxime descendunt; sic duorum fratrum est pater, duorum patruelium est avus, & deinceps.

Quot gradibus distat à me frater?

Duobus: est enim inter me & patrem prima, inter patrem & fratrem altera generatio, & sic inter nos duo gradus.

Quot à me patrui mei trinepos gradibus distat?

Novem: est enim communis stipes meus avus, qui à me distat duobus gradibus. Inter ipsum & trinepotem patrui, hoc est, avi trinepotis filium sunt septem generationes, ergo simul novem gradus.

Quæ sunt nomina parentum & liberorum?

Parentum: Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus. Liberorum: Filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos. Plura non habentur nomina, licet gradus in infinitum extendantur, facta repetitione ac iteratione priorum nominum.

Quæ sunt nomina collateralium?

Ea varia sunt descripta *l.* 10. *s.* 13, *& seqq. D. h.* Et gradus quoque in infinitum, licet nomina desint, numerari possunt

Quot personæ singulis gradibus continentur?

Primo 4. Secundo 12. Tertio 32. Quarto 80. Quinto 184. Sexto 448. Septimo 1004. *d. l.* 10. *s.* 12. *& seqq.*

Quomodo fit computatio jure Canonico?

In linea recta eodem modo, quo jure civili: In transversali distinguendum inter æqualem & inæqualem lineam. Æqualis est, quâ ambo, de quibus quæritur, æqualiter distant à communi stipite: in hac sunt fratres,

tres, patrueles &c. Inæqualis est, quâ inæqualiter à communi stipite distant : in hac est patruus cum fratris filio, patruus magnus cum fratris nepote. Hic duæ sunt regulæ. Prima, in linea æquali : quot gradibus à communi stipite distant, totidem inter sese ; sic fratres uno, patrueles duobus distant gradibus. Altera, in linea inæquali : quot gradibus remotior à communi stipite distat, tot inter sese. Sic ego à patruo duobus distinguor gradibus, quia ego ab avo remotior sum ac disto duobus gradibus.

Quid est affinitas ?

Est proximitas personarum inter alterutrum ex conjugibus, & alterius conjugis cognatos : conjuges vero inter sese affines non sunt.

Suntne inter affines gradus ?

Non sunt distincti, sed conveniunt cum iis, qui sunt inter cognatos.

Tit. 11. Vnde [a] vir & uxor. Tit. 18. Lib. 6. Cod.

Annon extra consanguineos defertur possessio ?

Defertur conjugibus, diciturque unde vir & uxor: habetque tunc demum locum, cum cognati nulli sunt.

[a] Hic tit. ut & universum jus civile succedendi ab intestato, hodie cessat, *pol. Ord. art.* 19.]

Tit. 12. De veteranorum & militum successione.

Bona militis possuntne etiam obtineri per possessionem ?

Bona militis intestati castrensia fisco non vindicantur, cum hæres legitimus ad finem quinti gradus extat, aut proximus cognatus ejusdem gradus intra tempus possessionem accepit.

Tit. 13. Quibus non competit bonorum possessio. Tit. 9. Lib. 6. Cod.

Quibus non competit bonorum possessio ?

Illis, qui ad hæreditates jure civili nequeunt admitti, *l.* 12. *s.* 1. *D. de bonor. possess.* In specie non datur illis, qui

qui se indignos reddiderunt, uti. si fraudem, ne testamentum mutaretur, fecerint, *l. unic. ff. h.*

Tit. 14. Ut ex legibus senatusveconsultis bonorum possessio detur.

Quid, si non ex edicto prætoris, sed ex alia parte juris, sc. lege vel S. Consulto possessio detur?

Æque prætor bonorum possessionem dabit, tanquam ex suo edicto descenderit, *l. unic. ff. h.*

Tit. 15. Quis ordo in bonorum possessione servatur.

Quis ordo in possessionibus servatur?

Habetur prima ratio testamenti, & si non sit testamentum, vel ex eo non petatur, valebit causa intestati, in qua primo loco vocantur sui hæredes, secundo agnati, tertio cognati, *l. 1. pr. & §. 1.*

Qui dies utiles hic habentur?

Illi omnes, quibus quis scivit sibi delatam esse possessionem & potuit admitti, *l. 2. ff. h.* Dies vero sessionum hic non computantur, nisi sit talis bonorum possessio, quæ de plano peti nequeat, *d. l. 3. §. 1.*

De hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur. Tit. 1. Lib. 3. Inst.

Tit. 16. De suis & legitimis hæredibus. Tit. 55. Lib. 6. Cod.

De Legitimis hæredibus. Tit. 58. Lib. 6. C.

Tit. 17. Ad S. Consultum Tertullianum & Orphitianum. Tit. 56. 57. Lib. 6. Cod.

Communia de successionibus. Tit. 59. Lib. 6. C.

Quid observatur hodie in successionibus ab intestato?

In hac quatuor sunt classes: consanguineorum, conjugum, collegiorum, & fisci. Consanguineorum rursus tres sunt ordines; descendentium, ascendentium, collateralium.

Quo-

Quomodo succedunt descendentes?

1. Liberi, legitimi & naturales simul sublato omni sexus, potestatis, vel ætatis discrimine, *Nov.* 118. *cap.* 1. succedunt, si omnes primi sint gradus, in capita, id est, æqualiter & patri & matri. Sin autem sint ulteriores gradus, sive soli inter sese, sive cum iis, qui prioris sunt gradus, concurrant, in stirpes, & qui remotiori sunt gradu, repræsentant parentes primi gradus, *d. Nov. c.* 1. *junct. §.* 6. *Inst. h.* 2. Legitimati per subsequens matrimonium, etiam in articulo mortis contractum cum reliquis legitimis & naturalibus simul per omnia succedunt, *c. tanta. extr. qui fil. legit. sint.* quamvis etiam medium matrimonium intervenerit, *arg. l.* 20. *D. solut. matrim. l.* 36. *l.* 41. *D. de jur. dot.* Per rescriptum vero principis legitimi facti non aliter, quam si nulla soboles legitima sit, *Nov.* 89. *c.* 9. quamvis etiam posteà sint aliqui legitimi nati, *d. cap.* 9. Adoptatis una cum legitimis & naturalibus simul defertur hæreditas, sive arrogati, sivi quolibet modo adoprati fuerint.

Quid juris est in liberis illegitimis?

1. Naturales tantum matri reliquisque ascendentibus una cum justis liberis succedunt, *l.* 2. *&* 8. *D. unde cognat.* patri vero non aliter, quam si non extent liberi & legitima uxor, ac tantum in duas uncias, quas cum matre dividunt, *d. Nov.* 89. *c.* 12. *§.* 4. 2. Spurii maternam hæreditatem nanciscuntur, nisi sit illustris fœmina, quæ liberos alios legitimos habet, *l.* 5. *C. ad S Consult. Orphit.* 3. Qui ex damnato coitu nati sunt, nec matris nec patris bona sortiuntur, licet non extent liberi legitimi. quin imo & jure civili non sunt alendi à parentibus in familia, *Nov.* 74. *d. Nov.* 89. *c. fin.* quod jure Canonico immutatum est, *cap. cum haberent. extr. qui duxit uxor. quam poll.*

Annon & naturales tantum sunt alendi, si liberi sint legitimi & naturales simul?

Affirmandum est, ita ut pater subministret sumptus, mater alat, donec victum sibi quærere possint, *d. Nov.* 89. *c.* 12. *§. fin.*

Quid juris in ordine ascendentium?

Si soli sint, gradu proximi excludunt remotiores, &, si plures sint ejusdē gradus tam in paterna quam materna linea, fiunt duæ medietates, quarum una ascendentibus per paternam, altera per maternam tribuitur, *Nov.* 118. *c.* 2. In hoc ordine non attenditur repræsentatio, nec sexus, nec potestas; quinimo & pater non retinet usumfructum in universa liberorum quibus succedit hæreditate, sed portionem habet eo modo suam quo reliqui.

Annon & inter parentes distinguendum est?

Eodem modo, quo in liberis traditum, præterquam iis casibus, quibus lex speciatim contrarium constituit, uti e. g. si sit arrogatus impubes, isque infra pubertatis annos decedat, *§* 3. *Inst. de adopt.* Mater itaque & ascendentes matrem liberis naturalibus, non pater: ex damnato coitu natis nec pater, nec mater, nec alii amici succedunt.

Annon & cum ascendentibus admittuntur fratres & sorores?

Tantum germani cum parentibus primi gradus excludentes remotiori gradu positos parentes, *d. Nov.* 118. *c.* 3. & geremanorum liberi primi gradus. *Nov.* 127. *c.* 1. ita tamen, ut cum ascendentibus fratres & sorores in capita, filii fratrum in stirpes admittantur, *Nov.* 127. *c.* 1.

Quid juris est in collateralibus?

Inter illos, si non sint ascendentes vel descendentes, primus locus datur fratribus & sororibus germanis, & eorum liberis primi gradus, ut hi in parentum suorum locum succedant, *d.* 118. *c.* 3. exclusis nepotibus.

Quibus secundus est locus?

Fratribus & sororibus uterinis & consanguineis; ita, ut uternis materna, consanguneis paterna, reliqua bona æqualiter omnibus cedant, *Nov.* 84. *cap.* 1. *add. l.* 13. *C. de leg. hered.*

An & filii germanorum fratrum defuncti excludunt ejusdem fratris uterinos & consanguineos?

Non est dubium, *d. Nov.* 118. *cap.* 3. Et, si illi soli con-

corrunt, dividenda est hæreditas in capita, quod moribus est receptum.

Quid, si nec fratres nec fratrum filii sint?

Admittuntur reliqui consanguinei, non observato discrimine, unde bona processerint, vel an simplex an duplex sit vinculum, sed tantum attenditur prærogativa gradus, *d. cap. 3. in fin.*

De bonis maternis & materni generis. Tit. 60. Lib. 6. Cod.

Quæ sunt bona materna, & quid juris in iis patri vel filio?

Sunt quæ à matre vel ab ascendentibus per matrem profecta sunt ad filium. In hisce filio proprietas, patri ususfructus [a] & plena administratio est, *l. 1. 2. C. h.* Non autem amittit usumfructum pater, quamvis filio manente in potestate, transierit ad secunda vota *l. ult. C. h.*

[a] Hodie non est, *Grot. lib. 1, p. 5. n. 6.*]

Quomodo administrabit pater bona materna filii?

Vt virum bonum decet. Nihil potest alienare; &, si alienaverit, potest filius ea vendicare, *d. l. 1. C. h.* nisi sit causa urgens & necessaria, & res sint damnosæ, vel tractu temporis deteriores futuræ; *l. fin §. 4. C. de bon. quæ liber.*

De bonis quæ liberis in potestate constitutis ex Matrimonio vel aliàs acquiruntur: & eorum administratione. Tit. 61. Cod. eod. (a)

Quid juris in bonis adventitiis, quæ liberi per suos labores, vel per aliorum liberalitates meruerunt?

In hisce proprietas ad liberos, ususfructus ad patrem pertinet, *l. 6. pr. h.* nisi res sint donatæ à Principe, *l. 7. C. h.* vel in specie patri sit ademptus ususfructus, *Nov. 117. cap. 1.* vel pater eum remiserit, *l. 6. §. fin. autem. C. h.*

(a) Totus hic titulus, quatenus patribus aliquod jus tribuit in bonis liberorum, recessit ab usu, *Grot. d. l. 1.*

p. 9. n. 10. Gudelin. de J. N. lib. 1. c. 13. Christin. vol. 1. dec. 96. n. 21.

Quid juris circa administrationem rerum liberorum?

Illa est penes patrem hoc singulari privilegio, ne is oneretur rationum redditione vel cautione ulla, *d. l. 6. §. 2. C. h. l. ult. C. h.* nisi ad secundas processerit nuptias: hoc enim casu bona patris erunt tacite pignori ob bona materna, *l. 8. §. ult. C. de secund. nupt.*

De Successione conjugum.

Si nulli sint cognati, ad quos defertur hæreditas?

Ad conjuges, *l. 1. C. unde vir & uxor.* inter quos est justum matrimonium. Quod etiam in sponsis de præsenti, *l. 17. ff. rer. amot. l 15. ff. de cond. & demonstr.* non iis, inter quos tantum est concubinatus, admittendum est, *l. 17. ff. rer. amotar. l. 32. ff. de donat. int. vir. & uxor.*

Estne alius casus, quo speciali jure conjuges ad hæreditatem admittuntur?

Si matrimonium sit absque dote, conjunx autem præmoriens sit locuples, superstes inopia laborans succedit una cum liberis communibus alteriusve matrimonii in quartam, si tres sint vel pauciores, in virilem portionem, si plures sint, ut tamen liberis proprietas servetur, & his vero non exstantibus potiatur etiam dominio, *auth. præterea. C. unde vir & ux. Nov. 11. c. 5. junct. Nov. 53. c. 6.*

An & marito privilegium competit?

Benignius id videtur, *arg. Nov. 53. c. fin.* etsi ex jure non directo & liquido probari queat.

Quid, si maritus legatum reliquerit uxori inopi?

Si plus sit in legato, quam in portione ex lege, uxor à portione excludetur; si minus, legatum imputabit in illam portionem, & supplementum petet, *d. auth. & d. Nov. 117. cap. 5.*

Quid, si dos sit mulieri adeo parva, ut ex illa ali nequeat?

Etiam locus erit, sic tamen, ut quidquid in dote est in quartam imputetur, *arg. d. auth. præterea.*

Quid,

Quid, si mulier antequam portionem suam acceperit, transiverit ad secunda vota, & maritus secundus quoque sit mortuus, ab utrius hæredibus petet portionem?

Magis est, ut à secundi mariti hæredibus postulet, quia ratione ejus proxime est vidua.

De hæreditatibus Decurionum, Naviculariorum, Cohortalium Militum, & Fabricensium. Tit. 62. Lib. 6. Cod.

Quomodo succedunt collegia sive corpora?

Si nec consanguinei nec conjuges sint, & navicularius, miles cohortalis, vel Fabricensis decesserit, pertinet hæreditas ad corpus Naviculariorum, vexillationem, ordinem sive curiam aut collegium Fabricensium, *l.* 1. *& seqq. C. h.* Sic tamen, ut si quid à Principe donatum, privilegio speciali illi quibus simul donatum est, præferantur omnibus collegiis, *l. unic. C. si liberal. imper. soc. decess. sin. hær.*

De Successione Fisci.

Quid, si & nulli tales?

Devolvetur hæreditas ad Fiscum, *l.* 1. 4. *Cod. de bon. vocant.* modo recte agnoscat, *l.* 4. *§. eadem. ff. de fideicomm. libertat.*

PANDECTARUM

LIBER XXXIX.

Tit. 1. De operis novi nunciatione. Tit. 11. Lib. 8. Cod.

Quid est operis novi nunciatio?

Est legitima prohibitio facta ædificanti, ut ab opere cœpto nocituro desistat, donec de jure constet, *l.* 1. *ff. h.*

Qui possunt nunciare?

In causa publica omnes, modo sint cives ejus loci,

l. 1. §. ult. D. h. in privata illi, qui dominium directum vel utile, aut servitutem realem habent, *l. unic. §. 3. D. de remiss. l. 16. de servitut. l. 3. §. pen. l. 5. §. 9. l. 15. D. h.* Quibus autem personalis est per indirectum & magis procuratorio, quam proprio nomine nunciant, *l. 1. §. fin. D. h. junct. l. 5. D. si ususfruct. petat.*

Cui debet fieri nunciatio?

Exstruenti novum opus, sive sit proximus vicinus sive superior, *l. 8. pr. D. h.* etiam pupillis & furiosis, *l. 10. D. h.* quia in rem fit, *d. l. 10. junct. l. 5. §. 2. 3. & 4. D. h.* Debet itaque fabris id intelligentibus fieri nunciatio, *d. l. 5. §. 3. l. 11. D. h.*

Propter quæ opera fit nunciatio?

Tantum ob cœpta, *l. §. 1. D. h.* nondum absoluta, vel etiam ob ea, quæ certo sunt destinata, *l. 20. §. 2. ff. h.*

Quis facit opus novum?

Qui operis faciem mutat ædificando, vel etiam reficiendo, *d. l. 1. §. 1. l. 21. §. 3. D. h.*

Quomodo fit nunciatio?

Vel nudis verbis, cum in suo quis ædificat contra jus servitutis, *l. 1. §. 2.* vel per Prætorem, vel per lapilli ictum. Ictus autem lapilli symbolum erat prohibitionis, si quis in alieno ædificet, vel in alienum emittere vel projicere velit, *d. l. 5. §. 10.*

Quid exigitur ab illo qui nunciat, & quid ipse faciet?

Exigi ab eo potest juramentum calumniæ, *d. l. 5. §. 14.* & ipse in testationem referre debet quid operis sit cœptum, ut appareat, an postea sit actum, *l. 8. §. 1. D. h.*

Quis est effectus nunciationis?

Ut adversarius ante missam nunciationem, vel interpositam satisdationem, non solum prohibeatur ædificare, sed, si spreta nunciatione perrexerit, demoliri cogatur opus postea factum, *l. 20. §. 1. 3. & 4. D. h.*

Quid, si opera ædificanda non patiantur moram vel publicæ salutis aut securitatis ea fieri interfit?

Non attenditur nunciatio, *d. l. 5. §. 11. & seqq.* uti etiam si notorium sit, nuncianti non esse jus nunciandi.

ciandi, *arg. d. l. 5. §. 12.* Alias si causa sit dubia, non attenditur, utrum jure vel injuria facta fuerit nunciatio, *l. 1. D. h.*

Quomodo tollitur nunciatio?

1. Satisdatione [a] ejus, cui nunciatum est, *d. l. 5. §. 17. l. 20. §. 2.* Si prætor in contrarium prohibeat, *l. 16. D. h. l. 14. D. de re judic.* vel causa cognita faciat remissionem, *d. l. 1. §. 9. d. l. 8. §. 4. D. h. d. l. unic D. de remission.* 3. Si nuncians rem alienet, *d. l. 8. §. 6 4.* Per mortem nunciantis, *d. l. 8. §. 6.* re integra, nisi nunciatio sit facta à nunciante etiam pro hæredibus, *arg. l. 27. §. 1. D. de recept. arbitr.*

[a] Nostris & Gallorum moribus hoc non obtinet, *Autumn. confer. du droict in l. 20. §. 10. h. tit.*

At videtur dispositum in d. l. 20 §. 6. D, h. nunciationem esse perpetuam & hæredi competere?

Distingui debet inter nunciationem & interdictum de opere demoliendo. Interdictum quidem datur hæredi, non cum post mortem nunciantis, sed vivo eo post nunciationem est opus novum factum, quia jus quæsitum est: nunciatio autem morte finitur.

Quid, si prohibitus moriatur vel alienaverit rem?

Tenet nunciatio, *l. 8. §. 7. ff. h.*

De Ædificiis privatis. Tit. 10. Lib 8. Cod.

Suntne nonnulla singularia in ædificiis privatis?

Multa sunt hoc titulo proposita de intervalli quantitate, quæ relinqui debeat inter ædificium novum, & vicini vel publica ædificia, *l. 9. 11. C. h.* similiter de altitudine. In quibus omnibus statuta locorum sequi oportet. Non licet & jure civili destruere ædificia *l. 2. C. h.* nec columnas vel marmora vendere aut legare, *l. 41. §. 1. & seqq. ff. de legat.*

Cujus dicitur esse murus, qui ædes vel hortos distinguit?

Præsumitur esse ejus, versus quem suggrundæ vel astructa fulcra vel instructa fulcra vel instructa cava spectant. Cæterum, si indicia nulla extent, intelligitur esse communis.

Tit. 2. De damno infecto, & de suggrundiis, & protectionibus.

Ad quid agitur de damno infecto?

Si damnum nondum sit datum, sed futurum metuatur, *l.* 2. *D. h.* ex ruinosis vicini ædibus aut tecto, adeundus est Prætor, ut jubeat, si juratum sit de calumnia. *l.* 7. 13. *§.* 12. 13. *D. h.* dominum directum vel utilem, *l.* 15. *§.* 1. *&* 27. *ff. h.* vel eum, qui bona fide possidet, *d. l.* 13. *D. h.* aut servitutem habet, *d. l.* 19. *l.* 20. *D. h.* cavere idoneè suo nomine per stipulationem, *l.* 18. *D. h. junct. l.* 5. *§.* 4. *D. h.* alieno per satisdationem de damno, quod dari potest, resarciendo, *l.* 7. *D. h.*

Quid, si intra tempus constitutum à Prætore non caveatur?

Mittit Prætor eum, qui damnum timet, in possessionem rei servandæ causa ex primo decreto, *d. l.* 7. *D. h.* Et, si postea adversarius non caveat, in possessionem plenariam ex secundo decreto, *d. l.* 7. ita ut ipse dominus dejiciatur possessione, *l.* 15. *§.* 23. *D. h.* Et postea vix locus erit ulteriori cautionis oblationi, *d. l.* 15. *§.* 33. Adeoque & missus per longi temporis possessionem dominium capiet, nisi fuerit is, qui potest restitui.

Quid, si missus metu ruinæ discesserit de possessione adium?

Siquidem cum adjuvare rem non possit, id fecerit, integrum jus servabit: quod si maluerit relinquere, cum possit succurrere, amisit beneficium Prætoris, nisi protestatus sit se possessionem ex necessitate dimittere, vel apparuerit ædes non esse derelictas, *d. l.* 15. *§.* 35.

Quid, si non exacta cautione ædificia ruerint?

Non tenetur damnum resarcire, nec rudera tollere, si modo omnia, quæ jacent, derelinquere velit, *l.* 6. *ff. h.*

Tit. 3. De Aqua & aqua pluvia arcenda. Tit. 34. Lib. 3. Cod.

Quid est in edicto de aqua pluvia arcenda?

Datur ex hoc actio in factum domino prædii, cui dam-

damnum [a] metuitur, *l.* 1. *s.* 11. *l.* 6. *s.* 3. *ff. h.* adversus dominum loci, in quo opus aliquod manufactum est, quo aliter aqua fluit quam solebat, ad hoc, ut opus tollatur, & res in pristinam formam reponatur, Rei quidem impensis si opus ipse fecerit, Actoris, si culpa vacet reus, *arg. l.* 11. *s.* 2. *D. h.*

[a] Concordat *Radelant. Cur. Ultraject. decis.* 9.

Cessatne aliquando hæc actio?

Cessat si quid agri colendi causa sit factum, & magis sit frumenti quærendi causa, *d. s.* 3. *s.* 15. *ibid.* vel si vicinus opus tollat & sublato eo aqua naturaliter ad inferiorem agrum perveniens noceat, nisi propter opus sublatum vehementius aqua profluat vel corrigetur, *d. l.* 1. *s.* 22.

Tit. 4. De Publicanis, & vectigalibus, & commissis.

De vectigalibus & commissis.

Vectigalia nova *(a)* institui non posse.

Quid est in edicto de publicanis sive vectigalium conductoribus?

Datur adversus eos actio, ut, si vel ipsi vel familia illorum quid illicite extorserint, si id non restitutum erit, in duplum intra annum, in simplum post annum restituant, *l.* 1. 12. *D. h.*

[a] In Hollandia nova vectigalia atque tributa instituti non possunt, nisi unanimi DD. Ordinum consensu. Vide *Grot. Apolog. c.* 8.

Quid, si per vim sit extortum?

Datur actio in quadruplum, cui persecutio rei inest, *l.* 9. *s.* 6. *D. h.*

Quid est vectigal?

Quod solvitur ex rebus, quæ veneunt, *l.* 5. *& 6. C. de vectigal.*

Uter debet solvere vectigal, emptor vel venditor?

Magis est ut emptor, *arg. Dd. Ll.* Præcipue autem attendendum, quid conventione, eaque cessante, lege municipali sit constitutum.

Quid, si vectigal non solvatur?

Res in commissum cadit, nisi fiscus ad quinquennium siluerit, *l.* 2. *C. de vectigal.* vel ex necessitate quid sit factum, *l. fin. §.* 8. *D. de pub ican.* vel in sola professione quis erraverit aut quis minor annis sit, *d. l. fin. §.* 9. vel servi quid egerint ignorante domino, *d. l. fin. §.* 11. aut quis bona fide professus, non solverit, *d. l. fin. §.* 12.

Requiriturne sententia declaratoria, ut res in commissum incidat?

Non est dubitandum, cum hæc res in facto consistat.

Daturne actio de commisso adversus hæredes?

Non datur ad pœnam, nisi quæstio mota fuerit vivo defuncto, *l. fin. §. ult. ff. h. junct. l.* 4.

At videtur directo contrarium in l. 8. *D. eod.?*

Ratione commissæ rei transmittitur crimen ad hæredem, *d. l.* 8. non pœna, quæ est extra rem, *d. l. ult. & penult.*

Tit. 5. De Donationibus.

Quid est donatio?

Est doni datio, facta ex mera liberalitate, nullo jure cogente, *l.* 1. 29. *ff. h.* Quæ si fiat per conventionem, pactum legitimum recte dicitur; si per traditionem, modus acquirendi dominii.

Qui possint donare?

Qui liberam rerum suarum habent administrationem, & speciali lege non prohibentur.

Quid statuendum de filio-familias?

Nequit [a] donare, licet liberam peculii habeat administrationem, *d. l.* 7. *ff. h.* nisi id ei concessum sit, vel justa sit ratio donandi, vel in dignitate sit positus, vel peculium castrense vel quasi, ex quo donat, habuerit, *d. l.* 7. *§.* 1. *& seqq.*

[a] Hodie non prohibentur filiifamilias etiam invito patre tam inter vivos, quam mortis causa donare, adeo ut *l.* 7. *h. alleg.* moribus aliena sit, *Clarus §. donatio Q.* 6. *n.* 1.]

Quid, si Pater filio donaverit:

Donatio [a] non valet, *l.* 11. *l.* 17. *C. h.* nisi morte, *l.* 25.

l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor. vel juramento firmetur, *cap. cum contingat. extr. de jurejur.* vel sit donatio remuneraturia, *arg. l. 27. ff. h.*

[a] Donationes inter patrem & filium in sacris constitutum subsistere Jure Saxonico statutum est, *Wes. par. D. de donat. 4.* Idem in Gallia judicatum refert *Autumn. in l. 35. C. de donat. int. vir. & uxor.*]

Quæ res possint donari?

Tam corporales quam incorporales, *l. 9. 17. 27. ff. h.* etiam bona omnia, tam futura, quam præsentia, *l. 35. §. 4. & 5. C. h. l. 8. C. de revoc. donat. l. 5. C. de inoffic. donat.* licet sibi nihil reservaverit, de quo possit testari.

Quid, si quis omnia bona donaverit, an & nomina comprehendentur?

Etsi quidem non mobilium vel immobilium, tamen bonorum omnium nomine veniunt, *l. 49. ff. de V. Signif. l. 52. ff. de acquir. rer. dom. l. 4. & fin. C. quæ res pign. eſs. poſſ.*

An & donatione omnium bonorum futura veniunt?

Videtur id affirmari per *d. l. fin* sed negandum est, cum donatio sit stricti juris, nec extendatur, & *d. l. fin.* loquatur de pignore, quod facilius admittitur quam donatio.

Quomodo fit donatio?

Nudo etiam pacto, *§. 2. Inst. h.* modo ea, quæ inter vivos fit, non excedat 500 solidos, sive mille fere imperiales. Ea enim, quæ quingentos solidos excedit, est actis insinuanda, *l. 32. 35. C. h.* Nisi ad piissimas causas, vel à Principe aut Principi fuerit facta, *l. 36. §. 2. junct. l. 34. pr. vers. exceptis & auth. item. C. h.*

Quid, si juramentum sit appositum?

Quoad donantem & hæredes ejus sustinebitur quidem, ita ut insinuatione non egeat, *arg. Nov. 48. cap. 1,* sed non quoad creditores donatoris.

Quousque invalida erit donatio, si insinuatio non fuerit facta?

Non in totum, sed quatenus excedit 500 solidos, *§. 2. Inst. l. 34. C. h.*

De Donationibus, quæ sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiuntur.

Tit. 55. Lib. 8. Cod.

Admittitne donatio modum, diem, vel conditionem?

Admittit, *l.* 1. *s.* 1. *h. t.* & si sub modo sit facta, potest donans, si non impleatur modus, rem vindicare a donatario vel alio quovis possessore, *l.* 1. *C. h.* uti & recte revocatur donatio, si conditio adjecta non fuerit impleta, *l. fin. C. de revoc. donat.*

Quid, si res donata sit primo, ut post aliquod tempus restituat secundo?

Licet quidem alteri nemo possit stipulari, tamen donator, qui suæ rei, dum eam transfert ad alium, legem hanc dicit, acquiret utilem eo casu actionem, *l.* 3. *C. h.*

Tit. 6. De mortis causa donationibus.

Tit. 58. Lib. 8. Cod.

Quomodo donatio distinguitur?

Est alia quæ fit inter vivos, alia mortis causa. Quæ fit inter vivos, desiderat insinuationem, de quo ante, non quæ fit mortis causa, *l. fin. C. h.* cum hæc legatis magis assimiletur qua effectus ejus spectatur.

Coram quot testibus fit donatio inter vivos vel mortis causa?

Mortis causa requirit [a] quinque, *l. fin. C. h.* sive 500 solidos excedat, sive non: inter vivos vero nullum testem, modo probari possit.

[a] Hodie coram notario & duobus testibus perfici potest, cum ultimis voluntatibus æquiparetur; In Gallia a. sufficiunt duo testes, *Autumn. C. h.*]

Quid, si donator mortis causa pactus sit, quod non sit revocaturus?

Æque manet mortis causa donatio, *l.* 13. *s.* 1. *D. h.* at si non constet, utrum certo donatio sit mortis causa facta, per adjectionem de non revocanda donatione videtur donatio inter vivos, *l.* 35. *s.* 2. *D. h.*

Quo-

Quomodo distinguitur donatio mortis causa à mortis causa capione?

Qui mortis causa donat, tantum de morte sua cogitat; mortis autem capio est, quod obvenit ob mortem alterius, non proprie ac tantum donatoris, *l.* 18. 31. *D. h.*

Quomodo distinguitur à legato?

Qua facta est, habet naturam legati. Fit autem magis per modum contractus, *l.* 38. *D. h.* Hinc est, quod filiusfamilias ex consensu patris mortis causa possit donare, *l.* 7. §. 4. *D. de donat.* licet nequeat legare.

De Revocandis donationibus. Tit. 56. Lib. 8. Cod.

Quomodo fit revocatio donationis?

Mortis causa ex sola pœnitentia, *l.* 30. 35. *D. h.* etiam ea, quæ tantum præsumitur inter vivos, non nisi ex causis certis ingratitudinis: cum donatarius honorem donatoris læsit, corpori vim intulit, vel patrimonium afflixit, *l. fin. C. h.* aut aliàs pacta vel conditiones non servavit, *d. l. fin.* aut si liberi superveneriant: quia videtur hæc inesse conditio tacite, nisi liberi donatori fuerint nati, *l.* 8. [a] *C. h. junct. l.* 102. *D. de cond. & demonstr. l.* 30. *C. de fideicomm.*

[a] Vide ad hanc *l.* 8. *Grot. lib.* 3. *part.* 2. *n.* 34. *Rittershus. de Differ. jur. can. l.* 3. *c.* 21.]

Quid, si donatarius mortis causa ante donatorem moriatur?

Irrita fit donatio, *l.* 23. *l. fin. D. h.* quia non habet effectum mortis causa donatio ante obitum donatoris.

PAN-

PANDECTARUM

LIBER XL.

Tit. 1. De manumissionibus.

Quid est manumissio?

EST libertatis datio: quæ fit variis modis; vel vindicta, vel testamento, vel sensu, vel in Ecclesia, vel per epistolam, vel inter amicos.

Tit. 2. De manumissis vindicta. Tit. 1. Lib. 7. Cod.

Quomodo vindicta?

Coram Prætore, cujus servus vindicta, id est, virgula, caput servi manumittendi percutiebat.

Tit. 3. De manumissionibus, quæ servis ad universitatem pertinentibus imponuntur.

De Servis Reip. manumittendis. Tit. 9. Lib. 7. Cod.

Etiamne universitatis vel reipubl. servi poterant manumitti vindicta?

Non est dubitandum.

Tit. 4. De manumissis testamento. Tit. 2. Lib. 7. Cod.

Quomodo testamento?

Vel directo, vel per fideicommissum.

Tit. 5. De fideicommissariis libertatibus. Tit. 4. Lib. 7. Cod.

Quomodo per fideicommissum.

Siquidem hæres rogaretur, ut servo daret libertatem.

De

De Lege Fusia Caninia tollenda. Tit. 4. Lib. 1. Inst.

Possuntne tot testamento manumitti quot testator vult?

Possunt: olim vero certus modus fuit constitutus ob Legem Fusiam Caniniam; verum ea lex ut inimica ultimis voluntatibus est sublata, *t. t. Inst. h.*

Quis est effectus manumissionis?

Manumissi fiunt libertini.

De dedititia libertate tollenda. Tit. 5. Lib. 7. Cod. Et,

De latina libertate tollenda, & per certos modos in civitatem Romanam transfusa. Tit. 6. Cod. eod.

Estne aliqua distinctio inter libertinos?

Erant olim vel dedititii vel latini Juniani, vel cives Romani. Sed hodie hæc distinctio sublata est, *§. fin. Inst. de libert.*

De communi servo manumisso. Tit. 7. Lib. 7. Cod.

Quid, si communis servus fuerit manumissus?

Olim ejus pars accrescebat non manumittenti, sed postea id mutatum est, ut si socio solveretur pretium suæ partis, plene possit liberari, *l. 1. C. h. §. fin. Inst. de donat.*

De Servo pignori dato manumisso. Tit. 8. Lib. 7. Cod.

Potestne servus pignori datus manumitti?

Potest, siquidem generaliter sit obligatus; secus, si specialiter, nisi ex consensu creditoris, *l. 2. & seqq. C. h.*

Tit. 6. De ademptione libertatis.

Potestne libertas testamento data adimi?

Potest instar cæterorum legatorum, imo etiam per legem, *l. unic. ff. h.*

Tit. 7.

Tit. 7. De statu-liberis.

Qui sunt statu-liberi?

Quibus ad diem vel sub conditione libertas est data. Hi in iis, quæ ut liberi committunt propter spem libertatis, pro liberis, quæ ut servi, pro servis puniuntur.

Tit. 8. Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.

Qui fiunt liberi sine manumissione?

Statu-liberi, & qui alienati sunt, ut manumittantur

Tit. 9. Qui & à quibus manumissi liberi non fiant, & ad legem Æliam Sentiam.

De his qui à non domino sunt manumissi. Tit. 10. Lib. 7. Cod.

Ex quibus causis manumittere non licet Tit. 6. Lib. 1. Inst.

Omnesne manumissi fiunt liberi?

Non omnes, ut si manumittentes non sint domini, vel domini in fraudem creditorum manumittant, aut propter ætatem manumittere non possint.

Quis manumittit in fraudem creditorum?

Qui scit se esse non solvendo, vel datis libertatibus desiturus est esse solvendo. cum enim hæc res in fraudem aliorum tendat, manumissio impeditur, *pr. Inst. h.*

Estne aliqua exceptio?

Est, si quis unicum servum hæredem instituat, & in testamento manumittat: datum enim est hoc honori civium Romanorum, ut eam ob causam unum possint testamento manumittere, & sic liberari ab infamia, qua afficerentur si hæredem habere non possent.

Quinam propter ætatem manumittere non possunt?

Major 14 annis testamento quidem manumittere potest, *Nov. 119. c. 2*, at inter vivos prohibetur minor

nor 17 annis, *§. fin. Inst. h.* nisi ex justa causa, approbata apud consilium, *§. 4. eod.*

Quæ sunt justæ causæ?

Describuntur *§. 5. Inst. eod.* ut & *l. 13. & seqq. D. de manum. vind.*

Quid, si causa, semel approbata, deinde falsa intelligatur?

Favore libertatis receptum est, ut libertas etiam ex falsa causa data non retractetur, licet in aliis contra observetur, *l. 33. D. de re jud.*

Pro quibus causis servi pro præmio libertatem accipiunt. Tit. 13. Lib. 7. Cod.

Quibus ex causis pro præmio datur libertas?

Si singulare aliquod beneficium reipublicæ præstiterint: ut si proditorem patriæ, si falsum monetarium ostenderint, *l. 2. & 4. C. h.*

De ingenuis manumissis. Tit. 14. Lib. 7. Cod.

Quid, si ingenuus sit manumissus?

Non fit libertinus, sed manet ingenuus: manumissio enim non officit natalibus.

Tit. 10. De jure aureorum annulorum. Lib. 6. Cod.

Quis est eorum status, qui jus aureorum annulorum sunt consecuti?

Etsi revera non sint ingenui, tamen pro ingenuis habentur.

Tit. 11. De natalibus restituendis. Tit. 8. Lib. 6. Cod.

Quid, si quis fuerit restitutus natalibus?

Pro ingenuo reputabitur, *l. 1. 2, 3. D. h.*

Communia de manumissionibus. Tit. 15. Lib. 7. Cod.

Quæ sunt communia manumissionum?

Quod hodie manumissi fiant cives Romani.

Tit. 12, De liberali causa. Tit. 16. Lib. 7. Cod.

Quomodo appellantur judicia de causis status, libertatis?

Liberalia, quæ multas habent prærogativas.

De ordine cognitionum. Tit. 19. Lib. 7. Cod.

Quæ est prærogativa in cognitione liberalium causarum?

Ut solennibus ordinatis hæ prius decidantur, quam ulla civilia, vel criminalia judicia, *l. 1. 5. C. h.*

Tit. 13. Quibus ad libertatem proclamare non licet. Tit. 18. Lib. 7. Cod.

Quibus non licet proclamare?

Qui majores 20 annis ad pretium participandum venire se passi sunt, quique damnati sunt ad vincula perpetua.

De adsertione tollenda.

Quid est adsertio?

Est defensio, quæ fiebat per assertorem solennîter in controversia status.

Tit. 14. Si ingenuus esse dicatur.

Quid, si quis ingenuus esse dicatur?

Si quis intra quinquennium à manumissionis die se probare voluerit ingenuum esse, audietur.

Tit. 15. Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur. Tit. 21. Lib. 7. Cod.

Quamdiu licet de statu defunctorum disputare?

Tantum ad quinquennium, *l. 1. ff. h.*

Tit. 16. De collusione detegenda. Tit. 20. Lib 7. Cod.

Quid, si Dominus nimia indulgentia passus fuerit servos ad ingenuitatem proclamare, liberosque judicari?

Hac de re SConsulto cautum est ut, si quis probasset per collusionem quicquam factum, si iste homo

servus

servus sit, fiat servus ejus, qui collusionem detexisset, *l. 1. ff. h.*

PANDECTARUM

LIBER XLI.

Tit. 1. De acquirendo rerum dominio. Tit. 1. Lib. 2. Inst.

Per quas personas nobis acquiratur. Tit. 27. Lib. 4. Cod. Tit. 9. Lib. 2. Inst.

Quid potest acquiri per Procuratorem?

POssessio etiam ignoranti domino, *l. 34. §. 1. l. 49. §. fin. ff. de acquir poss.* & conditio usucapiendi, at usucapio non procedit, nisi à tempore, quo dominus scivit, *d. l. 49. §. fin. l. 1. C. eod.*

Quomodo acquiritur dominium per Procuratorem?

Si sit actum, ut res Procuratori acquiratur, vel simpliciter sit alienata, non acquiretur directò dominium domino, *l. 1. §. 20. ff. h. l. 1. C. eod.* sin autem, ut domino acquiratur, transibit in dominum, cum possessionem est nactus, *l. 8. C. de acq. vel retinend. poss.* cum habet mandatum generale: alias, si speciale ipsi datum sit mandatum, eique nomine domini sit tradita possessio, domino acquiretur, *l. 13. 37. §. fin. D. h. l. 13. D. de donat.* uti etiam si nuncio sic tradita, *C. fin. C. si quis alt.*

Estne distinctio aliqua generalis circa illos, qui sunt in potestate?

Est. Servi omnia suis dominis, Filiifam. quæ sunt profectitii peculii, patri; quæ sunt adventitii, sibi quoad proprietatem, patri, quoad usumfructum; quæ sunt castrensis vel quasi, sibi acquirunt.

Quibus modis acquiritur dominium?

Vel jure naturali, vel civili, *§. 11. Inst. de rer. divis.* Vel titulo universali vel singulari.

Qui sunt, qui ex jure gentium descendunt?

Occupatio, accessio, specificatio, confusio, commixtio, fructuum perceptio, traditio.

Quid

Quid est occupatio?

Apprehensio rerum, quæ sunt in nullius, at in alicujus patrimonio esse possunt. Quod enim nullius est, cedit occupanti, *l.* 3. *D. h.*

Quarum rerum est occupatio?

Est immobilium, ut in littore; & mobilium, ut in inventione lapillorum & gemmarum, quæ nullius sunt, *s.* 18. *Inst. de rer. divis.*

Quid, si viderit, alter apprehenderit?

Cedit ea res apprehendenti, *arg. s.* 13. *Inst. de rer. divis. junct. s.* 12. *ibid.*

Quid, si quis invenerit rem deperditam?

Si sibi eam servet ut lucrifaciat, furti tenetur, *s. fin. Inst. de rer. divis. l.* 43. *s.* 4. *& seqq. ff. de furt. cap. si quid inveniſti. caus.* 13. *q.* 15.

Quid, si nemo veniat repetitum rem amissam?

Inventor si publice significaverit se inveniſſe, sibi impune servat: Præstat vero in publicum deferre.

Annon & occupatio est in rebus hostium?

Est, sive sint homines, qui servi [a] efficiuntur, sive aliæ res mobiles, *s.* 17. *Inst. de rer. divis.* atque eæ res statim fient capientis, *d. s.* 17. nisi contrarium statutum sit ab iis, ad quos ea res pertinet. Si autem sint immobiles, cedunt reipublicæ.

[a] Hodie capti ab hostibus statum non mutant, *Grot. de jure belli l.* 3. *c.* 9. *n.* 19. *Zypæ. Not. jur. Belg. tit. de servis in pr.*

Estne & in feris bestiis occupatio?

Est, eaque consistit in venatione, aucupio, vel piscatione.

Licetne ergo venari cuilibet?

Licet jure naturali, ast facultas venandi recte limitatur vel in feris certis capiendis, vel in personis, quibus singulariter est negata aut data.

Licetne in alieno capere feram?

Licet, [a] quamvis Dominus ingredi prohibeat. Id si fuerit factum, prohibenti datur actio injuriarum, *l.* 13. *in fin. ff. de injur.* verum prohibitus æque suam facit feram, *s.* 12. *inst de rer. div.*

[a] Hodie

[a] Hodie jura venandi Principes sibi vendicant, ideoque contra edicta Principum animalia capta non fiunt capientium, *Grot. lib. 2. p. 4. n. 4. 5. 24. Christin. vol. 5. decis. 84.*]

Quid, si quis feram bestiam vulneraverit, & alter eam occupaverit?

Siquidem ita sit vulnerata, ut indubie potuerit eam vulnerans capere, erit vulnerantis, licet alius capiat, si eam vulneraverit, ut caperet, *§. 13. Inst. de rer divis.* Si autem ita non sit vulnerata, cedit occupanti.

Quid juris in feris, quæ solent ire & redire?

Quandiu ipso actu redeundi consuetudinem [a] observant, manent prioris domini, *§. 15. Inst. eod.*

[a] Hodie manent prioris domini, licet revertendi animum deseruerint, *Autumn. in l. 5. ff. de rer. dom.*]

Quid, si mansueta animalia detineantur?

Furtum committit, qui illa lucrandi animo servat, *§. 16. Inst. eod.* licet etiam unica tantum sit species.

Quid juris in piscatione?

Licet piscari in mari, fluminibus, stagnis, etiam alienis, lacubus quoque publicis, *l. 13. §. 2. Inst. de rer. divis. l. 3. §. 14. Inst. de acquir. poss.*

Quid juris est in aucupio?

Idem quod in venatione. In examine apum id constitutum est, ut pertineat ad priorem dominum, si probare possit id ex suo alveo evolasse, *§. 14. eod.*

Quid dicendum de feris, quæ sunt in vivariis, vel piscibus, qui sunt in piscina?

Possidentur, & in dominio sunt, *l. 3. §. 14. ff. de acquir. poss.* unde ab aliis acquiri nequeunt.

Quid est accessio?

Modus acquirendi dominii, quo res mea propter præeminentiam rem alterius ad se trahit, *arg. l. 23. §. 3. & seqq. ff. de rei vind.*

In quibus consistit?

In variis: veluti inædificatione, plantatione, insitione, intextura, scriptura, pictura, alluvione, ac similibus.

Quæ regula servatur in inædificatione?

Quicquid solo inædificatur, solo cedit, sive ex aliena materia in suo, sive ex sua materia in alieno ædifi-

ædificium exstruatur, §. 29. 30. *Inst. de rer. divis. l. 7. §. 10. ff. h.*

Potestne dominus vindicare materiam, ex qua alter citra voluntatem domini ædificavit?

Non potest, quamdiu constat ædificium, sed ipsi est parata actio de tigno [a] juncto in duplum, *d. §. 29.* [a] Hæc actio de tigno juncto exolevit, sed hodie consulitur domino materiæ actione in factum ad pretium consequendum, *Grot. l. 2. p. 10. n. 6. Zyp. de Rei Vind. versic. rigide.*

Annon debet distingui, utrum quis bona fide, an mala ædificaverit?

Nullo modo quoad actionem in duplum: verum is, qui mala fide ædificavit, tenetur præterea vindicatione vel condictione, *l. 1. in fin. l. 2. D. de tign. junct.*

Quid, si ædificium fuerit diruptum?

Potest dominus, si suum non sit consecutus, etiam à bonæ fidei possessore vindicare, imo & post tempus, quo alias res mobilis vel immobilis solet præscribi, *d. l. 7. §. 11. ff. h. l. 23. ff. de usuc. l. 23. §. fin. ff. de rei vind.*

Quid, si quis ædificaverit ex sua materia in alieno?

Ædificium fit ejus, qui soli est dominus. Necessariæ autem impensæ solvendæ sunt tam malæ fidei quam bonæ possessori, *l 5. Cod. de rei vind.* In utilibus quoad bonæ fidei possessorem sequi oportet, *l. 38. ff. de rei vind.* & à malæ fidei possessore in utilibus, & à quolibet possessore in voluptariis nulla erit deductio, nisi qua locupletior fiat eo ipso momento Dominus, sed conceditur sublatio, *l. 9. ff. de impens. in rem dotal.*

Potestne rem retinere possessor, donec sumptus sibi satisfiant?

Potest absolute, si sit bonæ fidei possessor, *d. §. 30.* Si sumptus sint illiquidi, Dominus offerre potest cautionem, ut possessor interim discedere cogatur è possessione, *l. 5. ff. de stat. liber.*

Quæ regula est in plantatione, pictura, scriptura, intextura?

Plantæ cedunt solo, modo radices egerint, *d. l. 7. §. fin.*

s. fin. etiam sata, *s.* 3. purpura vestimento, scriptura chartæ, *s.* 32. 33. [a] *Inst. eod. l.* 9. *pr. & ss. seqq. ff. h.* nisi sit scriptura, cujus usus ad unum tantum pertinet: picturæ tabula ex decisione singulari, in *s.* 34. *Inst. h.* Omnia sic sunt accipienda, ut is, qui rem adquirit, teneatur domino rei præstare pretium, nisi sit à domino quid commissum, ex quo id petere nequeat.

[a] Hunc *s.* 33. abrogandum censet *Grot. l.* 2. *p.* 8. *n.* 5.]

De Alluvionibus, & paludibus, & pascuis ad alium statum translatis. Tit. 41. Lib. 7. Cod.

Quid juris est in alluvione?

Quicquid per incrementum latens adjicitur paulatim, ut intelligi non possit quantum quoquo temporis momento accedat, acquiritur domino prædii, cui adjectum est, *s.* 20. *Instit. eod. l.* 1. *C. h.*

Quid, si pars aliqua fundi per vim fluminis sit ablata & in alterius fundum impacta?

Manet prioris domini, donec coaluerit, *l.* 7. *s.* 2. *ff. de acquir. rer. Domin.* Coaluisse autem videtur, si arbores radices egerint, *l.* 21. *Inst. de rer. divis. l.* 9. *s.* 1. *& 2. ff. de damn. infect.*

Liceatne tollere illam partem, antequam coaluerit?

Licet: dabiturque de damno facto judicium, *d. l.* 9. *s.* 2. *ff. de damn. infect.*

Liceatne ripam adversus impetum fluminis quovis modo munire?

Id cuique est permissum, modò à naturali cursu flumen non divertatur, *d. l.* 1. *C. h.* & nihil fiat cum incommodo navigationis & accolarum, *l.* 1. *s.* 6. *& 7. ff. ne quid in flumin.*

An etiam augebitur tributum per alluvionem?

Nullo modo: cum jus alluvionis sit per se inconstans, *l.* 3. *C. h.*

An & loca silvestria ad culturam redacta & palustria tributis sunt oneranda?

Ne impediatur diligentia agricolarum, talia loca non esse tributis gravanda, constitutum est *d. l.* 3.

Quid

Quid juris in alveo à flumine derelicto?

Is cedit iis, qui prope ripam prædia proxima possident secundum latitudinem, quæ circa ripam est. Quod si post ad priorem alveum reversum fuerit flumen, rursus novus erit eorum, qui prope ripam proxima habent prædia, *l. 7. §. 5. ff. h.*

Quid, si novus alveus totum agrum alicujus occupaverit, & ad priorem alveum reversum sit flumen?

Non tamen is, cujus ager fuit, rejicietur à petitione sui fundi, propter æquitatem, *d. §. 5.*

Quid juris in inundatione?

Si non sit perpetua, nec formam agri in totum mutet, dominium non tollit. *d. l. 6. §. 7.*

Quid juris est insula in flumine nata?

Cedit proxime [*a*] possidentibus secundum latitudinem quæ in ripa est utrinque, si in medio sit; si autem sit uni parti proximor, acquiritur iis qui in illa parte prædia proxima habent. *§. 22. Inst. eod.* Si flumen se diviserit, & deinde se univerit, fundi inclusi manent priorum dominorum, *d. §. 22.*

[*a*] Hodie, cum flumina publica inter regalia sint, alluviones cæteraque incrementa in flumine nata ad Principem pertinent, *Grot. introd. lib. 2. p. 9. & de jure belli, 2. c. 8.*]

Quid, si insula solo non cohæreat, sed virgultis vel alia levi materia sustineatur in flumine?

Erit publica, quasi innatans ipsi flumini, *l. penult. §. 1, 2. & fin.*

Partus ancillæ vel fœtus animalium cui cedit?

Domino ancillæ vel animalium, *§. 19. Inst. eod.*

Quid est specificatio?

Est confectio novæ speciei ex aliena, in totum vel ex parte, materia, *§. 25. Inst. eod.*

Cui cedit species nova?

Si reduci possit ad pristinam materiam, est ejus, cujus est materia; si non, fit specificantis, cum suo nomine & bona fide eam fecit, *l. 7. §. 7. ff. eod. l. 12. §. 3. ff. ad exhibend.* adde *l. 49. in fin. ff. de rei vendic.*

De-

Debetne specificans solvere pretium materiæ eo casu, quo dominus est effectus specificans?

Non est dubitandum: non enim debet locupletari cum alterius jactura.

Quid est confusio? quid commixtio?

Confusio est liquidorum, commixtio solidorum sive corporum. Itaque in confusione materiæ alterantur, sive unius sive diversi sint generis; & massa, quæ est ex confusione, fit communis, sive fortuito sive ex voluntate utriusque ea sit facta, §. 26. *Inst. eod.* In commixtione singula corpora suam substantiam servant, & nulla fit communio, nisi ea ex voluntate sit facta, §. 27. *Inst. eod.* unde si frumentum Titii cum Mævii sit commixtum non ex voluntate, judex cuique vindicanti portionem suam adjudicabit habita ratione quantitatis & bonitatis, *d.* §. 27.

Quid est ferruminatio vel plumbatura?

Ferruminatio est solidorum conjunctio ac quasi adunitio non interveniente alia materia, *l.* 27. *pr. ff. de acquir. rer. Dom.* Plumbatura fit interveniente alia materia, *l.* 23. §. *item quicunque. ff. de rei vind.*

Cui cedit quod ita junctum est?

Si per ferruminationem, æstimandum est pro portione rei, vel pro pretio cujusque partis: vel si neutra res alteri sit accessioni, sua cujusque res manet, *d. l.* 27. §. 2. *d. l.* 23. §. 5. Si per plumbaturam, ad exhibendum agi poterit, ut separentur, & sic vindicentur, itaque cujusque res sua manebit, *d. l.* 23. §. 5.

Quomodo per fructuum perceptionem acquiritur dominium?

Is qui bona fide ac justo titulo rem possidet, fructus interim suos facit pro cultura & cura, §. 35. *Inst. eod.* quia bonæ fidei possessor interim loco domini est, *l.* 25. §. 1. *ff. de usur. l.* 136. *de reg. jur.*

Quomodo per traditionem dominium acquiritur?

Hisce concurrentibus. 1. Si is, qui tradit, habeat alienandi potestatem. 2. Si sit ipse dominus vel vice domini. 3. Si is, cui traditur, dominus fieri & velit & possit. 4. Si utrimque sit animus dominium transferendi. 5. Si sit res, quæ possit dominio subjici. 6. Si

sit titulus ad transferendum dominium habilis. 7. Si vacua possessio tradatur, §. 40. *Inst. eod. l.* 31. *ff. h. junct. l.* 12. *C. de probat. l.* 13. *C. de distract. pign.*

Quomodo sit traditio?

Vel vere & naturaliter de manu in manum; vel quasi, cum quid habetur pro tradito. Quasi traditio fit: 1. Brevi manu, si quis constituat sibi usumfructum in re quam alteri donavit vel vendidit, *l. quisquis* 28. *C. de donat.* vel cum quid venditur vel donatur ei, qui rem tenet, §. 43. *Inst. eod.* 2. Per symbolum, ut cum traditur instrumentum eo animo, ut res ipsa videretur tradi, *l.* 1. *C. de donat.* vel si cui claves horrei, in quo merces sunt, tradantur, vel si cui præsenti res, quæ propter magnitudinem corporis moveri non potest, animo tradendi monstretur, *l.* 1. §. 21. *D. de acquir. possess.*

Quid, si sit dissensus circa causam traditionis?

Si tacitus, dominium transit, *l.* 36. *D. de acquir. rer. dom.* Si expressus, non transit, *l.* 18. *D. de reb. cred.*

Quibus alienare non licet. Tit. 8. Lib. 2. Inst.

Possuntne omnes domini res suas alienare?

Possunt regulariter: est enim dominii effectus principalis, potestas alienandi, *l.* 21 *C. mand.* Verum accidit nonnunquam ut, qui sunt domini, nequeant alienare, & qui non sunt, possint.

Ex quibus fit prohibitio alienandi?

Ea est vel ex conventione, vel citra conventionem. Ex conventione non potest plenum effectum habere prohibitio, nisi sit facta à domino in traditione rei suæ, etsi nulla fuerit causa. modo dominus expresse vel tacite jus dominii vindicandi sibi servaverit, *l.* 3. *C. h. condict. ob caus. dat. l. ult. C. de pact. int. empt. & vendit.* Citra conventionem vel per legem, vel per factum hominis. Ex facto hominis, vel publici, qualis est magistratus; vel privati, uti testatoris.

Quomodo per magistratum?

Si prodigo interdicatur bonis, *l.* 1. *ff. de curat furios.* si debitori de fuga suspecto desiderante creditore inter-

terdicatur alienatione, *l.* 8. *ff. de pollicitat.* adde casus in, *l.* 5. *ff. de petit. hæred. l.* 31. *§.* 4. *D. de reb. autor. jud. possidend.*

Quomodo à testatore?

Cum expresse vel tacite testator vetat rem alienari, addita justa causa, vel substituto designato. Si non sit causa vel substitutus, nudum præceptum est, & nullam habet efficaciam, *l.* 114. *§.* 14. *D. de. leg.* 1. *l.* 38. *§. Iulius. D. de legat.* 3. *l.* 93. *D. eod. l.* 88. *§.* 15. *D. de legat.* 2.

Quomodo per legem?

Variis ex causis. 1. Propter personam prohibitam; ita furiosi, mente capti, pupilli, minores, *§. fin. Inst. h. l.* 3. *C. de in integr. restit minor.* & similes, nequent res suas in alios transferre. Eo modo non valet donatio inter virum & uxorem. 2. Propter alios; ita filiusfamilias non potest distrahere bona adventitia, quoniam pater habet usumfructum, *l. ult. §.* 5. *C. de bon. quæ lib.* ita Emphyteuta non vendit jus suum inscio domino, *l.* 3 *C. de jur. Emphyt.* ita maritus fundum dotalem non alienat, *pr. Inst. h.* 3. Propter rem ipsam; ita res litigiosæ, *l.* 1. *§. ult. ff. de re litigios.* res ad civitatem pertinentes, nisi secundum formam, *l. ult. C. de vendit. rer. civitat.* res sacræ, *l.* 1. *l.* 6. *§.* 2. *ff. de rer. divis.* & similes, prohibentur alienari.

Tit. 2. De acquirenda vel amittenda possessione. Tit. 32. Lib. 6. Cod.

Quid est possessio?

In genere accepta, est detentio rei animo eam vel vel jus in eam sibi habendi.

Quomodo, distinguitur?

Alia est naturalis, alia civilis. Naturalis pro subjecta materia varie accipitur; aliquando pro corporis ipsius reali detentione: aliquando est injusta: & sic civilis, quæ solo animo habetur, vel quæ justa est.

Annon & aliter distingui potest?

Habetur affectione habendi dominii vel alterius juris; hæc improprie, illa proprie possessio est.

Quæ res possidentur?

Directo tantum corporales, *l.* 3. *ff. h.* tam mobiles

quam immobiles, *l.* 13. 15. 47. *ff. h.* aliis possessoribus vacuæ, *d. l.* 3. *s.* 5. Non vero (cum de dominio acquirendo per possessionem agitur) sacræ, religiosæ, publicæ, & similes.

Quomodo acquiritur?

Animo & corpore simul, nec tantum per nos, sed & procuratores, vel tutores, *l.* 1. *s.* 20. *ff. h.*

Quomodo retinetur?

Vel animo & corpore simul, eoque nostro, *l.* 19. *s.* 1. *ff. l.* 4. *C. h.* vel animo nostro & corpore alieno, *l.* 9. *ff. h.* vel animo nostro solo, *d. l.* 3. *s.* 10. & 11. *ff. h.* Itaque non possident coloni, inquilini, depositarii, non proprie usufructuarii, sed sunt in possessione nomine alterius, qui verus est possessor.

Possidetne sequester?

Interest, qua mente apud eum res sit deposita: regulariter vero victori possidet, *l.* 17. *s.* 1. *ff. depos. l.* 9. *l.* 39. *ff h.*

Possuntne plures eandum rem possidere?

Diverso possunt respectu: unus juste, alter injuste: unus precario, alter directo, *d. l.* 3. *s.* 5.

Quomodo probatur possessio?

1. Ex rei detentione actuali, animo possidendi habita, *arg. l.* 3. *s.* 1. *ff. h.* qui animus, si aliter constare non possit, demonstratur ex contestatione vel declaratione coram aliis facta, vel juramento, *arg. l.* 15. *ff. ad exhib.* 2. Ex cultura rei, *arg. l.* 2. *C. h.* licet etiam fuerit intermissa, *l.* 4. *C. h.* 3. Ex fructuum vel pensionum perceptione, *l.* 48. *ff. de solut.* licet etiam semel tantum fructus sint percepti, *argum. l.* 1. *s.* 21. *ff. de aqu. cottid. & æstiv.* 4. Ex censuum & tributorum collectione. 5. Ex Investitura. 6. Ex testibus. & nonnunquam ex fama publica in antiquis.

Quis est effectus possessionis?

1. Conventus possessor non cogitur ordinario titulum suæ possessionis allegare, *l.* 11. *ff. de petit. hæred. l. fin. ff. de rei vindic.* nec probare jus suum, *l.* 16 24. *C. de probat.* 2. Dominium ex possessione videtur sequi, *arg. l.* 20. *C. de pact. l.* 2. *s. fin. ff. pro hæred* 2. Lucratur interim fructus possessor, qui in bona fide est, &c.

Qui-

Quibus modis amittitur?

Aliquando ex voluntate, animo & corpore simul, *l.* 8. *ff. h.* vel animo tantum, *l.* 3. *s.* 6. *ff. h.* si amissio initium habeat ab animo, *arg. l.* 44. *ff. h. in fin.* Aliquando circa voluntatem, ut si conditio rei sit mutata, *l.* 1. 4. *ff. h.* si persona possessoris mutetur, ut possidere non possit. Aliquando per factum alterius, qui possessionem in se transtulit vel per dolum vel per violentiam, *l.* 3. *s.* 13. 18. *l.* 15. 47. *ff. h. l.* 4. *s.* 22. *& seqq. l.* 5. 15. *ff. de usucap.*

Tit. 3. De usurpationibus & usucapionibus. Tit. 6. Lib. 2. Inst. &

Communia usucapionibus. Tit. 30. Lib. 7. Cod. &

De usucapione transformanda, & de sublata differentia rerum mancipi nec mancipi. Tit. 31. Lib. 7. Cod.

Quid est [a] usucapio?

Est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti, *l.* 3. *ff. h.*

[a] Usucapiones & longi temporis præscriptiones nostris & aliorum moribus in desuetudinem abierunt, *Grot. l.* 2. *p.* 7. *Zypæus N. J. B. de præscript. pr. Autumn. in pr. D. pro empt. Bugn. de ll. abrog. l.* 1. *sat.* 184. De hodierna longissimi temporis præscriptione alibi dictum.]

Quomodo distinguitur usucapio à præscriptione?

Varie, prout subjecta materia suadet. Solet usucapio ad corporalia, præscriptio ad incorporalia, vel ad ea quæ non sunt directo in dominio, referri. Usucapio adjicit directum dominium. & directam actionem in rem parit, *l.* 20. *C. de pact.* Præscriptio dominium utile & actionem utilem in rem largitur. Deinque præscriptio tantum est exceptio ex usucapione: verum hæc vocabula sæpe confunduntur.

Quæ requiruntur ut usucapio rite procedat?

1. Ut res possideatur: sine possessione enim non potest esse usucapio, *l.* 25. *ff. h.* 2. Ut sit res accepta bona

fide *princ. Inst. h.* 3. Ut usucapiat, qui dominus esse possit. 4. Ut res sit quæsita ex justa causa, *d. princ.* 5. Ut sit res ad usucapiendum idonea. 6. Ut possessio ad legitimum tempus continuetur.

Qualis possessio desideratur?

Continua, non interrupta, *l.* 4. *s.* 15. *ff. h.* Continua est, sive penes eundem semper fuerit, sive sine medio possessore penes alium, *l.* 20. *l.* 31, *s.* 5. *ff. h. l.* 2. *C. de præscript. long. temp.*

Prodestne civilis possessio, an naturalis?

Naturalis, quæ tantum in corporis detentione consistit, sine affectione dominii habendi non prodest, *l. pen. ult C. de præscript.* 30 *annor.* sed civilis, qui animo dominii habetur, licet alius sit in possessione, *arg. l.* 1. *C. commun. de usucap.* eaque justa.

Quid circa bonam fidem n tandum?

Jure civili sufficit initio fuisse bonam fidem; unde & successor universalis cœpram usucapionem ex bona fide à defuncto perficit, licet ipse sit in mala fide, *l.* 20. 31. *ff. junct. s. penult. Inst. h. l.* 2. *s.* 19. *ff. pro emptor.* & si defunctus mala fide possederit, non prodest hæredi sua bona fides, *d. s. penult.* In successore singulari est continuatio temporis, *d. s. penult. in fin.* & successor, si sit in bona fide, licet autor fuerit in mala, recte usucapiet, quia non succedit in universum jus: sin autem autor fuerit in bona fide, successor in mala, nihil proderit successori bona fides autoris, *d. l.* 2. *s.* 17. *ff. pro emptor. l.* 156. *s.* 2. 3. *ff. de reg. jur.* Semper autem bona fides præsumitur, *c. fin. x. de præsumpt.*

Debetne possessor probare continuatam possessionem?

Sufficit si extrema probet, quia ex iis præsumitur continuatio, *arg. d. l.* 2. *s.* 18. *l.* 44. *s.* 2. *ff. h.*

Quæ res possunt usucapi?

Res mobiles & immobiles, de quibus non est aliter dispositum.

Ne

Ne rei Dominicæ vel templorum vindicatio temporis præscriptione submoveatur. Tit. 31 Lib. 7. Cod.

Quæ res non possunt usucapi?

1. Res fisci, §. *res fisci. Inst. h. l.* 2. *C. comm. usucap. l.* 18. 24. *in fin. D. de usurpat. & usucap.* Res vero Principis patrimoniales tantum longissimo tempore *l.* 2. 4. *C. h.* 2. Jura magistratus, immunitas à tributis, *l.* 6. *C. h.* 3. Res furtivæ vel vi possessæ, *l.* 4. §. 6. *l.* 33. *ff. eod. l.* 4. §. 6. & 22. 4. Res sacræ, religiosæ & sanctæ, §. 1. *Inst. l.* 9. *ff. eod.* 5. Res pupillorum, *l.* 3. *C. de præscript.* 30 *ann.* 6. Res meri facti. 7. Res testamento prohibitæ alienari. 8. Liber homo, *d. l.* 9. 9. Res ejus, qui legitime impeditur agere, *l.* 1. *in fin. & l.* 2. *C. annal. excepi.* Impedimento autem sublato tempora continuantur, *l.* 3. *l.* 7. *C. de præscript.* 30 *annor.*

Quid dicendum est de rebus minorum?

Contra ipsos non longi, sed longissimi temporis currit præscriptio, *d. l.* 3. *C. de præscr. long. temp.*

An nunquam potest esse furtivæ rei usucapio?

Non potest, licet per multas manus ambulaverit; vitium enim reale semper rem comitatur, nisi sit ea reversa in potestatem Domini, §. 8. *Inst. eod.* tunc enim vitium purgatur.

Quod tempus desideratur?

Non est in omnibus eadem ratio. Aliquando enim certi dies sufficiunt, ita triduum in casu *l.* 3. *C. de error. advoc.* triginta dies in apocha casu *l.* 14. §. 2. *C. de non numer. pecun.* Aliquando mensium, ut in redhibitoria, *l.* 19. §. *ult. ff. de ædilit. edict. &c.*

De Annali exceptione Italici contractus tollenda, & de diversis temporibus & exceptionibus, & præscriptionibus, & interruptionibus earum. Tit. 40. Lib. 7. Cod.

Quæ est usucapio vel præscriptio unius anni?

Tollitur anno actio injuriarum, *l.* 5. *C. de injur.* sive sit realis sive verbalis, *arg. d. l.* 5. similiter actio Pauliana, *l.* 1. *ff. de his quæ in fraudem.* & similis.

Quibus actionibus biennio præscribitur?

Actioni de dolo, *l. fin. C. de dol. mal.* exceptioni non numeratæ pecuniæ, *l. 14. C. de non num. pec.*

Quæ res triennio usucapiuntur?

Mobiles, *pr. Inst. de usucap. l. unic. C. de transform. usucap.*

De quadriennii præscriptione. Tit. 37. Lib. 7. Cod.

Quarum rerum sit præscriptio quadriennio?

Earum, quas fiscus cum alienæ essent vendidit, *§. fin. Inst. de usucap.*

Quod in hac re privilegium est fisci?

Emptor statim est securus, sed fiscus conveniri potest intra quadriennium, ut solvat damnum domino, *l. 2. 3. C. h.* Eodem etiam modo fiscus per idem tempus excluditur à persecutione bonorum vacantium, quæ alius legitime possidet, *l. 1. & 2. C. h.* Si autem fisco sint delatæ, 40 annis opus est, *l. 2. C. com. de usucap. junct. l. 4. C. de præscript. 30 annor.*

Quarum rerum sit quinquennio?

Querelæ inofficiosi, *l. 8. §. fin. D. de inoffic. testam.* mercium, quæ inciderunt in commissum, *l. 4. C. de vectigal.* accusationis adulterii, *l. 5. Cod. ad L. Iul. de adulter.*

De præscriptione longi temporis 10 vel 20 annorum. Tit. 33. Lib. 7. Cod.

Quarum rerum decennio?

Immobilium inter præsentes, qui sunt in eadem provincia, *l. 9. penult. ult. C. h. l. unic. C. de usucap. transform.* etiam servitutum, sive sint continuæ sive discontinuæ, *d. l. fin. l. 2. & penult. C. de servitut.*

Quarum rerum vicennio?

Rerum immobilium vel servitutum inter absentes, *d. l. unic. & l. fin.* ac eorum criminum, quibus speciale tempus non est præstitutum, *l. 12. C. ad L. Corn. de falsi.*

Quid,

Quid, si per aliquot annos quis præsens, per aliquot absens fuerit?

Adjici supra decennium debent tot anni, quot absens fuit, *Nov.* 119. *c.* 8. *& auth. quod si C. h.*

In quibus causis cessat longi temporis præscriptio. Tit. 34. Lib. 7. Cod

In quibus causis locum habet longi temporis præscriptio?

Tantum in actionibus in rem, *l.* 3. *C. h.* In personalibus vel mixtis, qualis est petitio hæreditatis, *l.* 7. *C. de petit. hæred.* familiæ erciscundæ, *l.* 3. *C. h.* finium regundorum, *l. fin. C. fin. regund.* requiruntur 30 anni.

Quid, si quis rem hæreditariam emerit?

Quia vindicatione tenetur, ei proderit præscriptio longi temporis, hoc est, 10 vel 20 annor.

Quibus non objicitur longi temporis præscriptio. Tit. 35. Lib. 7. Cod.

Annon & aliis casibus cessat longi temporis præscriptio?

Minoribus non nocet, *l.* 3. *C. h.* uti nec militibus in expeditione occupatis, vel reipublicæ causa, aut alia justa ratione absentibus, *l.* 2. 4. *fin. C. h.* uti nec nocet si malæ fidei possessor alienaverit domino ignorante. *Nov.* 119. *c.* 7.

Si adversus creditorem præscriptio opponatur. Tit. 36. Lib. 7. Cod.

Potestne præscriptio longi temporis opponi adversus creditorem agentem hypothecaria?

Potest, si vel extraneus bona fide emerit à debitore, *l.* 1. 2. *C. h.* (non si mala, *l.* 7. *C. de præscript.* 30 *vel* 40 *ann.*) vel ipse debitor aut ejus heres possideat. *d. l.* 7.

Quid, si paulo ante finem usucapionis contra debitorem inchoatæ, res fuerit pignerata?

Non computabitur adversus creditorem præscriptio ex tempore inchoatæ usucapionis, sed factæ pignerationis, *l.* 44. *§.* 5. *D. de usucap. l.* 7. *C. de pignor. l.* 14. *§.* 2. *D. eod.*

At videtur obstare l. ult. C. de oblig.

Nequaquam; quia verba (*si non longi temporis præscriptione munitus*) explicanda sunt, de præscriptione adversus ipsum creditorem à die oppignerationis.

Quanto tempore posterior creditor præscribit contra priorem?

Triennio post mortem debitoris, vel ipso vivo quadraginta annis, *d. l. 7. C. de 30. vel 40.*

De præscriptione 30 vel 40 annorum. Tit. 39. Lib. 7. Cod.

Estne præscriptio alia?

Regulariter actionum personalium & mixtarum, quæ breviori tempore non concluduntur, est præscriptio 30 annorum, *l. 3. C. h.*

Annon & 40 annorum?

Sunt variæ; ut si agatur hypothecaria contra ipsum debitorem vel hæredem ejus, *l. 7. C. h.* si servus malæ fidei in possessione libertatis fuerit, & is vindicetur in servitutem, *l. 4. C. h.* si de actionibus personalibus lis sit contestata, *l. ult. C. h. adde casum l. ult. C. de fund. patrimonial.*

Quid, si obligatio ex die sit contracta vel sub conditione?

Non currit tempus ante diem; quia agi non potest, *d. l. 7. §. & 4. C. h.*

Habetne præscriptio 30 vel 40 annorum locum adversus omnes?

Habet locum adversus fœminas, absentes, milites, minores sine ulla spe restituendi, sed non contra pupillos, *d. l. 3. C. h.*

Quid, si res precario possideatur, vel aliter alieno nomine?

Nulla allegari potest præscriptio; quia cum nemo causam possessionis suæ potest mutare, *l. 2. l. 7. §. fin. C. h.* non potest eum, qui sibi non possidet dominium, ex usucapione sequi.

Tit 4. Pro emptore. Tit. 26. Lib. 7. Cod.

Qui sunt proprie Tituli, qui pariunt usucapionem?

Habiles ad transferendum dominium; inter quos & refer-

referri potest transactio, *l.* 8. *C. h. l.* 29. *D. de usucap.* sive res sit accepta, sive retenta, *arg. l.* 33. *s.* 1. *D. eod.* maxime vero eminet causa pro emptore, cum quis bona fide à non domino emit, *l.* 2. *D. h.*

Quid circa titulos in genere observandum?

Qui titulo nullo rem habet, non videtur esse in bona fide, *l. ult. C. unde vi.* & error circa titulum, qui non habet probabilem causam, usucapionis causam turbat, *s. error. Inst. l.* 27. *C. de usucap. junct. l.* 2. *s.* 2. *l.* 11. *D. h.*

Estne quid singulare in titulo pro emptore?

Bona fides requiritur non tantum tempore contractus, sed & traditionis, *d. l.* 2. *in fin. pr. D. h.*

Tit. 5. Pro hærede, & pro possessore. Tit. 29. Lib. 7. Cod.

Quis est titulus pro hærede vel pro possessore?

Duplici modo, vel cum quis possidet hæreditatem tanquam hæres, vel cum defunctus titulum habuit, ac is titulus continuatur. Si autem res aliena sit in hæreditate inventa, non potest præscribi, *l. fin. C. h.*

Quid, si civitas mala fide possederit, & alii cives, qui in bona fide sunt, postea successerint?

Non poterit res usucapi, *arg. l.* 76. *D. de judic. vers. nam legionem.* nisi rerum domini posteà justam causam sam ambigendi civibus successoribus derint.

Tit. 6. Pro donato. Tit. 27. Lib. 7. Cod.

Quis est pro donato?

Cum res donatas & traditas à non domino, qui putabatur esse dominus, quis possidet, *l.* 1. *D. h.*

Tit. 7. Pro derelicto.

Quis est titulus pro derelicto?

Cum non dominus rem pro derelicto habuit, & eandem quis tanquam pro derelicto habitam possidet, *l.* 1. *D. h.*

Tit. 8. Pro legato.

Quis est titulus pro legato?

Cum quis rem sibi legatam ab eo, qui putabatur esse dominus, possidet, *l.* 1. *D. h.*

Quid, si quis putaret rem sibi esse legatam, non tamen esset legata?

Nihil ei id proderit ad usucapionem pro legato, *l.* 2. *D. h.*

Tit. 9. Pro dote.

Quis est pro dote?

Cum quis rem aliquam in dotem à non domino accepit, *l.* 1. *D. h.*

Suntne & alii speciales tituli?

Sunt, ex solutione, & similes.

Tit. 10. Pro suo.

Quis est titulus pro suo?

Pro suo possidet ex omnibus causis per quas dominium directo acquiritur: estque generalis titulus, qui cum aliis concurrit, *l.* 1. 3. & 4. 5. *D. h.*

Quid, si quis erret in jure?

Errans nunquam usucapiet, sed recte is, qui ab errante habet, *l.* 2. *s.* 15. *D. pro empt. junct. s.* 5. *Inst. de usucap.*

Quis est effectus usucapionis?

Adjicit verum dominium, *l.* 3. *D. eod. l.* 20. *C. de pact.*

Quibus modis interrumpitur usucapio?

Vel naturaliter, cum quis dejicitur de possessione, *l.* 4. *s.* 22. & *seqq. D. eod.* aut eam voluntario dimittit, *l.* 30. *s.* 4. *D. de acquir. possess.* vel civiliter per citationem & litis contestationem, *l.* 10. *C. eod. l.* 7. *C. de præscript.* 30 *annor. Nov.* 112. *c.* 1.

Interruptio præscriptionis contra fidejussorem facta, an noceat reo?

Nequaquam, quia causa principaliter ad reum spectat. Pariter, si interrupta sit contra reum, non nocebit fidejussori.

PAN-

PANDECTARUM

LIBER XLII.

De Officio judicis. Tit. 17. Lib. 4. Inst.

Quod est officium judicis in causis dirimendis?

JUdicare ut legibus & moribus est proditum, *pr. Inst. h.* Majorem conscientiæ, quam falso probatorum habere rationem, *l.* 6. *§.* 1. *D. de offic. præsid.* & sequi regulam præscriptam in *l.* 19. *D. eod.*

Quomodo distinguitur?

Est vel mercenarium, vel nobile. Mercenarium inservit actionibus; cujus exempla sunt in *§.* 1. *& seqq. Inst. h.* Nobile est, cum justa motus æquitate judex quid statuit, licet nullus petat, cum actio directo non est in eam rem prodita, vid. *l.* 48. *D. de rei vind. l.* 11. *D. de noxal. action. l.* 38. *l. ultim. D. de petit. hæred.*

De Ordine cognitionum. Tit. 19. Lib. 7. Cod.

De Ordine Judiciorum. Tit. 8. Lib. 3. Cod.

Quis ordo servari debet in causis cognoscendis?

Sunt variæ hic regulæ observandæ. 1. Major causa minorem quæstionem ad se trahit. unde quæstio prius de tota hæreditate, quam de parte, vel de re aliqua singulari, *l.* 7. *D. de petit. hæred.* ac prius de proprietate fundi, quam servitute est finienda, *l.* 16 18. *D. de except.* 2. Quæstio status prius determinanda, quam bonorum, *l.* 12. *C. de ord. judic.* quod in omnibus præjudicialibus recipiendum est. Licet autem quæstio status non possit agitari coram eo judice, coram quo de bonis disceptatur, si ea sola sit ventilanda, tamen, cum incidit in quæstionem bonorum, à quolibet judice etiam delegato potest examinari, *l.* 3. *C. de judiciis.* ita tamen, ut non expresse feratur ea de re sententia,

sed

sed tantum per consequentiam ea definiatur per determinationem principalis controversiæ, *arg. l. 2. C de ord. jud.* 3. Prius momenti sive possessionis quam per proprietatis causa est cognoscenda, *l. 37. D. de jud. l. 3. C. fin. reg.* non simul, nisi qua unum judicium ex altero sequatur, & unum alteri conjunctum est.

Quando civilis actio criminali præjudicet, & an utraque ab eodem exerceri possit. Tit. 31. Lib. 9. Cod.

Quid, si concurrat actio civilis cum criminali?

Si per civilem [a] plus perculi sit in dilatione, quam per criminalem, civilis erit præferenda; ut, si agatur de possessione recuperanda interdicto unde vi, potest prius civiliter de possessione agi, *l. 1. C. de appellat. l. 7. C. ad L. Iul. de vi.* dum enim ageretur de criminali, privaretur dominus interim commodo possessionis, & periculum esset, ne interim partes venirent ad manus aut arma.

[a] Moribus quoque civilis actio criminali non præjudicat, sed utraquæ ab eodem exerceri non potest; quia hodie solis fisci procuratoribus criminalis actio competit, *Grot. l. 3. part. 33. n. 7. Christin. vol. 4. decis. 194. n. 4. Gudelin. de J. N. l. 5. c. 14.*

At contrarium videtur statui in l. 5. §. 1. D. ad L. Iul. de vi publ. & in l. 37. D. de judic.

Legibus allegatis non agitur tam de interdicto ac possessione, quam proprietate, quæ & possessio appellatur, *l. 78. D. de verb. sign.* Quin & hoc verum est, quod relinquendum sit arbitrio judicis, ut pro re nata æstimet, quæ causa sit urgentior, & in qua sit plus periculi, ut aliquando civilem, aliquando criminalem præponat, aliquando de utraque simul pronunciet, *arg. l. penult. C. de ord. cognit. l. quoniam. C. ad l. Iul. de adult. l. 8. C. ad L. Fab. de plagiar.*

Potestne & causa civilis criminalem tollere, vel contra?

Privata civilis pœnalis criminalem privatam, sed non rei persecutoria criminalem, nec etiam rei persecutoria

cutoria vel privata & civiliter pœnalis publicam tollit, *l. unic. C. h. l.* 16. *C. de falsi. l.* 23. *§.* 9. *D. ad L. Aquil.*

At videtur contrarium statui in l. 4. *D. de publ. jud.*

Præjudicium in *d l.* 4. significat præcedens judicium, ex quo præscribitur methodus, quid in sequenti judicio statuendum sit, non quod posterius tollatur.

Tit. 1. De re judicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus. Tit. 52. Lib. 7. Cod. & De sententiis & interlocutionibus omnium judicum. Tit. 45. Lib. 7. Cod.

Quid est res judicata?

Quæ finem controversiarum pronunciatione judicis accipit, quod vel contingit condemnatione vel absolutione, *l.* 1. *D. h.*

Quomodo distinguitur à sententia?

Aliquando est idem, quod sententia, *l.* 7. *D. de transact.* Aliquando est ea sententia quæ nullam deinde potest pati controversiam, cum tempus provocationis sit elapsum, *l.* 1. *C. h. l.* 32. *C. de transact.*

Quid, si post rem judicatam nova instrumenta fuerint reperta?

Vix restaurabitur res judicata, *l.* 4. *C. h. l.* 27. *in fin. de except. rei jud.* nisi constet, ex falsis testimoniis vel instrumentis priorem sententiam esse latam, *l. penult. C. de transact. l.* 33. *D. h.* vel justam quis possit allegare causam, ob quam denuo audiri debeat, *arg. l.* 2. 11. *&* 20. *de except. rei jud.*

Quid ergo est sententia?

Est pronunciatio judicis, qua controversia definitur.

Quomodo distinguitur?

Est vel definitiva, quæ finem controversiæ principali imponit; vel interlocutoria, cum de incidenti aliquo articulo fertur, *l.* 3. *C. h. l.* 1. *D. de re jud.*

Potestne de una parte sententia dici?

Id fieri potest, cum varia sunt litis capita, *l.* 15. *C. h.*

Qua

Quæ forma est servanda in sententiis ferendis?

Non aliter ferendæ sunt, quam lite contestata, probationibus omnibus auditis, & conclusione à partibus facta. Nec potest sententia dici nisi de rebus in judicium deductis, *l.* 18. *D. comm. div.*

Requiriturne præcise, ut condemnatio vel absolutio fiat?

Omnino *l.* 1, 3, 4. *D. h. l.* 21. *D. de recept. arbitr.* Nec obstat, quod non sint opposita verba; *condemno* vel *absolvo*: sufficit enim vim eorum expressisse, *arg.* 27. 59. *D. h.* Potest & in eadem sententia esse condemnatio & absolutio secundum varios articulos.

Quo loco debet judex dicere sententiam?

Quo more majorum jus solet reddi, *l.* 11. *D. de jast. & jur. l.* 6. *C. de sentent.* & jure Canonico requiritur, ut judices sedeant, *cap. ult. de sentent. in* 6.

Si à non competente judice judicatum essdicatur. Tit. 48. Lib. 6. Cod.

Valetne sententia ab incompetente judice lata?

Nullius est [a] momenti, *l. ult. C. h.* ut si judex militaris de negotio civili, *l.* 2. *C. h.* vel de proprietate, qui datus est ad quæstionem possessionis, pronunciaverit, *l.* 3. *C. h.* vel judicaverit supra modum jurisdictionis in summa, *l.* 1. *C. h. l. fin. D. de jurisd.* quo casu nec ad concurrentem summam sententia valet, quia forma non est servata.

[a] Ita sæpissime judicatum refert, *Christin. vol.* 4. *decis.* 94. *n.* 2. In Gallia a nullitates non obtinere, ideoque semper appellandum esse à sententia ab incompetente judice lata tradit *Autumn. C. h.* quod & nostris moribus admitti posset, si ab eo judice judicatum sit, à quo appellare licet.]

Quid, si existimaretur esse competens, cum non esset, annon erunt rata, quæ coram illo sunt gesta?

Siquidem fuerit ipsi data potestas ab eo, qui potestatem dandi habebat, sed propter qualitatem personæ non poterat esse judex; rata erunt, *l.* 3. *D. de offic. prætor.* secus, si potestatem illam non sit consecutus à superiori, *l. fin. D. de jurisdict.*

Quid,

Quid, si plures judicare sint jussi?

Omnes pronunciabunt, alioquin si unus absit, sententia nullius erit momenti. Sequi autem oportet, si omnes sint præsentes, pluralitatem suffragiorum: nec unus contradictione sua potest impedire, licet juraverit sibi non liquere, *l.* 36, 37. 39. *D. de re jud. l.* 27. *§.* 3. *D. de recept. arbitr.*

De Sententiis præfecti prætorio. Tit. 42. Lib. 7. Cod.

Estne quid singulare in sententiis præfectorum prætorio?

His, cum vice principis jurisdictionem exerceant in causis judicandis, data est prærogativa, ut nequeat ab ipsis [*a*] appellari, sed revisio peti possit inter biennium à sententia lata, *l. unic. C. h.* Restitutio adversus eorum sententias peti nequit, nisi coram illis ipsis, vel principe. *l. unic. D. offic. præf. prætor.*

[*a*] Idem de Supremæ in Hollandia Curiæ, quæ præfectorum prætorio vice fungitur, sententiis statutum est, *Instruct. ejusd. Cur. art.* 284.]

Quæ differentia est inter revisionem & appellationem?

In revisione non admittuntur novæ allegationes vel probationes, & permittitur executio sub cautione, modo proposita sit intra decennium, vel alias sine cautione, *Nov.* 119. *c.* 5. *auth. quæ supplicatio. C. de precib. imperat. offer.* Deinde revisio non admittitur secundo, *l.* 5. *C. eod.* quæ omnia in appellatione sunt diversa.

Qui secundum nostros mores in hisce causis assimilantur præfectis prætorio?

Summus Senatus, qui juri dicundo à Principe suo loco præfectus est: qualis est Suprema Curia.

De sententia, quæ sine certa quantitate profertur. Tit. 46. Lib. 7. Cod.

Valetne sententia sine certa quantitate?

Nequaquam, *§.* 32. *Inst. de action. l.* 3. *C. h.* nisi judex ad summam alibi expressam se retulerit. *arg. d. l.* 3. *l.* 59. *§.* 1. *D. de re Judic.*

Quid,

Quid, si sub conditione quid sit in junctum per sententiam?

Valebit, *l.* 1. *s.* 5. *D. quand. appell.* modo ex ea sententia non oriatur nimia incertitudo, *argum. d. s.* 5.

An ergo semper exprimenda sunt omnia & singularia?

Sufficit in universalibus judiciis in genere universitatem adjudicare, licet res singulæ non sint specialiter expressæ: eodem modo & in generalibus non obest generalitas; uti si condemnetur quis ad rationes reddendas, gregem restituendum: etiam in particularibus, si quid alternative petatur, vel ad factum agatur: vel cum certa est sententia dicta in principali, poterit in accessoriis, uti fructibus, usuris, & eo quod interest, in genere ferri sententia.

De Sententiis, quæ pro eo quod interest proferuntur. Tit. 47. Lib. 7. Cod.

Quomodo sententia ferri debet, cum de eo quod interest taxando disputatum est?

In hac re decisio est notabilis in *l. unic. C. h.* Si sint casus certi, duplum judex excedere non potest. Si incerti in tantum, quantum religioni judicis conveniens videtur, fiet condemnatio.

Qui sunt casus certi?

Qui habent certam quantitatem vel naturam, *d. l. unic.* quales sunt in contractibus, ex quibus id. quod in obligationem deductum est, certam æstimationem, recipit; ut venditiones, locationes, permutationes & similes.

Quid hoc est, Iudex non potest excedere duplum?

Iudex non potest nomine ejus quod interest condemnare ultra duplum, cui simplum inest: simplum autem est, res ipsa de qua litigatur ejusque vera æstimatio.

Quod pretium spectatur?

Non quod datum vel promissum est, sed pretium ejus temporis, quo interesse æstimari debet.

Quid,

Quid, si juramento in litem sit æstimandum id quod interest ob dolum?

Non pertinet ad *d. l. unic.* In infinitum enim jurare licet, & affectionis habetur ratio, *l.* 68. *D. de rei vindic.*

Quid dicendum est de pœnis?

In pœnis ex maleficiis non procedit regula, *l. unic.* quia in *d. l. unic.* contractuum tantum fit mentio, *fac. l.* 67. *§.* 1. *D. de furt.* Pœnas autem conventionales ab hac regula non excipimus, *arg. l.* 44. *D. de usur. junct. §. fin. Inst. de Verb. Oblig.*

Qui sunt casus incerti?

Qui incertam habent æstimationem, quantitatem, vel naturam, uti est obligatio ad factum, *l.* 13. *§.* 1. *D. de re judic. l.* 72. *in fin. D. de Verb. Oblig. d. §. fin. Inst. eod* pariter & quæstio de possessione rei alicujus, *l.* 1. *§.* 31. 40. *D. de vi & vi arm.* emptio jactus retis, *l.* 12. *D. de act. empt.*

Quomodo æstimatur id quod interest?

Et damni & lucri habetur ratio, *l.* 13. *D. rem. rat. hab. l. un. C. h.* nisi injustum sit lucrum, *l.* 71. *§. ult. D. de furt.* Fietque æstimatio utilitatis secundum communem rerum functionem, *l.* 63. *D. ad L. Falcid.* eamque quæ circa res ipsas est, *l.* 21. *§.* 3. *D. de act. empt.* cum alias in actione de eo quod certo loco, etiam extrinsecum lucrum spectetur, *l.* 2. *§. pen. & ult. D. de eo quod cert. loc.*

Quomodo solet distingui à DD. id quod interest?

Est aliud conventum, quod est pœna, *d. §. fin. Inst. de Verb. Obl.* Aliud singulare, quod est affectionis, cujus non habetur ratio, nisi ut actio detur, *l.* 35. *D. de minor. l.* 36. *D. de bon. libert.* vel cum juratur in litem, *l.* 68. *D. de rei vindic.* Aliud commune, quod revera est id, de quo hoc loco agitur

De Fructibus & litium expensis. Tit. 51. Lib. 7. Cod.

Annon & judex debet condemnare victum in expensas?

Omnino, *Nov.* 82. *c.* 10. *auth. post juxjurand. C. de judic.*

judic. l. 79. D. eod. §. 1. in fin. Inst. de pœn. tem. litig. Idem etiam admittendum est in criminalibus, *arg. l. ult. C. h.*

An nunquam victor potest condemnari in expensas?

Id fieri potest cum per eremodicium est condemnatus, quia litem deseruit, *l. 13. §. 2. C. de judic.*

Debetne præcise fieri condemnatio in expensas?

Possunt & compensari impensæ, si justa utrimque fuerit litigandi causa.

Quid, si non sint petitæ impensæ?

Æque potest judex in eas condemnare, *arg. l. 42. D. de re jud.* Si judex nihil pronunciaverit de iis, postea novo judicio peti non possunt, *l. 3. C. h.*

Quæ proprie sunt expensæ litis?

Necessariæ, *Nov. 82. c. 7.* quibus etiam accenseri possunt consilia Doctorum.

Potestne advocatus petere expensas in propria causa?

Non recte, sed sub nomine damni ipsi quid est tribuendum; potuisset enim interim aliis rebus vacare.

Annon & aliorum debet judex habere rationem?

Fructuum, aliarumque accessionum, *l. 1. C. h. l. 35. §. 1. D. de re jud. l. 7. 2. C. h.*

Quid, si non sint petiti?

De illis, qui percepti sunt ante litem inchoatam, non cognoscit judex nisi rogatus, *l. 25. §. 8. D. de ædilit. edict.* Præterquam in petitione hæreditatis, *l. 40. §. 1. & 2. D. de petit. hæred.* De iis autem, qui post litem inchoatam percepti sunt, recte sententiam fert, *l. 10. D. de usur.*

Quomodo & quando judex sententiam proferre debeat præsentibus partibus, vel una parte absente. Tit. 43. Lib. 7. Cod.

Potestne judex absentibus & non vocatis partibus sententiam dicere?

Nequaquam; sunt enim ad eam audiendam partes citandæ, *l. 47. D. de re judic. l. 7. C. h.* Cum autem præsentibus partibus iis est inchoata, & contra absentem

sentem pronunciatum, poterit absens non contumax appellare, *l. fin. C. h.* alias sententia ibit in rem judicatam, *arg. d. l. fin.*

Quid, si per contumaciam quis absit?

Non tantum recte sententia est lata, verum etiam non admittetur appellatio, *l. 53. D. de re judic. l. 23 §. fin. D. de appellat.*

Debetne necessario judex contra contumacem pronunciare?

Siquidem ex actis appareat, eum justam fovere causam, poterit absolvi, vel adversarius condemnari, *l. 1. C. h.*

At obstare videtur d. l. 53. D. de re judic.

Contumax damno litis est mulctandus, *d. l. 53. l ult. §. 1. D. de appellat.* nisi adversarii sit injusta causa: & deinde loquitur *d. l. 53.* proprie de eo, qui jus dicenti non obtemperavit, hoc est, extremum, quod in jurisdictione est, non fecit.

Quomodo quis dicitur proprie contumax?

Si evocatus tribus edictis, vel uno peremptorio non comparuerit, *d. l. 53. §. 1. l. 9. C. h.*

Annon sunt casus, quibus quis à contumacia potest excusari?

Sunt varii: uti adversa valetudo, necessaria absentia, *l. 10. C. h. d. l. 53. §. 1.* minor ætas, *l. 6. C. h.* ignoratio edicti peremptorii, *l. 1. §. penult. D. quæ sentent. sin. appell.* si sententia sit lata die feriato, vel insolito loco, *l. 4. 5. C. h.*

Quid, si absens reversus cognoverit se condemnatum?

Debet illico conqueri, & petere judicium redintegrari; alias nec appellatio nec restitutio in integrum instituti potetit, *l. 3. C. h.*

Si actor contumaciter absit, quid juris?

Absolvitur reus ab instantia, nec aliter actor auditur, quam refusis expensis & facta satisdatione judicio sisti, nisi reus malit litem peragere, *auth. quisemel. C. h.* Si reus sit contumax, mittitur actor ante litem contestatam, si res exigat, in possessionem bonorum rei juxta debiti quantitatem, *l. 8. C. h. Nov. 53.*

De

De Sententiis ex breviculo recitandis. Tit. 44. Lib. 7. Cod.

Quæ forma est servanda in sententia recitanda?

Sententia scribenda, & relata in breviculum sive compendium, recitanda est coram partibus *l.* 1. 2. 3. *h.* nisi lites sint viles, *authent. nisi. C. h.* Magistratus quoque illustres non tenentur ex scripto vel ipsimet retare, *d. l.* 2.

Sententiam rescindi non posse. Tit. 50. Lib. 7. Cod.

Potestne sententia postea mutari?

Nec suam, nec prædecessoris sententiam licet corrigere vel retractare, *l.* 1. *C. h. l.* 55. *D. de re jud.* ne quidem sub prætextu exceptionis peremtoriæ omissæ, *l.* 2. *C. h.* licet & judex profiteatur se sententiam tulisse contra conscientiam.

Quid juris in interlocutoria?

Potest re integra & parte citata, si de ejus præjudicio agatur, revocari, *l.* 14. *D. de re jud.*

Quid, si ipso jure sententia sit nulla?

Non opus est rescissione, & condemnationis verbum non tenet, *l.* 4. *s.* 6. *D. de re judic.* quapropter idem judex causam ex integro cognoscet, *l.* 59. *s. fin. D. eod.*

An ex iisdem actis potest denuo sententia ferri?

Recte, si vitium sit in forma sententiæ ferendæ, non si vitium respiciat merita & jus ordinarium causæ.

An ergo potest judex eam interpretari?

Non est dubium, *l.* 46. *D. de re judic. l.* 4. *s.* 1. *D. de appellat.* Qui enim interpretatur, proprie nihil immutat.

Quid, si semel sit interpretatus?

Postea id non potest corrigere, *d. l.* 55. *D. de re judic.*

De

De pœna judicis, qui male judicavit, vel ejus qui judicem vel adversarium corrumpere curavit. Tit. 49. Lib. 7. Cod.

Quid, si judex male judicaverit?

Si directo contra leges, sententia ipso jure est nulla, *l. 2. C. quand. provoc. non est necess.* alias quidem valet, propter autoritatem judicii *l. 65. §. 2. D. ad Trebell.* ita tamen, ut judex litem suam faciat, *l. ult. D. de extraord. cognit.* & si pretio vel gratia sit corruptus, fit infamis: ac propter dolum nullius momenti est sententia, *l. 7. C. quando prov. non est nec.* & jure novo triplum pecuniæ quam accepit, duplum ejus quæ ei promissa est, fisco præstat, dignitate amissa, & si criminalis sit causa, confiscatis omnibus bonis exulare jubetur, *Nov. 144. c. 2.*

Quid præstat is qui corrumpit judicem?

Amittit causam, nisi seipsum detulerit, & judicem esse corruptum probaverit, *l. 1. & auth. seq. C. h.*

Comminationes, epistolas, programmata subscriptiones, authoritatem rei judicatæ non habere. Tit. 57. Lib. 7. Cod.

Habentne vim rei judicatæ comminationes, epistolæ, programmata, subscriptiones?

Nequaquam, *l. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. C. h.* partium enim allegationes audiri & examinari debent. Nec fas est definiri temere, quod magnam deliberationem requirit, *l. 5. fin. C. h.*

Si ex falsis instrumentis vel testimoniis judicatum sit. Tit. 58. Lib. Lib. 7. Cod.

Quid, si ex falsis instrumentis vel testimoniis sententia sit lata?

Non habebit [a] effectum sententia, at restitutio in integrum potest peti, *l. 33. D. de re judic.* atque ea ratione sententia non tenet, *l. 1. & seqq. C. h.*

[a] Hoc nostris & Gallorum moribus ita demum obtinet, si à supremis Curiis, à quibus appellare nefas, sen-

sententia lata sit; nam alioquim à sententis ab inferioribus judicibus ex falsis instrumentis lata appellandum est. *Rebuff. ad Constit. reg. de litt. civil. art. unic. gloss. 3. n. 1, 2.*]

Quæ debent ad hanc rem probari?

1, Quod falsa sint instrumenta, *d. l.* 33. 2. Quod in priori judicio nulla ea de re sit habita cognitio, *l.* 1. *C. h.* 3. Quod judex motus fuerit per falsa instrumenta aut testimonia ad sententiam ita dicendam, *l.* 3. *C. h.*

Annon interim suspendenda est executio?

Omnino, *l.* 4. *C. h.* modo crimen falsi fuerit illatum, *d. l. fin.*

De Executione rei judicatæ. Tit. 53. Lib. 7. Cod.

Quando sententia est executioni mandanda?

Cum transit in rem judicatam, cum condemnatus passus est tempus appellandi expirare, vel renunciavit appellationi sive terminum solutioni petiit.

A quo facienda est executio?

Ab eo, quo jurisdictionem habet, *arg. l.* 4. *D. de jurisdict.*

Quid, si res, in quam executio facienda est, sita sit in alieno territorio?

Potest judex ejus loci rogari, ut sententiam exequatur, *l.* 15. *s.* 1. *D. de re judic.*

Quis ordo servatur in executione?

Sive in rem sive in personam mota sit actio, sit executio in res, ad quas condemnatio est facta, si haberi possint: si haberi non possint, in æstimationem earum, pignoribus captis, *l.* 7. *C. h.* & quidem primo in pecuniam numeratam, *l.* 15. *& fin. D. de re judic.* si illa non sit, in res mobiles. si nec illæ sint nec sufficiant, in res immobiles, post illas in nomina, *d. l.* 15. *s.* 2. Si nomina capiantur, satis est denunciationem fieri debitori, ne creditori suo solvat. Executioni autem non sunt subjecta militum stipendia, nisi res aliæ nullæ inveniantur. *l.* 4. *C. h.*

Quid,

Quid, si pignoribus captis nullus inveniatur emptor eorum?

Possunt ipsa pignora in solutum à debitore dari, *Nov. 4. c. 3.* Si ex fraude debitoris fuerit factum ut non inveniretur emtor, fiet missio in bona, *l. 3. C. h.*

Habetne executio semper effectum in solidum?

Sunt nonnulli, qui non in ulterius tenentur, quam facere possunt; ut Parentes, Patroni, Socii, (si contra eos ex causis societatis agatur) Donatores, Maritus, & similes, *l. 61. & seqq. D. de re jud. l. 15. §. ult. l. 26. l. 17. D. solut. matrim.*

Inter alios acta vel judicata aliis non nocere. Tit. 60. Lib. 7. Cod Et,

Quibus res judicata non nocet. Tit. 56. Lib. 7. Cod.

Soletne res inter alios acta aliis præjudicare?

Non solet, *l. 2. C. quib. res judic.* licet etiam egerint conjuncti vel consortes, qui mandatum non habent, *l. 1. 3. C. eod. l. 7. C. de reb. cred.* licet & quis sciverit aliunde causam agi, *l. 2. C. h. l. 63. D. de re judic.*

Sed annon scienti solet esse præjudicium?

Non, nisi is, cui primæ defendendi partes sunt, patiatur secundum agere vel defendere, *d. l. 63.* vel nisi jus ejus, qui non egit, pendeat à jure ejus, qui egit, *l. 8. §. penult. D. de inoffic. l. 3. D. de pign.*

De Usuris rei judicatæ. Tit. 54. Lib. 7. Cod.

Quæ usuræ in causis judicatis solent præstari?

Post quadrimestres inducias, quæ condemnatis in actione personali dantur à die sententiæ, *l. 2. l. ult. in fine C. h.* centesimæ [a] ex sorte præstandæ sunt: non ex usuris, licet ante judicium cesserint, *l. 1. 2. 3. C. h.*

[a] Id moribus nostris non observatur, usuræ n. rei judicatæ hodie non præstantur, nisi in condem-

nationem deductæ sint, *Neostad. Supr. Cur. decis.* 38. *Christin. vol.* 4. *decis.* 105. *n.* 4. *Rebuff. ad Const. Reg. in præm. glos.* 5. *n.* 90.]

Si plures una sententia sint condemnati. Tit. 55. Lib. 7. Cod.

Quid, si plures una sententia condemnentur, debentne singuli teneri in solidum, & in singulos potest fieri executio?

Non in solidum, sed pro virili parte, etiamsi omnes condemnati [a] sint ad certam quantitatem, *l.* 1. 2. *C. h. l.* 43. *D. de re judic.* quamvis cæteri non sint solvendo, *d. l.* 2. ac singuli ante condemnationem fuerint in solidum obligati, *arg. d. l.* 2. nisi in sententia expressum sit, singulos condemnari in solidum; vel sit additum, supplendum esse à cæteris, si unus non sit solvendo, *l.* 1. *C. h.* vel nisi sit res talis, quæ non possit pro parte præstari, *l.* 2. *s.* 1. *&* 2. *D. de Verb. Oblig. l.* 192. *pr. D. de Reg. Iur. l.* 17. *D. de servit. l. ult. D. de servit. legat. junct. l.* 65. *de evict.* vel nisi non ut singuli, sed ut universi sint judicati, *l.* 4. *s.* 2. *D. de re judic.* vel nisi plures unius delicti nomine sint condemnati, *arg. l.* 11. *s.* 2. *D. ad L. Aquil.*

[a] Quæri hic possit, an sententia contra reum lata absq; novo processu executioni mandari possit contra fidejussorem de judicatum solvendo? Negativam Jure civili veriorem esse eleganter defendit *Herbajus l. sing. quotid. quæst. c.* 4. atque ita in senatu Sabaudiæ judicarum refert *Faber C. lib.* 8. *tit.* 28. *def.* 8. Affirmativa tamen communi Doctorum calculo prævalet, adeoque nostris & aliorum moribus recepta est, ita ut in literis executorialibus fidejussoris quoque nomen exprimi sufficiat, *Radelant. Cur. Traject. decis.* 16. *Autumn. h. Christin. vol.* 4. *decis.* 105. *n.* 3. *Minsing. cent.* 4. *obs.* 96.]

Tit. 2. De Confessis. Tit. 59. Lib. 7. Cod.

Quid, si quis confessus sit in jure?

Habetur pro judicato, *l. unic. C. h.* & eadem tempora ei tribuntur, quæ condemnatis, per *l.* 21. *D. de jud. &* 31. *D. de judic.*

Quis

Quis debet confiteri, ut confessus habeatur pro judicato?

Quisque in sua causa: confessio enim alterius alteri non præjudicat, *l.* 11. *§.* 1. *D. de interrog. in jur. faciend. l. un. C. h.*

Quando vere dicitur quis confessus, ut pro judicato habeatur?

1. Si sit facta confessio coram judice, eoque competente, *l. unic. C. h. l.* 4. *extr. de judic.* extrajudicialis enim vere non probat, *l. unic. C. l.* 6. *§.* 3. *D. h.* nisi parte præsente facta legitime possit probari, *l.* 25. *in fin. de probat. l.* 13. *C. de non num. pec. l.* 18. *C. de testib.* 2. Si confessio si certa, & facta ex causa certa, *d. l.* 6. *in princ. D. h.* 3. Si confiteatur is, qui potest obligari, & qui non errat, *l.* 2. *D. de jur. & fact. ignor.*

Annon peti potest in integrum restitutio?

Aliquando id necesse est; uti si impubes ex autoritate tutoris, vel minor quid sit confessus, *d. l.* 6. *§.* 5.

Quid, si Procurator sit confessus absente domino?

Si id ei non sit specialiter mandatum, non nocebit domino, quod & in advocato procedit, *d. l.* 6. *§.* 4. nisi necessitas ei respondendi fuerit imposita, *leg.* 25. *§.* 1. *D. ad L. Aquil.* Procurator vero sine mandato confessus sibi præjudicat, *l.* 9. *§.* 4. *D. de interrog.*

Nocetne & in criminalibus sola confessio?

Siquidem nulla sit alia probatio, confessiones reorum pro exploratis facinoribus non habentur, *l.* 1. *§.* 17. *& fin. D. de quæst.*

Quid, si quis confessus sit partem ejus quod objectum est, & non fuerit acceptatio facta?

Aut sunt distincta capitula, super quibus confessio est facta. hoc casu licet partem rejicere, *arg. l.* 5. *D. de legat.* 2. *l.* 10. *D. de usu & usufr.* Aut est idem actus, cujus pars tantum acceptatur. hoc casu locum habet regula: pro parte non potest probari, pro parte reprobari, *arg. l.* 4. *D. de legat.* 2. *l.* 38. *de legat.*

Potestne confessio coram judice semel recte facta revocari?

Non potest; magis itaque, si geminata fuerit, nisi error fuerit commissus.

Quid, si geminata sit extra judicialis?

Non nocebit, si parte absente sit facta. Nec contrarium est in *l.* 22. *C. ad S Consult. Vellejan.* quia ibi agitur de amissione singularis privilegii: uti nec in *l.* 3. *C. de plus petit.* cum ibi non tractetur de confessione secunda quæ fit parte absente, sed cautione secunda præsenti tradita.

Debetne post confessionem sententia ferri?

Non est necesse ad certitudinem causæ de qua judicandum est, *l.* 25. *s.* 2. *D. ad L. Aquil. l.* 1. *D. de confess. l.* 56. *D. de re judic.* sed ad executionem judicati.

Quid, si quis sit confessus in articulo mortis?

In præjudicium aliorum talis declaratio nihil operatur, tam in civilibus, *l.* 6. *C. de testam.* quam in criminalibus, *l.* 3. *D. ad S Consult. Syllanian.* Secus quoad hæredes, si testator dicat sibi solutum esse, *l.* 1. *&* 4. *C. de falsi. caus. adject.* vel si aliquem liberet à crimine, *l.* 2. *D. S Consult. Syllan.*

Quid, si testator confessus sit se debere?

Si hæredes probare possint, nullam esse causam debiti, audiendi sunt, *l.* 93. *s.* 1. *D. de legat.* 3. & quidem id non erit nullius momenti, quia tanquam fideicommissum, non vero ut debitum, exigetur, *l.* 28. *s. ult. D. de liberat. legat.*

Tit. 3. De cessione bonorum. Tit. 71. Lib. 7. Cod.

Quod tandem remedium dabitur debitoribus, si omnibus, quibus debent, non possint satisfacere?

Est miserabile beneficium [a] cessionis, per quod debitores hæc consequuntur. 1. Ne detrudantur in carcerem, *l.* 1, *C. h.* 2. Si pervenerint ad pinguiorem fortunam, ne teneantur in solidum, sed quantum facere possunt. *s. fin. Inst. de action. l.* 6, 7. *D. h.* 3. Ne fiant infames, *l.* 1. *C. h.*

[a] Vide

[a] Vide de hoc beneficio, *Grot. introd. lib. 3. part. 41? Edict. Carol. V. edit. 19. Maji 1544. Zypæ. notit. jur. Belg. h. Christin. vol. 4. decis. 124. Brun. tract. de bonor. cess.*]

Quibus est permissum bonis cedere?

Quibuslibet, sive sint filiifamilias sive patres, *l. 7. C. h.* licet etiam juraverint se soluturos, nisi speciali jure prohibeantur; quales sunt, qui bona in fraudem alienarunt, qui foro cedunt magna patrimonii parte sublata, vel luxuriose bona consumserunt, qui scientes se non esse solvendo æs alienum contraxerunt, etiam tutores ex administratione tutelæ vel administratores piæ causæ, etiam ii, qui beneficium competentiæ habent, ut & qui post inficiationem debiti convincuntur.

Ex quibus causis admititur cessio?

Ex causis civilibus, non criminalibus, licet etiam condemnatio in mulctam pecuniariam esset secutura; non ex causis munerum declinandorum, *l. 5. C. h.* vel debitis tributorum, *d. l. 5.*

Quid, si quis renunciaverit huic beneficio?

Non debet ei adimi ex eo solo beneficium, siquidem inopinata fortunæ adversitas ipsi supervenerit, licet etiam juraverit se non usurum hoc beneficio, *argum. l. ult. §. ult. D. de his quæ in fraud. creditor.*

Quomodo faciendæ est bonorum cessio?

Potest fieri vel in jure vel extra jus, etiam per nuntium vel epistolam, *l. final. D. h.*

Quid, si creditores inter se dissentiant in eo, utrum quinquennales inducia an beneficium cessionis admittendum sit?

Spectandum est, à quorum parte sit summa major debiti, licet sit æqualis numerus creditorum, aliive sint hypothecarii, alii chirographarii. Sin autem in quantitate & numero creditores sint æquales, magis audiendi sunt, qui inducias concedunt, *arg. d. l. fin.*

Prodestne beneficium cessionis etiam fidejussoribus?

Nequaquam, quoniam personæ cohæret, *paragr. fin. Inst. de replic. junct. l. 7. pr. & paragr. 1. D. de except.* uti nec inducirum quinquennalium.

Tit. 4. Quibus ex causis in possessionem eatur?

Annon solent creditores in bonorum possessionem mitti?

Solent, [a] quoties debitor animo fraudandi latitat, nec à quopiam defenditur, *l.* 3. *l.* 9. *C. de bon. auth. judic. l.* 7. *§.* 1. *&* 2. *D. h.*

[a] Nostris & Gallorum moribus propter reorum contumaciam actores non mittuntur in bonorum possessionem, sed contra contumaces ad definitivam proceditur, *Zypæ. de Dolo & contum. versic. nemo. Christin. vol* 4. *decis.* 224. *in f. Autumn. h. Mornac. in l.* 1. *C. de resti. milit.*]

Quid, si contra quosdam latitet fraudandi animo, contra quosdam non?

Æque fiet missio, *d. l.* 7. *§.* 7.

Quid in pupillis, furiosis, & prodigis?

Et in horum bona potest fieri missio, non ex causa latitationis, *d. l.* 7. *§.* 9. sed si non defendantur, *d. l.* 7. *§.* 10. *junct. l.* 3, 4, 5. *D. h.* Sin autem posteà defendantur, cogitur missus possessionem deserere, *d. l.* 5. *§.* 2. *&* 3.

An & creditor conditionalis mittitur?

Recte ex primo decreto, *l.* 6. *D. h.* non ex secundo, *l.* 14. *in fin. D. h.*

Quis est effectus decreti primi?

Tantum creditor consequitur custodiam rerum, *l.* 12. *D. h.* non possessionem, multo minus dominium: quod verum est, tam in actione personali, quam reali.

Quid, si debitor non compareat ad se defendendum?

Mittendus est creditor ex secundo decreto, post annum elapsum à primo, intra quem si debitor compareat & caveat, possessionem recuperare potest, *l.* 8. *in fin. C. de præscript.* 30 *annor* & non tantum in actione personali, sed & reali præstat secundum decretum petere, ob generalitates textuum.

Quis est effectus secundi decreti?

Consequitur creditor jus veræ possessionis, usucapiendi

piendi conditionem & fructuum utilitatem, *l. 8. D. de damn. infect. l. 3. §. fin. D. de acquir. poss.* non vero dominium, nisi longi temporis possessio accesserit, *l. 15. §. 16. D. de damn. infect.* quo sensu explicari debent *l. 1. D. de fund. dotal. l. 7. §. 8. D. commun. divid. junct. l. 4. D. eod.*

Prodestne missio tantum missis?

Non tantum missis, sed & omnibus aliis creditoribus, qui eandem causam debiti prætendunt, *l. 12. D. de bon. autor. jud. poss.* siquidem præsentes intra biennium vel absentes creditores intra quadriennium compareant, & creditum suum probent, nec non expensas factas refundant.

Tit. 5. De rebus authoritate judicis possidendis, vel venundandis. Tit. 72. Lib. 7. Cod.

Potestne propria authoritate possessio accipi?

Nullo modo, sed desideratur ad eam rem authoritas judicis.

Quid, si debitor perseveret in eadem contumacia?

Iudicis est præfigere certum tempus, quo elapso bona possunt distrahi, *l. 9. C. h.* ut facta distractione creditoribus satisfiat.

Ubi manent fructus?

Ex primo decreto missi tantum eos custodiunt, qui à debitore sunt percepti; vel percipiunt & custodiunt, quos debitor negligit percipere, *l. 5. §. 22. D. ut in poss. ss.* Ex secundo decreto missi ipsi fructus percipiunt, & vendunt, vel rem locant in commodum omnium, *l. 5. 1. l. 9. pr. & §. 1. D. h. t.*

Quid, si res fuerit ante à debitore locata?

Stabitur ei locationi à creditoribus missis, modo nihil in fraudem factum sit, *d. l. 9. §. 1.* Nec obstat, quod emptor non teneatur conductionem à venditore factam servare, *l. 9. C. de locat. & cond.* est enim alia ratio venditoris qui rem singularem emit, quam creditoris qui in res debitoris mittitur.

Quid in impensis statuendum?

Et illæ sunt restituendæ, si sint bona fide factæ: nec

oberit quod non profuerint debitori, *d. l.* 9. §. 2. & 4.

Quid, si debitor post missionem ex secundo decreto veniat, & se defendere velit?

Non audietur, nisi solvat omne damnum, præstetque fidejussorem de lite prosequenda, *Nov.* 53. *cap.* 4.

Tit 6. De privilegiis creditorum. De privilegio fisci. Tit. 73. De privilegio dotis. Tit. 74. Lib. 7. Cod.

Debentne omnes creditores eodem modo ad bona debitoris admitti?

Nequaquam, habenda enim est ratio hypothecarum, & privilegiorum, de qua re supra ad tit. qui potiores in pign. Hypothecæ tantum ex tempore, *l.* 4. *C. qui pot.* privilegia ex causa [a] æstimantur, *l.* 32. *D. h.* cujus causæ ordo ex lege sola accipiendus. sic privilegium ob impensas funeris omne creditum antecedit, *l. penult. D. de relig.* Post hoc succedit privilegium in primipilo, *l. fin. C. de primipil.* vel in tributis publicis, *l.* 1. *C. si propter pensitat. publ.* Post hoc, privilegium ex causa emptæ militiæ acquisitum, secundum formam *Nov.* 97. *c.* 4. Post hoc privilegium mulieris in dote; de quo in *l.* 12. *C. qui pot. & in l. d. Nov. c.* 3. & 4. quod locum habet, si vel ipsa vel liberi hæredes agant de dote, *d. l.* 12. *in fin.* non si alii hæredes, *l. unic. C. h. de privil. dotis.* Post hoc creditoris, cujus pecunia res est empta, & pro pecunia obligata, *l.* 7. *C. qui pot.* vel pupilli, cujus nummis res est empta, *l.* 7. *D. qui potior.* Post hoc creditorum, ob sumptus factos ad refectionem rei obligatæ, *l.* 5. & 6. *D. qui pot. l.* 1. *D. ex quib. caus. tacit. d Nov. c.* 3. sive tacite sive expresse, *Dd. Ll.* Privilegia hæc prædicta, & si quæ sunt alia, sunt supra hyphthecas: & creditores ex iis privilegiis præferuntur hypothecariis. Post creditores privilegiarios veniunt hypothecarii ex ordine temporis, inter quos & fiscus est, qui ex contractu nullam habet prærogativam, *l.* 8. *D. qui pot. in pign.* nisi in bonis post contractum acquisitis, *l.* 28. *D. de Iur. fisc.* quorum ratione habet privilegium etiam supra hypothecam.

pothecam. Ad ordinem hypothecariorum tantum sunt etiam referendi pupilli, pro administratione tutorum, licet privilegium iis sit datum, *l.* 19. *s.* 1. *D. de reb. auth. jud.* missi in possessionem, ac qui ex causa judicati pignus acceperunt, vel ex arresto sibi id compararunt, *l.* 10. *l.* 11. *D. l.* 2. 4. 6. 7. 8. *C. h. l.* 5. *C. ut in possess. legat. l.* 15. *s. quid si res. D. de re judic.* Eo tantum observato, quod missi in possess. ex sola causa missionis inter missos nullum habeant jus prælationis, *l.* 10. *C. de bon. autor. jud. poss. l.* 12. *D. eod.* Post hypothecas privilegiati hunc fere habent ordinem. Primum locum tenent, qui pecuniam apud nummularios deposuerunt sine fœnore, *l.* 7. *s.* 2. *D. depos. l.* 24. *s.* 2. *D. de reb. author. jud.* Secundum, qui in navem fabricandam, &c. vel in cibaria nautarum crediderunt sine pignoris mentione, *l.* 26. 34. *D. eod.* non si in rem emendam, nisi pecunia sit militis, pupilli, vel dotalis. Tertium, qui simplex habent privilegium: quales sunt, respublica, *l. penult. in fin. D. eod.* pupilli in bonis eorum, qui negotia ex amicitia gesserunt, *l.* 23. *D. eod.* Quartum ii, quorum pecunia ad privilegiatos pervenit ex destinatione creditoris, *l.* 24. *s. fin. D. eod.* Post hosce reliqui creditores chirographarii vocantur pro rata debiti, sine ulla temporis ratione, *l.* 6. *C. eod.* Hoc tamen attento, ut creditores secundum loca & bona debitoris, quæ reperiuntur, ubi negotiatio est habita, potiores sint, *l.* 5. *s.* 15. *&* 16. *de tribut. act.*

[a] Concordat *Cur. Holland. decis.* 35.]

Quid, si pecunia aliqua sit residua?

Debitori est restituenda, vel deficiente debitore, deponenda apud Thesaurarium Ecclesiæ, *l. ult. C. eod.*

Tit. 7. De Separationibus.

Quod est remedium contra hæredem debitoris suspectum?

Est separationis, quo creditores defuncti petunt, ut bona hæredis ab hæreditate defuncti separentur, *l.* 1.

§. 1. *D. h.* Fit autem separatio ex decreto prætoris, *d. l.* 1. *pr.* pro parte hæreditatis, *l.* 7. *C. de bon. author. jud. poss.*

Possuntne creditores hæredis separationem petere?

Nullo modo, *d. l.* 1. §. 2. nisi fraus sit commissa, *d. l.* 1. §. 5.

Qui creditores possunt petere?

Tam chirographarii, quam hypothecarii, intra quinquennium ab adita hæreditate, *d. l.* 1. §. 13. nisi vendita sit hæreditas bona fide, *l.* 2. *D. h.* Post id tempus non agitur ad separandum, uti nec si bona hæreditaria cum hærede sunt confusa, vel novatio aliqua sit facta inter creditores defuncti & hæredem, *d. l.* 1. §. 10. 11, 15. *D. l.* 2. *C. h.*

Quid, si quis ex creditoribus defuncti habeat hypothecam?

Ea hypotheca non extingitur etiam post quinquennium, quia pignoris onus perpetuum est.

Quid, si hæres obligaverit creditori defuncti rem hæreditariam?

Jure separationis hypothecario creditore potior exit qui separationem impetravit, *l.* 1. §. 3. *D. eod.*

Quid, si concurrant hypothecarii creditores defuncti cum hæredis hypothecariis?

Potiores erunt creditores defuncti in rebus hæreditariis; hæredis, in rebus hæredis, licet tempore sint posteriores; aditione enim hæreditatis non fit confusio hypothecarum, *l.* 38. §. *fin. D. de solut.* & confusio personarum non tollit naturam rerum; licet nulla sit separatio facta. In chirographariis vero necessaria ad eam rem est separatio.

Quid, si hæres inventarium fecerit?

Id habetur loco separationis, *arg. l. fin. §. in computat. C. de jur. delib.*

Quid, si creditor defuncti satis accepertt, vel dictaverit judicium hæredi?

Si satis acceperit, cessat separatio, *d. l.* 1. §. 11. non vero si judicium dictaverit, *l. fin. D. h.* Ratio differentiæ est, quia primo casu res citra necessitatem, altero ex necessitate est gesta.

Tit. 8.

Tit. 8. De Curatore bonis dando.

An hæc omnia, quæ pertinent ad venditionem bonorum, & similia, non præstat per unum debitoris loco administrari?

Solet dari curator bonorum unus vel plures à prætore ex consensu majoris partis creditorum ad bona vendenda, pecuniam recipiendam, æs alienum solvendum, actiones omnes instituendas & excipiendas, *l.* 1. *s.* 1. *l.* 2. *l. fin. D. h.*

Qui possunt esse curatores bonorum?

Eligi possunt ex creditoribus, etiam extranei, nunquam vero inviti cogendi sunt, nisi ex magna causa, *l.* 2. *s.* 3. *&* 4. *D h.*

In quid tenebuntur?

Singuli in solidum, nisi per regiones distinxerint officia, *d. l.* 2. *s.* 2. *l.* 3. *D. h.* vel invitus quis sit datus, *d. l.* 2. *s. fin.*

Potestne curator bonorum agere nomine creditorum hypothecaria adversus tertium possessorem?

Nullo modo: quia non tam procuratoris creditorum, quam vicem debitoris gerit, *arg. d. l.* 2. *s.* 1. *vers. iisque.*

Tit. 9. Quæ in fraudem creditorum facta sunt, ut restituantur. Tit. 57 Lib. 7. Cod.

Quid, si quid in fraudem creditoris sit alienatum?

Uti Calvisiana & Faviana dantur Patronis ob res in fraudem alienatas, ita Pauliana creditoribus. *l.* 1. *D. h.* Hæc actio non est absolute in personam, sed & in rem: licet enim regulariter non detur, nisi adversus fraudis conscios, *l.* 6. *s.* 8. *D. h.* tamen & aliquando datur contra eos, qui non sunt fraudis conscii; ut si donatæ sint res. *d. l.* 6. *s.* 11. *&* 12.

Quando creditoribus datur?

Cum missi sunt in possessionem, excussis prius bonis debitoris, *l.* 1. *C. h.*

Estne alia actio prodita, quæ creditoribus missis in possessionem datur in s. item si 6. Inst. de act?

Posset id videri, cum ibi tradatur ea, quæ in rem

est. Itaque recte accipitur actio revocatoria in *d. §. 6.* ea, quæ competit ob alienationem factam, postquam creditores missi essent: cum Pauliana agat de alienatione in fraudem facta ante missionem, *arg. l. 1. pr. D. h.*

Quid, si debitor hæredem sit nactus, an & is revocare potest?

Nequaquam, *l. 4. C. h.*

Adversus quos datur?

Adversus ipsum debitorem, *l. ult. C. h.* & eos, in quos fraudis conscios vel testato conventos, ne comparerent, res sunt translatæ, *d. l. 6. pr. 8. l. 10. pr. 5. D. h.*

Quid, si dos filiæ dicatur data in fraudem?

Si non possit probari fraus filiæ, eaque abstinuerit ab hæreditate paterna, conveniri vix potest, *l. 2. C. h.*

Quid in tutoribus receptum?

Eorum fraus quoque pupillis nocet, quatenus ad pupillos quid ex ea pervenit, *d. l. 10. paragr. 5.*

Quid dicitur in hac re proprie alienatum?

Quicquid ex bonis imminutum est, non si lucrum sit omissum; ut si hæreditati [a] sit renunciatum, *l. 7. pr. & §§. segg. D. h.*

[a] Ideoque Jure civili & moribus nostris nihil vetat quo minus filius paternam hæreditatem, adeoque & ipsam legitimam, in creditorum præjudicium possit repudiare, *Fachin. l. 13. controv. 46.* atque ita judicatum refert *Sande l. 3. tit. 13. def. ult.*]

Quando fraus dicitur esse facta?

Cum consilio & eventu sunt fraudati creditores, *l. 15. D. h. l. 47. D. de reg. jur.* nisi mortis causa donatio sit facta, in qua solus eventus sufficit, *l. 1. §. 1. D. si quid in fraud. patron.*

Cui incumbit probatio?

Creditori. Ad hanc vero rem sufficiunt indicia, & actus clandestini.

Intra quod tempus oportet agere?

Intra annum utilem, *l. 1. l. 10. D. l. ult. C. h.* qui computatur à die, quo rationes patrimonii debitoris fuerint excussæ, vel potius, quo venditio est facta, *arg. l. 6. paragr. fin. l. 10. paragr. 18. D. h.*

Quid,

Quid, si quis suum receperit?

Quia sibi vigilavit, & suam conditionem fecit meliorem, non ei auferetur, licet sciverit bona non esse solvendo, modo bona non essent possessa, *l.* 6. *§.* 17. *l.* 24. *D. h.*

Quæ veniunt in hanc actionem?

Etiam fructus, qui tempore alienationis rei cohærent, & post litem contestatam percepti sunt, & qui percipi potuerunt, *d. l.* 10. *§.* 20. *l. ult. §.* 4. *&* 6. *D. h.* non autem sunt restituendi à possessore fructus medio tempore percepti, quia nunquam debitoris fuerunt.

Debentne creditores pretium restituere?

Nequaquam, *l.* 7. *D. h.* licet etiam minori precio res fuerit vendita, *l.* 7. *D. h.* Verum in hac re arbiter animadvertet, ut, si nummi soluti in bonis extent, reddantur, *l.* 8. *D. h.*

PANDECTARUM

LIBER XLIII.

Tit. 1. De interdictis, sive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt. Tit. 1. Lib. 8. Cod. Tit. 15. Lib. 4. Inst.

Quid sunt interdicta?

ACtiones [a] extraordinariæ, quibus agitur, ut quid jubeatur, vel vetetur, quibusque potissimum agitur de possessione vel quasi, *pr. Inst. h.* Judicium autem in hisce dicitur ex eo possessorium, quod est vel summarium, vel plenum.

[a] Interdictorum formulæ hodie non observantur, *Autumn. h. Christin. vol.* 4. *decis.* 133. *n.* 12. De interdictis possessoriis vide *Merul. lib.* 4. *tit.* 23. *c.* 5. *& tit.* 24. *c.* 10. *Rebuff. ad Constit. Reg. tom.* 3. *tract. de mater. poss. ff.*]

Quomodo distinguuntur?

Varie, prout *l.* 1. *&* 2. *D. h.* explicatur. Sunt enim alia de divinis, alia de humanis rebus. De rebus humanis,

manis, vel alicujus, vel nullius, *d. l.* 1. *pr.* Sunt vel exhibitoria, vel restitutoria, vel prohibitoria, *d. l.* 1. *§.* 1. *D. & §.* 1. *Inst. h.* Rursus, quædam in præsens, quædam dantur in præteritum, *d. l.* 1. *§.* 2. Rursus, quædam in rem, quædam in personam directa, *d. l.* 1. *§.* 3. Rursus, quædam perpetua, annalia quædam, *d. l.* 1. *§.* 4. Rursus, quædam simplicia, quædam duplicia, *l.* 2. *D. §.* 2. *Inst. h.* Præcipua autem hæc videtur esse divisio. Quædam sunt hominum causa; quædam divini juris aut de religione. Hominum causa, vel pertinentia ad publicam utilitatem, vel juris sui vel officii tuendi causa, *d. l.* 2. *§.* 1. vel ad rem familiarem defendendam. Hæc sunt vel adipiscendæ, vel recuperandæ, vel retinendæ possessionis, *d. l.* 2. *§.* 3.

Ad quam speciem referri debent interdicta confirmandæ possessionis?

Ad retinendæ: cum, qui agit ad conservandam vel confirmandam possessionem, de ea retinenda cogitet, *arg. l.* 72. *D. de procurat.*

Tit. 2. Quorum bonorum. Tit. 2. Lib. 8. Cod.

Quod est interdictum quorum bonorum?

Quod datur ei, cui ex edicto prætoris bonorum possessio est delata, contra eum, qui pro hærede vel pro possessore possidet, ut realem hæreditatis possessionem obtineat, *l.* 1. *D. h. §.* 3. *Inst. de interd.*

Quale est?

Est restitutorium, adipiscendæ possessionis, non ad res singulas sed universitatem pertinens, *d. l.* 1.

An & datur hæredi tam ex testamento quam ab intestato?

Datur & directo: modo hæreditatem vel bonorum possessionem coram magistratu agnoverit, *arg. d. l.* 1. *junct. l. un. D. si ex leg.* & utiliter, licet simpliciter adierit.

Daturne & adversus debitores hæreditarios?

Non, sed tantum adversus eos, qui corpora possident, *l.* 2. *D. h.*

In quibus distinguitur petitio hæreditatis ab hoc interdicto?

Petitio hæreditatis datur ob res corporales & incorporales, pleno jure proprietatis habendas. hoc vero interdictum tantum ad res corporales possidendas, *l. fin. D. h.* In petitione hæreditatis exactior probatio exigitur, quam in hoc interdicto.

Potestne hoc interdictum impediri objectione dominii?

Potest, si sine multa ac altiori indagine probetur dominium, *l. fin. C. h. l.* 3. *C. de interd.*

Tit. 3. Quod legatorum. Tit. 3. Lib. 8. Cod.

Quod est interdictum, quod legatorum?

Interdictum adipiscendæ possessionis, quo agit hæres post aditam hæreditatem ut possessionem rei legatæ, quam legatarius occupavit, adipiscatur, *l.* 1. *pr. §.* 1. 2. *D. h.* Æquissimum enim est, ut legatarius non sibi jus dicat, licet dominium ad eum pertineat, *l.* 80. *D. de legat,* 2. sed ab hærede possessionem habeat, *d. l. §.* 2.

Atqui dolo qui mox redditurus est petit. l. 171. *§.* 3. *D. de reg. jur.*

Id verum est, cum non interest actoris, ut rem interim habeat: interest autem hæredis, ut constet de legato, an debeatur, propter legem Falcidiam, ob æs alienum; ac deinde hic tantum agitur de possessione interim habenda, non de re ipsa.

Annon legatarius amittit rem legatam, quod eam occupet sine voluntate hæredis, secundum l. 13. *D. de eo quod met. caus. l.* 50. *D. ad L. Falcid.?*

Recte quidem, si hæreditatem hæres adierit; secus si non adierit: ac deinde, multa possunt bona fide fieri, licet hæres non consenserit.

Quibus datur?

Omni successori universali, sive sit hæres sive hæredis hæres, *d. l.* 1. *§.* 3.

Contra quem?

Omnem legatarium, qui sine voluntate hæredis, ante vel post aditam hæreditatem, vel cum voluntate ante aditam rem legatam occupavit, *d. l.* 1. *§.* 2.

& 18. ff. h. licet etiam servandi legati causa sit missus in possessionem, modo hæres satisdederit, d. l. 1. §. 9. Etiam contra eum, qui dolo malo desiit possidere, d. l. 1. §. 7. ut & contra cohæredem ex causa præceptionis pro ea parte, quam jure legati habet, d. l. 1. §. 6. nec non contra successores legatariorum, sive sint universales, sive singulares, d. l. 1. §. 10. & 13.

An & in donatione mortis causa interdictum habet locum?

Expresse id negatur, l. 1. §. 5. ff. h. l. 2. C. de donat. mort. caus. Quod intellige, si ex voluntate defuncti donatarius sit adeptus possessionem.

Quid in fideicommissario statuendum?

Adversus eum dari si singularis sit, non est dubitandum, arg. §. 2. Inst. de legat l. un. C. h. In quo textu verba generalia ad singularem fideicommissarium sunt restringenda.

Quid, si res non restituatur?

Agendum in id, quod interest, l. 2. §. 2. ff. h. & ad fructus, l. 3. ff. de Interdict.

Tit. 4. Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit.

Quo remedio utuntur missi in possessionem?

Habent interdictum partim prohibitorium partim restitutorium, l. 3. §. 2. ff. h. adversus illos, qui dolo fecerunt, quo minus missi in possessionem bonorum sint, comparata actione in factum, qua id quod interest petitur, l. 1. pr. §. 2. & 5. ff. h.

Tit. 5. De tabulis exhibendis. Tit. 7. Lib. 8. Cod.

Quod est interdictum de tabulis exhibendis?

Est exhibitorium, quo agitur, ut tabulæ testamenti vel alterius ultimæ voluntatis, l. 1. §. 2. ff. h. licet injusta sit, d. l. 1. §. 4. exhibeantur, & earum apprehendendarum copia fiat, l. 3. §. 8. ff. h.

Quibus competit?

Omnibus, quibus quid relictum est, sive per institutio-

tutionem sive per substitutionem, *l. unic. C. h.* Et non tantum hæredibus, sed & legatariis, *l. 3. §. 10. ff. h.*

Contra quem datur?

Adversus eum, qui tabulas detinet, easve dolo habere desiit, *d. l. 3 §. 6.* non eum, qui confitetur, quia is extra ordinem compellendus est. Verum recte contra eum, qui negat se exhibere posse, aut se teneri exhibere, *l. 1. §. 1. ff. h.*

Quid, si non exhibeantur tabulæ intra tempus præstitutum?

Fit condemnatio in id quod interest; non certum vero est tempus anni vel aliud, sed ex officio judicis dependet, *l. 3. paragr. penult. ff. h.*

Quid consequitur hæres vel legatarius hoc interdicto, cum id quod interest præstandum est?

Æstimatio in hærede ad hæreditatem, in legatario ad legatum est transferenda, *d. l. 3. §. 11. 12. 13.* In conditionalibus vero fiet, quasi existente conditione, nec legatarius cavebit de restituendo, *d. l. 3. paragr. 14.*

Quid, si æstimationem consecutus sit legatarius, potestne postea agere?

Si idem hæres præstiterit, repellendus est exceptione doli; si alius, minime, *d. l. 3. paragr. 15.*

Cessatne aliquando hoc interdictum?

Non competit, si hæreditatis controversia ex iis dependeat, aut si ad publicam quæstionem pertineat: itaque in sacra æde aut apud virum idoneum sunt deponendæ, *l. fin. ff. h.*

Daturne hoc interdictum hæredibus & contra hæredes?

Datur hæredibus, *d. l. 3. paragr. fin.* non contra eos, nisi qua possident, vel dolo desierunt tenere tabulas.

Tit. 6. Ne quid in loco sacro fiat.

Quid est in interdicto, ne quid in loco sacro?

Vetatur, ne quid quod deformitatem vel incommodum habet, fiat in loco sacro, vel immittatur, *l. 1. pr. & paragr. 1. ff. h.* quod & referendum est ad portas aut alia loca sancta, *l. 2. ff. h.*

Tit.

Tit. 7. De locis & itineribus publicis.

Quæ sunt loca & itinera publica?

Quorum usus omnibus vacat, *l.* 2. *s.* 2. 3, 4. 5. *ff. ne quid in loc. publ.* In hisce quolibet postulante interdicitur, *l.* 1. *ff. h.*

Tit. 8. Ne quid in loco publico vel itinere fiat.

Quæ sunt interdicta de locis publicis?

Sunt varia. Primum est prohibitorium, ne quid in iis fiat, vel in ea immittatur, ex quo damnum detur, præterquam, si quid lege concessum sit, *l.* 2. *pr. &* *s.* 1. *ff. h.*

Quid, si quis prohibeatur piscari in mari aut navigare, vel in publico ludere?

Non dabitur hoc interdictum, sed actio injuriarum, *d. l.* 2. *s.* 9.

Quod est secundum?

Ne quid in itinere publico fiat, vel immittatur, quo reddatur deterius, *d. l.* 2. *s* 20.

Quod est tertium?

Quod in loco publico vel itinere factum vel immissum est, restituatur, *d. l.* 2. *s.* 35.

Quod est quartum?

Ne vis fiat ei, qui in loco vel itinere publico ire, agere velit, *d. l.* 2. *s. fin.*

Tit. 9. De loco publico fruendo.

Quod est quintum?

Ne vis ei fiat, qui loco publico à se conducto secundum legem locationis frui desiderat, *l.* 1. 2. *ff. h.*

Tit. 10. De via publica, & si quid in ea factum esse dicatur.

Quomodo distinguitur via?

Est vel publica, vel privata. Publica, cujus solum est publicum, relictum ac directum certis finibus, ut ea publice commearetur; quam regiam, prætoriam, consu-

consularem appellant, *l. 2. §. 21. & 22. ff. ne quid in loc. publ.* Privata est, in qua privatum solum est, quæ & Agraria dicitur, vel quæ ducit ad agrum alterius, vel aliter, *d. §. 21. 22. & seqq.*

Quæ igitur sunt viæ militares & vicinales?

Militares publicæ sunt, & exitum habent ad mare, in urbes, aut in flumina publica, aut in aliam militarem. Vicinales, quæ ex agris privatorum factæ in vicis sunt, vel in vicos ducunt, vel in militares vias exeunt, vel sine exitu intermoriuntur, *d. §. 22. l. 3. ff. de loc. & itiner. publ.*

Quæ sunt de viis publicis interdicta?

Eadem, quæ & ante de *loc. publ.* sunt proposita. Itaque pro sexto interdicto ad loca publica accipietur, ut secundum civitates viæ adæquentur, effluxiones non noceant domibus, pontes fiant ubi oportet, *l. 1. pr. ff. h.* ne parietes, qui ad viam ducunt, sint caduci. ne quis effodiat vel subruat vias, nihil fiat in iis, ex quo deterior sit earum usus, non permittantur rixæ, nec projectio stercoris, morticinæ vel pellium, quæ fœtorem excitent.

Tit. 11. De via & itinere publico reficiendo.

Quod est septimum?

Ne vis fiat ei, qui viam publicam, iterque publicum aperire, hoc est, ad veterem latitudinem restituere, vel reficere velit, dum ne via vel iter deterioretur.

Quid, si quis viam publicam exaraverit?

Ad munitionem ejus solus compelletur, *l. fin. §. 1. ff. h.* Si in agrum vicini viam publicam quis rejecerit, dabitur in eum actio viæ receptæ, quanti interest ejus, cujus fundo nocitum est, *d. l. fin. ff. h.*

Quid, si via publica impetu fluminis vel ruina sit amissa?

Vicinus proximus viam præstare debet, *l. 14. §. 1. ff. quemadm. servit. amitt.* sed sumptibus publicis, *arg. l. 13. §. 1. ff. commun. prædior. l. 2. C. quib. ex caus. serv.*

Tit. 12. De Fluminibus, ne quid in flumine publico, ripave ejus fiat, quo pejus navigetur

Suntne & de fluminibus interdicta?

Sunt. Primum est, ne quid in flumine publico, ve ripa fiat vel quid immittatur, quo statio iterve navigio deterius fit, *l.* 1. *pr. ff. h.* Secundum, ut quod in flumine publico vel ripa ejus factum est vel immissum, quo statio iterve navigio deterius fit, restituatur.

Quæ sunt flumina publica?

Quæ sunt perennia: Privata, non perennia, *l.* 1. *paragr.* 2, 3. *ff. h.* Distinguuntur autem flumina à rivis, magnitudine aut existimatione circumcolentium, *l.* 1. *prargr.* 1. *ff. h.* vel quod flumina ex fontibus originem ducant & se in mare exonerent; rivi ex fluminibus deducantur.

Tit. 13. Ne quid in flumine publico fiat, qua aliter aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit.

Quod est tertium in fluminibus?

Ne quis faciat vel immittat, quo aliter fluat, quam priori æstate fluxit flumen, *l. pr. h.*

Quod est quartum?

Ut quod factum vel immissum est, ex quo aqua fluminis aliter fluat, quam priori æstate fluxit, restituatur, *d. l.* 1. *paragr.* 11.

Tit. 14. Vt in flumine publico navigare liceat.

Quod est quintum?

Vt liceat in flumine publico navigare, ratem agere, per ripam onerare vel exonerare merces: ut & liceat per lacum, fossam, stagnum publicum navigare, *l. unic. pr. ff. h.*

Tit. 15. De ripa munienda.

Quod est sextum?

Ne vis fiat ei, qui in flumine publico vel ripa ejus desi-

desiderat facere opus, ripæve vel agri tuendi causa, dum ne navigatio fiat deterior.

Quod est septimum?

Vtis, qui ripam munire vult, de damno infecto, antequam opus fuerit factum, vicinis & his qui trans flumen possident, caveat in annos decem viri boni arbitratu.

Tit. 16. De vi, & vi armata. Vnde vi. Tit. 4. Lib 8. Cod.

Quæ sunt interdicta de rebus familiaribus?

Sunt varia: quorum primum est, *unde vi*, recuperandæ possessionis, *§. 6. Inst. de interdict.* De hoc Prætor ait: *unde tu illum vi dejecisti, vel familia tua, de eo, quæque ille ibidem habuit, &c. judicium dabo, l. 1. ff. h. d. §. 6.*

De qua vi accipiendum est?

De expulsiva, eaque quæ commissa est circa possessionem immobilium, vel earum, quæ immobilibus cohærent, *l. 1. §. 6. 8. ff. h.* non vero circa mobilium possessionem, *d. l. 1. §. 6.* nisi sint in re immobili, à qua quis dejectus est, *d. l. 1. §. 6.*

Quibus datur?

Qualicunque possessori, *d. l. 1. §. 23.* sive animo sive corpore possideat, *d. l. 1. §. 23.* sive juste sive injuste, *d. l. 1. §. 30. l. 12. ff. h.* licet etiam possideat vi, clam, vel precario à dejiciente, *d. §. 6. Inst.* Datur & usufructuario, *l. 3. §. 13. & seqq. ff. h.* non colono, quia sibi non possidet, *d. l. 1. §. 22.* nisi colonus eum, cui locator fundum vendiderat, quique missus erat in possess. non admiserit, & deinde vi ab alio sit dejectus, *l. 12. l. 18. ff. h.* Quo facto possessionem sibi arrogasse videtur.

Datur ne & hæredibus?

Id admittitur, *d. l. 1. §. 44. ff. h. §. 1. vers. sed hæredibus. Inst. de perpet. & tempor. act.*

Quid, si quis dejecerit me, sed non meos, per quos retineo possessionem?

Non dabitur hoc interdictum, *d. l. 1. §. 45.* quia possessorem non dejecit, *d. §. 45.*

Contra

Contra quos datur?

Adversus dejicientem, vel eum, qui mandavit, aut ratum habuit. *d. l. 1. §. 11. 12. ff. h.* Etiam adversus hæredes in id, quod pervenit actione in factum agi potest, *l. 1. §. fin. l. 2. l. 3. §. fin. ff. h.* non adversus singularem possessorem, *l. 7. 15. ff. h.* ne quidem in subsidium, cum dejiciens non est solvendo, *arg. l. 155. ff. de reg. jur.* Vindicari vero potest res ordinaria actione.

Quid, si Titius vi expulerit, Mævius vero in vacuam possessionem intraverit, Titio eam non apprehendente?

Habet locum hoc interdictum, quia verum est possessorem esse dejectum, *l. 4. §. 22. ff. de usurp. & usucap.* etiam contra Mævium, ex *l. ult. C. h.* maxime si Mævius volentem priorem possessorem rursus occupare vi depulerit, *arg. l. 6. §. fin ff. de acquir. poss. ff.*

An ergo contra invadentem vacuam possessionem nullum datur aliud interdictum?

Magis est ut detur etiam *uti possidetis*, *arg. l. 3. pr. l. fin. ff. uti possid.*

Ad quid datur hoc interdictum?

Ut dejectus ante omnia pristinam possessionem recuperet (si civiliter agatur) *l. 8. C. h.* cum fructibus, & omnibus utilitatibus ex die dejectionis, *d. l. 1. §. 40.* ac omnibus rebus mobilibus propriis ac alienis, quas præstare debet, quasque ibi habuit dejectus, *d. l. 1. §. 33. & seqq.*

Quid, si dominus sit dejiciens?

Non auditur, etiamsi in continenti offeratur probatio, *l. 1. C. si per vim.* nisi dejectus consentiat tacite vel expresse, ut cognoscatur de proprietate, *c. 1. x. de restitut. spoliat.*

Teneturne ad ullam quæstionem dejectus respondere, antequam ipsi sua sint restituta?

Nequaquam, *cap. fin. x. de ord. cog.* Spoliatus enim ante omnia est restituendus.

Quid, si probari non possit, quæ res mobiles sint ablatæ?

Siquidem vis sit probata, per juramentum actoris

fiet

fiet æstimatio, *l. 9. C. h.* &, si dejectus postea sit mortuus, etiam hæres jurare poterit, modo sciat, quæ res ibi fuerint eo tempore, quo vis est facta.

Si quis vim patiatur, quid faciet?

In continenti eam potest jure repellere, *l. 3. §. 9. ff. h.* adeoque, qui in vi repellenda alterum occidit, cum aliter ipsi parcere non potest, ac usus est moderamine inculpatæ tutelæ, jure eum occidit, *l. 1. C. h.*

Suntne & alia remedia, quibus consulitur?

Sunt varia. 1. Accusatio ex judicio publico de vi. 2. Remedium *l. 7. C. h.* per quod, si dominus expulerit, dominium amittit; si alius, præter restitutionem rei, mulctatur ejus æstimatione, quam dejecto præstare tenetur, *§. l. 7.* Hoc ipsum & contra fœminam datur. 3. Remedium ex *Can. redintegr. caus. 3. quæst. 1.* cujus beneficio consulitur iis, qui injuste quolibet modo possessionem suarum rerum amiserunt, ut possessionem recuperare possint à quolibet, maxime eo, qui non ignorabat eam vi esse ablatam, *c. 1. 8. x. de restit. spoliator.*

Si per vim vel alio modo absentis turbata sit possessio. Tit. 5. Lib. 8. Cod.

Quid, si vi, vel alio modo absentis possessio turbetur?

Potest quilibet, imo & servus, absentem defendere, etiam sine mandato, salvo jure domini, ut omni tempore, quo reversus sit, possessionem amissam recuperet, *l. 1. C. h.* licet etiam occupans obtinuerit Principis rescriptum, *l. 2. C. h.*

Tit. 17. Vti possidetis. Tit. 6. Lib. 8. Cod.

Quod est secundum interdictum de rebus familiaribus?

Vti possidetis, quod datur iis, qui possident res immobiles, vel quasi, vel res incorporales, quæ instar immobilium se habent, adversus eos, qui turbant in possessione; qua de re prætor ait: *uti eas ædes, quibus de agitur, nec vi, nec clam, nec precario, alter ab altero possidetis, quo minus ita possideatis, vim fieri veto, l. 1. ff. h.*

Qui-

Quibus datur hoc interdictum?

Iis, qui suo nomine possident etiam vitiose ab alio, modo non ab adversario, *l. unic. C. h. s. 4. Inst. de interdict.* Non colonis competit, ullive, qui alterius nomine in possessione est: imo nec misso in possessionem custodiæ tantum causa, *l. 3. s. 8. ff. h.* recte autem usufructario, *l. ult. ff. h.* & sequestro, si possideat.

Potestne dari dejecto per vim?

Recte ei, cujus absentis possessio est occupata, *l. 6. s. fin. ff. de acquir. possess.* non vero ei, qui per vim dejectus est.

Contra quos datur?

Contra turbantes ac impedientes usum possessionis quolibet modo, *l. 3. s. 3. ff. h.* Imo & contra eum, qui metum intulit, ne quis colere fundum audeat, *d. l. 3. s. 4.*

Quo tempore requiritur hic actoris possessio?

Litis contestatæ, *d. s. 4. Inst. de interdict.* & si utrinque litigantes possessionem probent, qua probant tuendi sunt, secundum regulam *l. 3. pr. ff. h.*

Potestne dominii exceptio hic opponi?

Non, quamvis in continenti & sine difficultate probari queat; ne detur occasio delinquendi, *arg. l. 176. ff. de Regul. Iur.*

Tit. 18. De Superficiebus.

Quid, si quis turbetur circa superficiem?

Datur interdictum, simile uti possidetis, de superficie, quod usum superficiei contra turbatores tuetur, *l. 1. ff. h.*

Quid est superficies?

In genere quicquid supra faciem terræ & soli existit, plantæ, vineæ, & similia, *l. 13. ff. de serv. prad. rustic.* In specie est ædificium à conductore in fundo consensu Domini positum, *l. 2. ff. h. l. 18. s. ei qui in conducto 4. ff. de damn. infect*

Quid juris habet superficiarius in genere?

Habet, dum in conductione est, jus dominio simile: unde & ipsi competit actio in rem, *l. 1. s. 6 ff. h.* sc. qua superficies spectatur, *d. s. 6.* non proprietatis jus.

Tit. 19.

Tit. 19. De itinere actuque privato.

Estne & speciale de itinere vel actu privato interdictum?

Hac de re est prohibitorium ad tuendas servitutes rusticas, simile uti possidetis, quo is, qui iter vel actum possidet, non vitiose ab adversario defenditur adversus turbantes, *l.* 1. *ff. h.*

Tit. 20. De aqua quotidiana & æstiva.

Quod est interdictum de aqua quotidiana?

Ne vis fiat ei, qui aquam non vitiose ab adversario duxit hoc anno, *l.* 1. *pr. ff. h.*

Quæ est quotidiana aqua?

Qua quis assidue possit uti, licet non utatur, *d. l.* 1. *§.* 2.

Tit. 21. De rivis.

Quod est interdictum de rivis?

Ne quis turbetur rivos, specus, septa reficere, purgare aquæ ducendæ causa, dum ne aliter aquam ducat, quam priori æstate non vitiose ab adversario duxit, *l.* 1. *ff. h.*

Tit. 21. De fonte.

Quod est interdictum de fonte?

De hoc prætor ait: uti de fonte hoc anno aqua non vitiose ab adversario usus est, vim fieri veto, *l.* 1. *pr. ff. h.*

Quid est hic fons?

Qui aquam habet vivam: itaque in cisterna locum non habet, *d. l.* 1. *§.* 14.

Estne aliud interdictum de fonte?

Est, ut liceat reficere vel purgare aquæ coercendæ causa, dum ne aliter utatur, quam eo anno non vitiose ab adversario usus est, *d. l.* 1. *§.* 6. quod & de lacu, puteo & piscina reficiendis dicitur.

Tit. 93. De cloacis.

Quod est interdictum de cloacis?

1. Vt cuilibet cloacam privatam purgare, & resice-

re liceat, modo caveatur de damno, *l.* 1. *D. h.* 2. Ne quid in cloaca publica factum vel immissum habeat, quo usus ejus deterior sit, *d. l.* 1. *s.* 15.

Tit. 24. Quod vi aut clam.

Esne interdictum, quo agitur de eo, quod per vim vel clam factum est?

Est, nominaturque *quod vi aut clam*, de quo prætor ait; Quod vi aut clam factum est, quo de agitur, id cum experiundi potestas est, restituas, *l.* 1. *pr. ff. h.*

Quid est vi facere, vel possidere?

Vi factum videtur contra prohibitionem, testationem, vel denunciationem, vel cum quis sciens se prohiberi, per vim molitus est, ne prohiberi possit, *d. l.* 1. *s.* 5, 6, 7, 8, quique facientem prohibuit, isque inpræsentiarum destitit, *d. l.* 1. *s.* 1.

Quid, si alius sine dolo ejus, cujus est factum, deterruerit ne prohiberet?

Non est locus huic interdicto, ne in aliena potestate sit, conditionem alterius nihil delinquentis deteriorem facere, *d. l.* 1. *s.* 10. *& seqq. l.* 2. *adde l.* 3. *l.* 20. *ff. h.*

Quid est clam facere?

Qui celavit adversarium neque nunciavit, si timuit aut timere debuit controversiam, aut qui aliter fecit, quam denunciavit, *l.* 3. *s.* 7. *&* 8. *l.* 4. *l.* 5. *ff. h.*

Cui datur hæc actio?

Domino, omnique ei, cujus interest, licet non possideat, *l.* 16. *pr. ff. h.* ita colono & fructuario nomine fructuum, *l.* 12. *ff. h.*

Quid, si præter fructus amplius Domini interest?

Etiam ejus nomine agetur, *d. l.* 12.

Quid, si is qui fecit, jus faciendi habuerit?

Id non attenditur, *arg. l.* 1. *pr. & s.* 1. *ff. h.*

Daturne hoc interdictum hæredibus & adversus hæredes?

Hæredibus quidem, sed non adversus hæredes, nisi qua pervenit, *d. l.* 15. *s.* 3. non post annum, *d. s.* 3. Annus autem cedere incipit, ex quo opus perfectum fit aut fieri desiit, *d. l.* 15. *s.* 4.

Licet-

Licetne propria autoritate destruere, quod vi aut clam factum est?

Non licet, nisi necessaria sit causa, quæ autem sit causa necessaria, ex arbitrio judicis dependet, *l.* 7. *s.* 3. *ff. h.* Præstat autem de facto destruere, si periculum sit in mora.

Tit. 25. De remissionibus.

Quid est remissio?

Est nunciationis novi operis solutio, vel ex voluntate nunciantis, vel prætoris imperio, vel alia causa justa.

Quid petitur interdicto de remissionibus?

Ut nunciationis, si jure ea non teneat, missio fiat, *l. unic. pr. ff. h.*

Tit. 26. De Precario. Tit. 3. Lib. 8. Cod.

Quod est interdictum de precario?

Ut restituatur, quod precario est concessum, *l.* 2. *pr. s.* 1. *&* 2.

Quid dicitur concessum precario?

Quod precibus petenti concessum est, ac semper potest repeti, *l.* 1. *princ. ff. h.* Habere autem dicitur precario, qui possessionem corporis vel juris adeptus est ex hac tantum causa, quod preces adhibuit & impetravit, ut possidere utive liceat, *l.* 1. *pr. l.* 2. *s. fin. l.* 3. *ff. h.*

In quibus rebus consistit precarium?

In quibuslibet, tam mobilibus quam immobilibus, *l.* 4. *ff. h.*

Daturne interdictum hoc hæredi & contra hæredem?

Precarii rogatio quidem ad hæredem ejus, qui concessit, transit; sed non ad hæredem rogantis: cum ipsi duntaxat non hæredi concessa sit possessio, *l.* 12. *s.* 1. *ff. h.* Hoc autem interdicto & tenetur hæres rogantis, uti ipse defunctus, *l.* 8. *s. fin. ff. h.*

An anno & post annum datur?

Non est dubitandum, cum & in longum tempus possit concedi, *l.* 8. *s.* 7. *ff. h.*

Sed, si tempus adjectum sit, non videtur naturam suam, quæ est, quod semper possit repeti, amittere?

Nulla est vis ejus conventionis, ut rem, alienam domino invito quis possidere possit precario, *l.* 12. *ff. h.*

Possidetne, qui precario rogat?

Possidet, si id fuerit actum, *l.* 2. *s. fin. l.* 4. *s.* 1. *l.* 25. *s.* 4. *l.* 19. *ff. h.*

Quæ culpa est præstanda in precario?

Tantum lata, *l.* 8. *s.* 3. *ff. h.* licet in commodato levissima sit. Ratio differentiæ est, quia precarium semper potest revocari, *l.* 1. *ff. h.* non commodatum.

Tit. 27. De arboribus cædendis.

Quod est interdictum de arboribus cædendis?

De hisce duo sunt. 1 Ne vis fiat illi, qui adimit tuam arborem & sibi eam assumit, quæ ex ædibus tuis in ædes suas impendet, si per te stet, quo minus eam adimas, *l.* 1. *pr. h.* Hoc competit & domino & usufructuario, *d. l.* 1. *s.* 4. 2. Ne vis fiat illi, qui arborem tuam altius à terra, cum per te stat quo minus coërceas, coërceat 15 pedes à terra, lignaque tollat, sibique habeat, *d. l.* 1. *s.* 7. *ff. h.*

Annon prius denunciandum est domino arboris, ut tollat vel coerceat?

Omnino in utroque interdicto, quod indicant verba, *si per te stet d. l.* 1. *pr. & s.* 7.

Quid, si arbor illius inclinata sit per ventum in fundum tuum?

Et adversus illum competit actio, jus ei non esse arborem ita habendi, *l. fin. ff. h.*

Tit. 28. De glande legenda.

Quod est interdictum de glande legenda?

Ne vis fiat illi qui glandem, hoc est, omnem fructum, qui in agrum alterius incidit, legit tertio quoque die, & aufert, *l. unic. pr. & s.* 1. *h.*

Tit.

Tit. 29. De libero homine exhibendo. Tit. 8. Lib. Cod.

Quod est interdictum de libero homine exhibendo?

Est exhibitorium, quo agitur, ut homines libri detenti exhibeantur; sive sint puberes sive impuberes, sive masculi sive fœminæ, sive sui sive alieni juris, *l.* 3. *s.* 1. *ff. h.*

Quibus datur?

Cuilibet nemo enim prohibendus est libertati favere, *d. l.* 3. *s* 9. Itaque & patri & matri, *l.* 2. *C. h.* marito datur, *l.* 3. *C. h.* Is autem, ad quem res maxime pertinet, & qui magis idoneus est, ob conjunctionem, fidem, vel dignitatem, inter plures præferri debet, *d. l.* 3. *s.* 12.

Sed an & creditori datur ad exhibendum debitorem?

Nequaquam, verum is petet, ut in bona latitantis debitoris mittatur, *l. fin. s.* 1. *ff. h.*

Contra quos datur?

Contra eos, qui invitos detinent dolo malo, *l.* 1. *pr. l.* 3. *s.* 5. *ff. h.* non ex jure potestatis, *d. l.* 3. *s.* 2. vel alia justa causa, *d. l.* 3. *s.* 4.

Tit. 30. De liberis exhibendis, item ducendis. Tit. 8. Lib. 8. Cod.

Quid est interdictum de liberis exhibendis?

Est exhibitorium, quod datur patribus ex causa potestatis, *l.* 1. *pr. ff. l.* 2. *C. h.* contra eum, qui detinet liberos invitos, *l. ult. ff. h.* non adversus ipsum filium: verum notio Prætoris succedet, ut apud eum disceptetur, utrum sit in potestate an non, *l.* 3. *s.* 3. *ff. h.*

Annon aliquando cessat hoc interdictum?

Cessat. 1. Contra matrem, si apud eam præstet liberos morari, *l.* 1. *s.* 3. *D. h.* 2. Contra generum, qui filiam duxit, *d. l.* 1. *s. fin.* 3. Si judicatum sit quod filius non sit in potestate, etsi per injuriam, *d. l.* 1. *s.* 4.

Potestne & maritus de uxore exhibenda ac ducenda agere?

Potest, non solum adversus extraneum, sed & patrem, *l.* 2. *ff. h.*

Tit. 31. Utrubi.

Quod est interdictum Utrubi?

Eodem modo se habet, quo *uti possidetis*, præterquam quod hoc referatur tantum ad res mobiles, *§.4. Inst. de interd. l. 1. §. 1. ff. h.*

Tit. 32. De migrando.

Quod est interdictum de migrando?

Id datur inquilinis, ne vis fiat iis, qui soluta pensione migrare, & invecta ac illata inde abducere volunt, *l. 1. pr. ff. h.*

Tit. 33. De Salviano interdicto. Tit. 9. Lib. 8. Cod.

Quod est interdictum Salvianum?

Est restitutorium, adipiscendæ possessionis, quod datur domino de possessione rerum coloni pignori obligatarum pro mercedibus fundi, *§. 3. in fin. Inst. de interd. l. 1. C. h.*

Atqui sufficere videbatur actio Serviana?

Nequaquam: Serviana enim agit de ipsa re; Salvianum de possessione. In Serviana non obtinet actor, nisi probet rem in dominio debitoris fuisse tempore oppignerationis, *l. 11. §. 1. ff. de pignor.* In hoc interdicto sufficit probari rem esse obligatam & possideri à conductore aut debitore. Serviana competit contra quemlibet possessorem. Salvianum autem tantum contra conductorem aut debitorem, *l. 1. C. h.*

Atqui in l. 1. §. 1. D. h. datur hoc interdictum contra extraneos quoscunque?

Communiter respondetur, *d. l. 1. §. 1.* accipiendum esse de utili interdicto; dictam autem, *l. 1. C. h.* de directo. Sed præstat absolute sequi præceptum *d. l. 1. C. h.* ac verbum (extraneum ac extraneos in *d. l. 1. §. 1. ff. h.*) explicare de colono, aut colonis, qui respectu sociorum extraneus vel extranei sunt.

Quid dicendum de partialibus colonis?

Et in iis locum habet, quia revera sunt coloni, *l. 1. ff. locat. conduct.*

Quid

Quid, si plures sint locatore?

Potior est conditio possessoris. Si autem convenerit, ut pro partibus sit res obligata, utilis actio datur pro partibus conventis, *l.* 1. *s.* 1. *ff. h.*

PANDECTARUM

LIBER XLIV.

Tit. 1. De exceptionibus, præscriptionibus, & præjudiciis. Tit. 36. Lib 8. Cod. Tit. 13. Lib. 4 Inst.

Quid est exceptio?

IN genere, est defensio rei adversus intentionem actoris: vel est exclusio actionis, *l.* 2. *ff. h.* vel conditio, quæ reum modo eximit damnatione, modo minuit damnationem, *l.* 22. *ff. h.* In specie autem, quæ ex lapsu temporis datur, Præscriptio dicitur. Quæ competit ex eo, quod per actionem alteri actioni graviori, quæ primo loco intentanda erat, præjudicetur, Præjudicium appellatur, *arg. l.* 16. 18. *ff. h.*

Quomodo distinguitur?

1. Vel opponitur, quia factum est quod fieri oportuit; uti est exceptio rei judicatæ, rei venditæ & traditæ, *l.* 1. 2. *ff. de except. rei vend.* vel quia factum est quod fieri non oportuit; ut exceptio doli, metus, *l.* 20. *ff. h.* vel quia non factum est, quod fieri debuit; ut exceptio bonorum possessionis non datæ, *d. l.* 20. 2. Cohæret vel personæ, & sic non transit ad alios, *l.* 7. *pr.* vel rei, & sic transit. *d. l.* 7. *s.* 1. 3. Est alia peremtoria ac perpetua, alia dilatoria vel temporalis, *s.* 8. & *seqq. Inst. h.*

Quæ est dilatoria?

Qua ad tempus lis differtur, *s.* 10. *Inst. eod.* Habita causa propter judicem, aut judicium, aut litigantes, aut ipsam causam.

Quæ respectu judicii & judicis est dilatoria,

Vel quia locus non est tutus, vel quia judex est suspectus, vel incompetens, vel inhabilis, & similis.

Quæ respectu litigantium?

Cum litigantes non habent personam standi in judicio: vel ineptam qualitatem actor adsumit aut reo tribuit: vel quis vocatus est sine venia, qui vocari non debebat: vel procurator nullum vel non idoneum habet mandatum, aut causa est talis, quæ non admittit procuratorem.

Quæ est respectu causæ?

Quando in ipsa causa quid est, quod suadet dilationem; qualis est pacti conventi, ne intra certum tempus petatur, plus petitionis, præjudicialis, ordinis, spolii, & similis.

Quæ est perpetua sive peremptoria?

Quæ ipsam litem perimit, ita ut postea non possit agi: quales sunt exceptiones doli, metus, & similes §. 9. *Inst. h. l.* 3. *D. h.*

Exceptio non numeratæ pecuniæ estne perpetua?

Est perpetua, quia cum est opposita, totam litem tollit, & non ad tempus sed perpetuo agentibus obstat, modo intra biennium proponatur.

Quomodo distinguitur peremptoria?

Est vel ex facto, ut rei venditæ & traditæ, pacti conventi, doli, præscriptionis; vel ex beneficio juris, uti Macedoniani, Vellejani.

Quæ regulæ sunt circa exceptionem observandæ?

1. Qui factum in exceptione allegat, debet id probare, *l.* 19. *D. de probat.* 2. Nemo prohibetur [a] pluribus exceptionibus uti, modo non sint contrariæ, *l.* 5. *D. h.* & reus non fuerit convictus mendacii. 3. Non confitetur intentionem adversarii, quicum agitur, qui exceptione utitur, *l.* 9. *D. h.*

[a] Hodie abbreviandarum litium causa omnes omnino exceptiones semel & simul proponendæ sunt, *Merul. lib.* 4. *tit.* 40. *c.* 1. *n.* 6. *Christin. vol.* 4. *decis.* 174. *n.* 15. *Gudelin. de J. N. l.* 4. *c.* 7. *Minsing. cent.* 5. *obs.* 89. Sed hoc fallit in exceptione declinatoria fori, litispendentiæ, litis finitæ, sub qua transactionis &

com-

compromissi in arbitros, *Instruct. Cur. Holland. art. 88. Ejusd. ampliat. art. 10. Merul. dict. loc.*]

Quando dilatoria est proponenda?

Ante litem contestatam, *l. ult. C. h.* quia causæ merita non respicit. unde & Advocatus punitur, si omissam postea voluerit exercere, secundum *l. penult. C. h.* nisi postea emerserit, vel reus ante non sciverit, de quo jurabit, vel nisi antea sit protestatus, *l. 4. D. h.* vel sit talis, quæ judicium reddit nullum, qualis est in *l. 24. C. de procurat.*

Quando probanda est dilatoria?

Ante litem contestatam. si sit declinatoria vel similis, pertinens ad judicem vel judicium declinandum, *d. l. ult. ff. h.* vel post litem contestatam, cum ad causam refertur, *l. 19. C. de probat.*

Quando est proponenda peremtoria?

Post litem contestatam, ante sententiam; modo ante contestatio de ea fiat, hoc est, utrimque de ea disceptetur, *l. 9. C. h.*

An & post sententiam?

Quoties exceptio non ex facto speciali, sed ex beneficio juris datur, uti est exceptio ex beneficio SConsulti Vellejani, Macedoniani, *l. 11. ff. ad SConsult. Maced.* vel cum restitutio dari potest, *arg. l. 36. ff. de minor.*

Sunne etiam aliquæ peremptoriæ, quæ ante contestationem litis proponi debent?

Sunt eæ, quæ non tantum merita causæ, sed & instantiam concernunt; uti rei judicatæ, transactionis, jurisjurandi: vel quibus reus excipit nullum esse jus actori; modo nullitas, quæ allegatur, in continenti probari possit. Si enim majorem indaginem res desiderat, rejicienda est exceptio in tempus post litem contestatam.

Quomodo concluditur in omni exceptione?

In peremptoria ad absolutionem: In declinatoria, reum non teneri peremptorie respondere, aut in ea qualitate qua agitur, eove tempore vel coram eo judice litem contestari cum actore, & ad ulteriora procedere,

Tit. 2. De exceptione rei judicatæ.

Quæ est exceptio rei judicatæ?

Qua reus allegat sententiam de controversia latam esse, atque ob eam causam litem non posse resuscitari.

Quando ea habet locum?

Cum est eadem res, eadem causa agendi, ac eædem personæ, ac earum eadem qualitas, *l.* 3. *& seqq. l.* 12. 13. 14 *ff. h.* Utrum autem sit diversum genus sive modus actionis an idem, non interest, modo eadem res eademque causa agendi maneat, *d. l.* 5.

Quid, si quis partem petat, qui totum ante petiit?

Manet eadem res, & sic exceptio hæc nocebit, *l.* 7. *ff. h.* Nec interest utrum in corpore hoc quæratur, vel in quantitate, vel in jure, id est, cum domus ante est petita, nunc solum, vel superficies petatur, vel cum, decem sunt petita, nunc quinque, & sic deinceps, *d. l.* 7. *ff. h.*

Tit. 3. De diversis temporalibus præscriptionibus, & de accessionibus possessionum.

Suntne diversæ temporales præscriptiones sive exceptiones?

Sunt tot, quot sunt modi præscribendi vel usucapiendi, videl. dierum, mensium, annorum, ut dictum est supra de usucap.

Quod tempus intelligimus per utile, & quod per continuum?

Utile est, quo facultas agendi est cum ratione adversarii, tum judicis, ut & actoris ipsius, *l.* 1. *D. h. l.* 55. *D. de ædilit edict. l.* 4. *in fin. D. de accus.* Continuum est, quo omnes dies tam feriati quam alii computantur, *l.* 1. *D. h.*

Debetne dies cæptus in usucapione haberi pro completo?

Omnino, licet etiam minimo momento novissimi diei res sit possessa, *l. pen. pr. D. h.*

An & tempora inter possessores conjunguntur?

Conjunguntur non tantum inter hæredes, sed & singu-

singulares successores, *l.* 14. *pr. & §.* 1. *l.* 15. *§.* 1. *D. h. §. penult. Inst. de usucap.* si auctores in bona fide fuerint, *l.* 5. *D. h. l.* 13. *§. fin. D. de acq. possess.*

Potestne nobis prodesse accessio, sine nostro tempore?

Non, *l. fin. D. h. d. l.* 13. *§. penult. D. de acquir possess.* Si autem medius aliquis ex auctoribus non possederit, præcedentium auctorum possessio non proderit, quia conjuncta non est, *d. l.* 15. *§.* 1. *D. h.*

Tit. 4. De doli mali, & metus exceptione.

Quando habet locum exceptio doli?

Movetur ex eadem causa, ex qua de dolo actio: specialiter vero exprimendum est, cujus dolo quid actum, *l.* 2. *§.* 1. *D. h.* Oritur hæc exceptio ex omnibus in factum actionibus, quia dolo facit qui, quod per exceptionem elidi potest, petit: nam, licet initio nihil dolo malo facit, attamen petendo committit dolum, nisi sit talis ignorantia, quæ dolo careat, *d. l.* 2. *§.* 5.

Contra quos datur?

Contra omnes, qui deceperunt, non alios, *l.* 11. *D. h.* Non adversus parentes aliasque personas, quibus reverentia debetur, *l.* 4. *§.* 16. sive ex suo sive alieno contractu conveniantur, *d. §.* 16. sed adversus eos excipiendum est in factum.

Potestne emptori objici exceptio de dolo authoris?

Siquidem ejus accessione utatur, æquissimum est patiatur dolum ejus, & exceptio rei cohærens emptori noceat; ea vero, quæ oritur ex delicto personæ, non nocet, *d. l.* 4. *§.* 26.

Potestne dolus procuratoris objici?

Si in rem suam sit datus, etiam de præterito excipi potest. Si in rem alienam speciale datum sit mandatum, dolus præsens in exceptione proponetur. Si omnium rerum commissa sit administratio, de omni dolo excipi poterit, *d. l.* 4. *§.* 18.

Quamdiu durat hæc exceptio, & quos habet effectus?

Finitur non biennio, uti actio, *l. fin. C. de dol.* sed perpetua est, *l.* 5. *§. fin. ff. h.* Nec ita famam violat, ut actio.

In quo distinguitur exceptio metus ab exceptione doli?

Uti actio ita exceptio metus in rem scripta, & in eâ non quæritur, uti in exceptione doli, utrum actor metum intulerit, an alius, *d. l.* 4 *s.* 33. sed tantum, an metus sit illatus, *d. s.* 33.

Tit. 5. Quarum rerum actio non datur.

Estne semper opus, ut exceptio proponatur?

Nequaquam: aliquando enim ipso jure non datur actio, ut si quis ad delationem juraverit se non debere, *l.* 1. *in pr. ff. h. l.* 7. *ff de jurejur.* si dolus contractui bonæ fidei causam dederit, *l.* 7. *D. de dol. mal.* si liquido constet, fœminam pro alio intercessisse, *l.* 2. *D. ad S Consult. Vellejan.* vel mutuum datum esse filiofamilias, *l.* 1. *D. ad Macedon.* si quis contrahat lege prohibente contrahere, *l.* 5. *C. de legib.*

Tit. 6. De Litigiosis. Tit. 37. Lib. 8. Cod.

Quæ est exceptio litigiosi?

Qua repellitur is, qui rem litigiosam ex aliquo contractu persequitur. Irrita enim est ejus [*a*] alienatio, & lis per eos peragenda per quos fuit cœpta, *l.* 2. *C. h.*

[*a*] Nostris & Gallorum moribus res litigiosa vendi, legari, & quovis alio legitimo modo ad alium transferri potest salvo jure tertii; ita ut sententia contra alienantem lata, contra tertium rei litigiosæ possessorem executioni mandari possit; Vide *Grot. l.* 3. *part.* 14. *n.* 23. *Christin. vol.* 4 *decis.* 175. *n* 10. *& vol.* 6. *decis.* 96. *Zypæ. Not. J. B. h. t. Gudelin. lib.* 3. *cap. ult.*]

Quæ res est proprie litigiosa?

Res sit litigiosa in actionibus personalibus per litis contestationem, *l.* 2. *C. h.* in realibus sufficit sola denunciatio sive citatio, *Nov.* 112. *cap.* 1.

Facitne & hypotheca rem litigiosam?

Nullo modo, *Nov.* 112. *cap.* 1. uti nec denunciatio impediendæ venditionis causa, *l.* 1. *D. h.*

Habene exceptio litigiosi locum contra eum, qui rem litigiosam petit ex causa legati vel fideicommissi?

Nequaquam; uti nec ex causa dotis, donationis propter

pter nuptias, *l. ult. C. h. d. Nov.* 112. quia in hac alienatione animus vexandi abest.

Quid præstabitur legatario, si res litigiosa sit legata?

Nihil aliud, quam litis eventus: adeoque omne periculum legatarii erit. Potest autem legatarius si velit judicio adesse, ne quid in fraudem committatur.

De Replicationibus. Tit. 14. Lib. 4. Inst.

Quid est replicatio?

Est defensio Actoris contra exceptionem Rei. *princ. Inst. h.*

Quid opponitur replicationi?

Duplicatio Rei, &, si ulterius procedant partes, procedit triplicatio ab actore, & quadruplicatio à Reo, *§. 1. & 2. Inst. h.*

Tit. 7. De Obligationibus & actionibus. Tit. 10. Lib. 4. Cod.

Quid est obligatio?

In genere, est vinculum juris, quo quis alteri est astrictus ad quid dandum, præstandum vel faciendum, *l. 3. D. h.* vel est juris vinculum, quo necessitate astringimur alicujus rei solvendæ secundum civitatis jura, *pr. Inst. h.*

Videtur inepta esse definitio, cum omissa sit factorum mentio, de quibus etiam potest esse obligatio, §. fin. Inst. de Verb. Oblig.?

Rei nomen late hic accipitur, ut etiam facta complectatur, *l. rei. D. de Verb. Signif.*

Quomodo distinguitur?

Est alia naturalis, alia civilis, alia mixta. Naturalis, quæ solo æquitatis, non juris civilis, vinculo substinetur, *l. 95. §. 4. de solut.* Hæc oritur, cum nudum est pactum sive conventio, sine justa causa obligandi, *l. 7. §. 4. D. de pact.* cum servus quid promisit, *§. 1. Inst. de fidejussor. l. 13. D. de condict. indeb.* cum pater filio, vel filius patri in cujus est potestate, sese obstrinxit, vel cum fratres in ejusdem patris potestate constituti sibi invicem se obligarunt, *arg. l. 38. D. de condict. indeb.* vel

vel cum filius familias ex mutuo sese obligavit, *arg. l. 9. §. fin. l. 10. D. de S Consult. Macedon.*

Quæ est civilis tantum?

Quæ tantum juris civilis vinculum habet, vel cum naturalis æquitas ex aliis præsumitur, non directo probatur. ut in literarum obligatione: vel cum subtilitas juris, qua obligatio sustinetur, pugnat cum æquitate; uti si quid meru vel dolo sit gestum: Illo modo habet efficaciam: Hoc vel nullas habet vires, vel per restitutionem in integrum rescindi potest.

Quæ est mixta.

Quæ subsidium & ex æquitate naturali & ex jure civili habet, ac omni ex parte est valida, uti fit in societate, in mutuo.

Nullos igitur habet effectus naturalis obligatio?

Habet nonnullos. Proficit ad exceptionem, *d. l. 7. §. 4. ff. de pact.* Impedit condictionem indebiti, *l. 10. ff. de oblig. & action. l. 16. §. 4. ff. de fidejuss. l. 13. 46 ff. de condict. indeb.* Admittit fidejussorem, *d. l. 16. §. 3. ff. de fidejussor. §. 1. Inst. eod.* Pignus, *l. 14. ff. de pignor.* Compensationem, *l. 6. ff. de compensat.* Novationem, *l. 1. §. 1. ff. de novat.* Constitutum, *l. 1. §. 7. ff. de const. pec.*

Atqui videtur & ex naturali obligatione esse actio d. l. 10. d. l. 16. §. 4. l. 84. D. de reg. jur.

Obligatio naturalis duplici modo accipitur. 1. Pro ea, quæ ex jure gentium est & confirmata simul jure civili. In hac verum est, quod & actio detur & condictio indebiti inhibeatur, *d. l. 10. d. l. 16. §. 4. 2.* Pro ea, quæ tantum est juris gentium, & destituta est adminiculo juris civilis. Ex hac quidem jure gentium ac natura potest peti, *d. l. 84. §. 1.* & condictio indebiti propter æquitatem cessat, sed non datur actio jure civili.

Annon & aliter dividitur obligatio?

Est alia civilis, quæ ex omni juris Romani parte est, excepto prætorio, ac etiam ex jure gentium, ut ex mutuo, emptione & similibus: alia prætoria, quæ tantum est à prætore, uti de constituta pecunia, jure jurando, & similis, *§. 1. Inst. h.*

Annon

Annon & aliter distinguitur?

Est ex contractu, vel quasi; est ex maleficio, vel quasi. Contractus est conventio cum causa obligationem producens, vel ultro citroque obligatio, *l.* 19. *ff. de Verb. Signif.* hoc est, conventio efficax, qua ultro citroque hoc agitur ut ex justa causa obligatio contrahatur.

Quot modis fit contractus?

Re, verbis, consensu & literis, *§.* 2. *Inst. h.*

Quibus modis re contrahitur obligatio. Tit. 15. Lib. 3. Inst.

Quomodo dicitur re contrahi obligatio?

Non, quod alii contractus rem non desiderent. sine re enim non potest esse obligatio, *pr. Inst. de Oblig.* nec, quod contractus qui re fiunt, non desiderent consensum vel verba aut literas. sed quod præter consensum de re (verbis vel literis aut alio modo expositum) requirant traditionem rei ad perfectionem. ita mutuum non est ex conventione de mutuo habendo, sed ex numeratione, *l.* 30 *D. de reb. cred.* Ita commodatum non est, nisi res ad usum alteri sit tradita, *§.* 2. *Inst. h.*

Quæ sunt species contractuum realium?

1. Mutuum. 2. Solutio indebiti, facto cum pacto de eo, quod solutum est, si postea deprehendatur non esse debitum, restituendo. 3. Commodatum. 4. Depositum. 5. Pignus.

Qui contractus verbis initur?

Stipulatio, de qua post.

De Obligationibus ex consensu. Tit. 23. Lib. 3. Inst.

Quomodo consensu contrahitur?

Cum non præcise ad perfectionem requiritur ut res actualiter præstetur, vel literæ aut verba interveniant, sed sufficiat, ut consensus, qui sit vel verbis vel literis expositus, de re interveniat.

Quæ sunt species horum contractuum?

Emtio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum.

Quid

Quid statuendum de donatione, de hypotheca, de nuptiis?

Donatio est pactum legitimum, quia causam, quam justitia commutativa desiderat, non habet, *arg. §. 2. Inst. de don.* Pariter & hypotheca est pactum legitimum, *l. 17. §. 2. & de pact.* Nuptiæ vero, non sunt vere contractus de re aliqua acquirenda, amittenda vel conservanda, nisi indirecto vel per consequentiam; sed tantum conventio de individuo vitæ consorti, *l. 1. D. de rit. nupt.*

De obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur. Tit. 28. Inst.

Quæ sunt obligationes ex quasi contractu?

Quæ citra conventionem ex solo facto honesto ac alteri utili, vel præsumta voluntate nascuntur: uti ex negotiorum gestione, *§. 1.* tutelæ administratione, *§. 2.* communione rerum singularium vel hæreditatis, si quidem sumptus sint facti vel fructus percepti, *§. 3. & 4. Inst. h.* hæreditatis aditione, *§. 5. Inst. h. l. 3. §. fin. l. 4. D. ex quib. caus. in possess.* solutione indebiti erronee facta, cujus datur repetitio, nisi per inficiationem lis crescat, *§. 6, 7. Inst. h.*

De Obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. Tit. 1. Lib. 4. Inst.

Quæ sunt obligationes ex delicto?

Cum quis maleficium commisit, *pr. Inst. h.* veluti furto, rapina, damno, aut injuria, *d. pr.*

De obligationibus, quæ ex quasi delicto nascuntur. Tit. 5. Lib. 4. Inst.

Quomodo ex quasi maleficio nascitur obligatio?

Cum judex male judicavit, & litem [a] suam fecit; vel cum quid est effusum ejectumve ex cœnaculo, quod nocuit; vel cum quid positum, quod nocere possit: vel cum per eos, quorum opera quis utitur in navi, caupona, stabulo, damnum infertur iis, qui custodiæ eorum quid commiserunt.

[a] Hodie litem suam non facit qui per imperitiam male

male judicavit, *Christin. vol. 4. decis. 95. n. 4. Zypæ. Not. J. B. de appell. vers. in aliquib. Argentr. ad Const. Britan. art. 33. not. 4, 5.* Cæterum si dolus atque calliditas interceſſerit, puta si Judex pretio corruptus sit, de dolo actio civilis competit, *l. 47. ff. de reg. jur. Rebuff. ad Const. Reg. de sent. execut. art. 7. gloss. 15. n. 2.* & præterea criminaliter arbitraria pœna, *Nader Ampliat. van Hoven van Holland tit. ult. art. 1.*]

Ad quid tenetur judex male judicans?

Sive dolo, sive culpa id fecerit, litem suam facit, cogiturque præstare quantum religioni judicis æquum visum fuerit, *pr. Inst. h. l. ult. ff. de var. & extraord. cognit.*

An æqualis est pœna ob dolum & culpam male judicantis?

Non tantum hac pœna ut litem suam faciat, punitur judex dolo male judicans, sed & graviori, ut dictum *ad tit. Cod. de pœn. judic. mal. judicant.*

Sed quæ est ratio, quod judex ex quasi maleficio, Medicus ex vero, quod lege Aquilia vindicatur, conveniri possit?

Quia judicis officium sua natura ex necessitate imponitur, cum sit publicum: Medicus vero suscipit suum munus ex voluntate,

Suntne nonulla generalia circa obligationes observanda?

Per obligationes ex contractu vel quasi nihil immediate acquiritur, sed tantum causa constituitur, ex qua alteri incumbat necessitas quid faciendi, dandi, aut præstandi, *l. 3. D. de obl. & act.* Deinde initium omnium obligationum debet esse à personis contrahentium, *l. 11. ff. h.* Proniores sunt leges ad liberandum, quam obligandum, *l. 47. ff. de oblig. & act, &c.*

De (*a*) Actionibus. Tit. 6. Lib. 4. Inst.

Ad quod juris objectum pertinent actiones?

Qua in bonis reputantur & commodum earum spectatur ex facultate agendi, ad objectum rerum, *arg. l. 25. D. de acquir. rer. dom. l. 49. D. de verb. signif.* qua vero quis per eas realiter ac actu ipso, judicio persequi-

tur

tur jus suum & ab invito quid extorquet, proprium objectum juris constituunt, *pr. h.t.*

[a] Ex Juris Canonici dictamine hodie actionis nomen libello non exprimitur *c. 6. x. de Judic. Gudelin. lib. 4. c. 5. vers. tertium. Christin. vol. 2. decis. 88. n. 7.* hinc actionum nomina ferè in desuetudinem abierunt.]

Quid est actio?

Accipitur aliquando pro omnibus remediis, quibus vel ordinario vel extraordinario, publice vel privatim, civiliter vel criminaliter jus suum quis persequitur: aliquando refertur ad causas civiles; aliquando ordinarias tantum, vel tantum personales complectitur. In genere autem definitur, jus sive remedium persequendi (cum effectu) in judicio quod sibi (suo vel alieno, publico vel privato nomine) debetur ex qualibet causa vel ut quid detur aut fiat aut præstetur, vel ut quid restituatur, *arg. l. 178. §. 3. D. de verb. signif.*

Quomodo distinguitur?

1. Est vel privata, vel publica. 2. Pertinet ad proprietatem vel ad possessionem.

Actio privata ad proprietatem relata quomodo distinguitur?

1. Est vel in rem, vel in personam. In rem, quæ est ex jure dominii, vel quasi, aut servitutis, aut alterius. competens contra possessores vel quasi. Personalis, quæ est ex qualibet obligatione, *§. 1. Inst. h.*

An etiam sunt mixtæ & duplices?

Mixtæ tam in rem quam personam, non quidem ex primogenea sunt natura, sed ex accidenti tantum. Harum mentio in *§. 20. Inst. n.* duplices sunt, in quibus idem actor & reus est.

Quæ sunt in rem scriptæ?

Quæ sua natura sunt personales, ita scriptæ à lege, ut contra quosvis possessores intentari possint; qualis est actio quod metus causa, *l. 9. §. fin. D. quod. met. caus.*

Quomodo distinguitur actio in rem?

Est vel civilis vel prætoria. Civilis aut ex jure dominii, quæ est vel universalis, ut petitio hereditatis: vel singularis, ut rei vindicatio, *§. 1. Inst. h.* aut ex jure

jure servitutis, vel alio, qualis est confessoria vel negatoria, §. 3. *eod.* Prætoria est à prætore introducta in subsidium juris civilis, qualis est Publiciana, §. 3. & 4 Rescissoria usucapionis ex justa causa, §. 5. Revocatoria gestorum in fraudem §. 6. Serviana vel quasi. de quibus singulis suis locis.

Annon & personalis distinguitur in civilem & prætoriam?

Recte: quia & obligationum modi sunt vel ex jure civili vel prætorio. Prætoria ex conventione est, de constituta pecunia, §. 9. de peculio, §. 10. de jurejurando, §. 11. Ex maleficio, de albo corrupto, de patre in jus vocato sine venia, & similes, §. 12. *Inst. h.*

Actio præjudicialis qualis est?

Non in personam, nisi causam ex obligatione habeat, sed in rem, quia citra obligationis causam instituitur, §. 13. *Inst. h.*

Quæ est forma actionis in rem & in personam?

Actionis in personam, ut adversarius condemnetur ad dandum, præstandum vel faciendum cum usuris, damnis & interesse. In rem, ut jus actoris declaretur tale, quale intendit, & adversarius condemnetur ad restituendum cum omni causa.

Da aliam distinctionem actionis?

Est alia rei tantum persecutoria, alia pœnæ, alia mixta. Rei, cum id quod abest persequimur, ut fit in iis, quæ descendunt ex contractu. Pœnæ tantum, cum pœnam, & non id quod abest petimus, ut fit in actione furti quæ pœnalis est. Mixta, qua agitur ad pœnam & rem simul, §. 16. *& seqq. Inst. h.*

Quomodo distinguitur rei persecutoria ab in rem?

Amplior est rei persecutoria: quia non tantum complectitur actionem in rem, sed & in personam, quæ ex contractu est, & ex maleficio, cum rem & id quod abest tantum persequimur.

Qualis est ea, qua ad pœnam conventionalem agimus?

Rei persecutoria: quia pœna conventionalis est loco ejus quod interest, *§. fin. Inst. de verb. oblig. arg. l. 44. ff. de usur.*

D.ª

Da aliam actionis divisionem?

Competit vel in simplum, uti omnis actio rei persecutoria; vel in duplum, uti furti non manifesti vel similis; vel in triplum, uti actio in damnum ex temeraria litigatione sive plus petitione, §. 21. *& seqq. Inst. h.* vel in quadruplum, ut furti manifesti.

An & aliter dividitur?

Alia bonæ fidei, alia stricti juris, alia arbitraria, §. 28. *& seqq. Inst. h.*

Quæ est bonæ fidei?

Non omnis ea, quæ ex bona fide datur, sic enim omnis actio esset bonæ fidei; sed in qua judex laxiorem habet facultatem condemnandi, quomodo & quantum actori ex bono & æquo satisfieri debeat, §. 30. *Inst. h.*

Estne harum numerus certus?

Ex contractu re inito sunt commodati, depositi, pigneratitia: ex stipulatione est unica de dote: ex consensu omnes: ex quasi contractu, negotiorum gestorum, tutelæ, communi dividundo, familiæ erciscundæ: ex contractu innominato, æstimatoria, de permutatione: denique una realis actio, petitio hæreditatis, *d.* §. 28. *Inst. h.*

Quæ est stricti Iuris?

In qua judex non excedit formam contractus, & nihil supplet: uti ex mutuo, condictione indebiti, ex stipulatione, & similibus negotiis.

Quæ est ratio, quod alia actio sit bonæ fidei, alia stricti juris?

Quia actio bonæ fidei cum utrinque quid præstandum datur, vel dari potest, sua natura, & propter frequentiam, fidei exuberantiam majorem desiderat; actio autem stricti juris ab una parte tantum competit.

Ostende diversitatem effectuum in stricti juris & bonæ fidei actionibus?

In bonæ fidi habetur ratio omnium Exceptionum. licet initio non sint oppositæ, *l.* 3, *D, de rescind. vendit.* Usuræ à temporæ moræ debentur, *l.* 3. *l.* 32. *D. de usur.* Dolus contractui dans causã, facit eum ipso jure nullum.

sum. In stricti juris judiciis exceptiones per litis contestationem tantum in judicium sunt deducendæ, *l.* 18. *D. comm. divid.* Deinde ex stipulatione usuræ tantum debentur, vel post litis contestationem, *l.* 3. *Cod. l.* 35. *D. de usur.* & dolus non facit contractum nullum, sed parit exceptionem, *pr. & §* 1. *Inst. de except.* vel actionem de dolo, *l.* 1. *&* 2. *D. de dol.*

Quæ est actio arbitraria?

In qua vel speciali interlocutione judicis est opus, vel arbitrium aliquod necessarium est, qualis est Publiciana, Serviana vel quasi, de metu, de dolo, de eo quod certo loco, & ad exhibendum, *§.* 31.

Estne & alia divisio?

Habet omnis actio vel effectum in solidum, vel non. Non in solidum, vel quia quid est impensum aut compensari potest, vel quia de peculio agitur, *§.* 36. 37. *&* 39. vel quia agitur contra eos qui beneficium competentiæ habent, & non ulterius quam facere possunt condemnantur: & haberi debet ratio secundum eorum qualitatem, ne egeant; ut si de dote contra maritum agatur, si liberi contra patronos, socii contra socios, donatarii contra donatores agant, vel debitor bonis cesserit, *§.* 38. *&* 40. *Inst. h.*

Da aliam divisionem.

Est ex nostro contractu, vel alieno. Ex alieno, uti exercitoria, institoria, quod jussu, tributoria, de peculio & de in rem verso, *tot. tit. Inst. quod cum eo qui in alien.*

Da aliam.

Est noxalis ob maleficium servorum vel ob pauperiem quadrupedum, *tot. tit. Inst. de noxal. act. Si quadr. pauperiem.* vel non noxalis, sive directa.

De Perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad hæredes, & in hæredes transeunt. Tit. 12. Lib. 4. Inst.

Potestne & actio aliter dividi?

1. Est vel perpetua, quæ durat ad triginta vel quadraginta annos; vel temporalis, quæ breviori tempore circumscribitur, *pr. Inst. h.* qua de re in materia

de

de præscript. actum. 2. Datur vel hæredibus & contra hæredes, ut rei tantum persecutoria ex contractu; vel datur hæredibus & non contra eos, quia ex delicto est, nisi quatenus pervenit, vel lis sit contestata, *l. unic. C. ex delict. defunctor.* vel non datur hæredibus nec contra eos, ut actio injuriarum, *§. 1. Inst. h.* revocatoria donationis ob ingratitudinem, *l. ult. in fin. C. de revoc. donat.*

Solentne actiones ex contractu aliquando negari adversus hæredes?

Non qua rei persecutoriæ sunt, sed qua delictum in contractu commissum est, *§. 1. Inst. h.* Imo & hæres aliquando in solidum conveniri potest in pœnam, *§. 17. in fin. Inst. de action.* siquidem ipse deliquerit, *d. §. 17.*

De iis per quos agere possumus. Tit. 10. Lib. 4. Inst.

Per quos possumus actiones instituere?

Per nos ipsos, per tutores, curatores & procuratores nostros; nisi sit talis causa, quæ mandatum vel procuratorem non admittit, *§. 1. & 2. Inst. h.* de qua re traditum *tit. de procurator.*

SEPTI-

SEPTIMA PANDECTARUM PARS.

LIBER XLV.

Tit. 1. De verborum obligationibus. Tit. 16. Lib. 3. Inst.

De contrahenda, & committenda stipulatione. Tit. 38. Lib. 8. Cod.

Quid est stipulatio?

IN specie est [a] contractus, cujus forma consistit præter consensum de re, in verbis, ex interrogatione & apta ad eam responsione, *l. 1. l. 5. §. 1. D. h. l. 1. §. 7. l. 52. pr. & §. 2. D. de oblig. & action.*

[a] Hodiernis moribus confusa sunt pactorum & stipulationum nomina, ut sæpius dictum.]

Quæ obligatio est ex hoc contractu?

Verborum, *pr. Inst. h.* sive ex stipulatu, vel certi, vel incerti, *d. pr. Inst. h.*

Quæ est certi vel incerti?

Certi, cum res certa; incerti, cum incerta in stipulationem deducta est. Certa est, cujus species vel quantitas aut suo nomine, aut è demonstratione. quæ nominis vice fungitur, qualis, quantaque sit, ostenditur, *l. 6. D. de reb. cred. l. 74. D. h.* Incerta, cum vel factum vel species indeterminata in genere in obligationem deducta est, *l. 75. pr. & §§. seqq. D. h. junct. §. fin. Inst. h.*

De divisione stipulationum. Tit. 19. Lib. 3. Institit.

Quomodo distinguitur stipulatio?

Varie. In genere in prætoriam, judicialem, commuuem

munem & conventionalem. Prætoria est, cujus autor est prætor solus, non judex; ut damni infecti & legatorum, §. 2. *Inst. h. l.* 5 *pr. D. de verb. obl.* ut & ea, quæ ab ædilibus præponitur, *d. §.* 2. Iudicialis, quæ à judicis solius interlocutione pendet; uti cautio de dolo, aliaque similis. §. 1. *Inst. h.* Communis, tam prætoria quam judicialis, cujus autor cum prætor tum judex est, prout res commodissime potest expediri; uti stipulatio, rem pupilli salvam fore, §. *fin. Inst. h.* Conventionalis, quæ proprie est contractus, §. 3 *Inst. h.*

Da aliam distinctionem, eamque quæ ad conventionalem spectat.

Consistit vel in dando, vel in faciendo, *l.* 2. *D. de verb. oblig.* In dando, si quis quantitatem vel speciem sibi dari stipuletur. In faciendo, cum factum in stipulationem deducitur, ut domum ædificari, *l.* 72. *in fin. Inst. eod.* Imo & aliquando consistit in non faciendo, vel in dando & faciendo simul, *l.* 75. §. 7. *D. h. l.* 85. §. 1. *D. de cond. & demonst.*

Quis est effectus in dandi vel faciendi obligationibus?

In dandi præcise conventioni satisfaciendum est. *d. l.* 75. §. *fin. D. de verb. signif. l.* 167. *D. de reg. jur.* In faciendi, si promissor facere nolit, liberatur præstatione ejus quod interest, §. *fin. Inst. l.* 72. *l.* 81. 84. 112. §. *fin. D. de verb. oblig.* quia nimis durum videtur & contra libertatem, ut homo liber ad faciendum compellatur.

At sæpe id quod interest ad exiguam summam reducitur. d. §. fin.

Præstat igitur adjicere certam pœnam, ut si non sit factum, ea præstetur, *d. §. fin. l.* 68. 71. *D. eod.*

Quomodo aliter distinguitur stipulatio?

Est alia dividua, alia individua. Dividua est, quæ partium præstationem recipit, *l.* 2. §. 1. *D. eod.* Individua, quæ non admittit divisionem vel partium præstationem, *l.* 2. §. 2. *l.* 72. *D. h. l.* 9. §. 1. *D. de solut.*

Annon est regula aliqua generalis in hac re?

Quatuor sunt causæ attendendæ. 1. Est, quod à singulis divisum consequi possumus, & pro parte peti, & solvi potest, ut si sit promissio pecuniæ certæ vel certi corpo-

corporis facta, *l.* 85. *pr. & §.* 1. *D. eod.* 2. Est, quod totum peti necesse est, nec divisum præstari potest, uti fit in opere, quod testator fieri jussit. Singuli enim hæredes in solidum tenentur & agunt, quia operis effectus in partes scindi non potest. Quod & verum est in servitutibus realibus, *l.* 72. *d. l.* 85. *§.* 2. *ff. eod.* 3. Est, quod pro parte petitur, solvi autem non potest nisi totum. Uti cum stipulatus quis est hominem incertum, vel alternative decem millia aut hominem: si alternative, petitio scinditur, solvi autem non potest, nisi alterutrum in solidum, *d. l.* 85. *§.* 4. *d. l.* 9. *in fin. ff. de solut. d. l.* 2. *§.* 1. 4. Est, quod solidum petendum est, sed in solutione admittit sectionem. ut cum agitur de evictione. omnes enim debitores in solidum sunt denunciandi, omnesque debent subsistere, & quolibet fugiente omnes tenebuntur, sed unicuique pro parte sua, pro qua est obligatus, præstatio injungitur, *d. l.* 85. *§.* 5. *l.* 61. *§.* 1. *de Eviction.*

Quid, si ita stipulatio sit facta: Si fundus Titianus datus non erit, centum dabis?

Nisi totus detur, pœna in centum committitur. nec prodest, si plures sint debitores, partem fundi tradere cessante uno: quemadmodum non prodest ad pignus liberandum, partem solvere, *d. l.* 85. *§.* 6. *l.* 5. *§. fin. eod.*

Quid, si factum sit promissum?

Siquidem id actum sit in stipulatione, ut si cum non fuerit factum detur pecunia, stipulatio potest dividi, *l.* 72. *ff. de verb. oblig.*

Quid, si individua stipulatione unus ex hæredibus solidum præstiterit?

Habebit ejus repetitionem à cohærede judicio familiæ erciscundæ, *d. l.* 2. *§.* 2. *ff. de verb. oblig.*

Da aliam divisionem?

Secundum modum, quo stipulatio contrahitur, est alia pura, alia non pura Pura est, quæ nec diem nec conditionem habet. Non pura, in qua addita est conditio vel dies, *§.* 2. *& seqq. Inst. de verb. oblig.*

Estne & pura stipulatio: annua decem dabis donec vivam, dabo?

Respectu singularum pensionum annuarum est pura, ut ab initio anni decem peti possint, *§.* 3, 4. *Inst. eod.* ac perpetua est sua natura: sed propter verba *quoad vivam* datur exceptio pacti si post obitum petantur, *d. §.* 3.

Quis est effectus purae?

Etsi quidem aliqua dilatio detur condemnatis, *l.* 31. *D. de re judic. l. fin. C. de usur. rei judic.* ac debitoribus fisci, *l.* 45. *§.* 10. *D. de jur. fisc.* & in constituto specialiter dati sunt [a] decem dies, *l.* 21. *§.* 1. *D. de constitut. pecun.* tamen cum pure est facta stipulatio, confestim potest agi, *d. §.* 2. *Inst. de verb. oblig.* dato eo temporis spatio, quo commode traditio fieri possit, *§. fin. Inst. de inutil. stipul. l.* 106. *D. de solution.*

[a] Quemadmodum ex stipulatione pura, *l.* 41. *§.* 1. *D. de Verb. obl.* ita & ex constituto confestim hodie agi potest, *Autumn. cens. Gall. h.*]

Quibus modis dies dicitur adjici?

Aliquando à sola lege, ut si res mobiles dotales sunt restituendæ, *l. unic. §.* 7. *C. de rei uxor. actio* Aliquando ex re ipsa, cum res non exitit, sed speratur, *l.* 73. *D. de verb. obl.* Aliquando ob adjectionem loci, *§.* 5. *Inst. eod.* quo casu moderanda est jurisdictio, ut tantum temporis detur, quantum sufficiat, ut quis in eum locum venire possit, secundum formam *l.* 137. *§.* 2. *D. eod.*

Quid juris, si dictum, Calendis solvam?

De primis id accipiendum, *l.* 41. *D. eod.*

Quis est effectus cum dies adjectus est?

Certa quidem est obligatio, sed solutio est dilata, ita ut agi ante non possit, quam omnibus adjecti temporis partibus præteritis, *l.* 42. *D. eod.*

Quid, si conditio sit adjecta?

Siquidem possibilis sit, servanda [a] est: & obligatio non ante est contracta, quam conditio extiterit: quapropter tantum spes est ex ea debitum iri, *§.* 4. *Inst. h.*

[a] Con-

[a] Conditionales stipulationes sive sponsiones (nostratibus *Weddingen*) nostris & Gallorum moribus improbantur, *Grot. l. 3. p. 3. n. 14. Zypæus Not. Jur. de Relgios. in fin. Christin. vol. 2. decis. 200. Autumn. in l. 17. §. plane D. de præscr. verb.*]

Suntne ergo effectus stipulationis ejusmodi conditionalis?

Conditionalis creditor in bona debitoris ex primo decreto mittitur, & ejusmodi stipulatio statim vires habet, *l. 26. D. de stipul. serv.* ut vendi possit, *l. 17. 19. D. de hæred. vel action. vend.* admittit hypothecam, *l. 9. §. 10. l. 11. §. 1. D. qui potior.* fidejussorem, *l. 6. §. fin. D. de fidejuss.*

De inutilibus stipulationibus. Tit. 20. Lib. 3. Inst.

Quot modis obligationes dicuntur esse inutiles?

Variis: vel ratione personarum, vel rerum, vel modi.

Quomodo ratione personarum?

Vel respectu stipulantium, ut qui loqui non possunt, sic muti, nisi tardius loquantur, *l. 1. D. de verb. oblig.* aut qui judicio carent, uti minores septem annis *§. 10. Inst. h.* furiosi, *d. 8. Inst. eod.* Vel promittentium, ut impuberes sine tutorum autoritate, *§. 9. Inst. h.* prodigi, licet recte stipulentur sibi quid dari, *l. 6. D. de verb. oblig.* surdi, qui omnino non audiunt. Vel ratione ejus, cui stipulatio est facta. Nemo enim alteri potest stipulari, *§. 4. Inst. h l. 38. §. 17. D. de verb. oblig.* nisi stipulatoris interfit alteri dari, *§. 19. Inst. h.* vel pœna sit adjecta, *§. 18. Inst. h.* vel filius familias sit stipulatus patri, *d. §. 4. Inst. h.* vel pater filio ea quæ juris sunt stipuletur, non quæ facti, *l. 21. 120. D. de verb. obl.* quæ autem pater filio stipulatur & juris sunt, sibi acquirit, *d. l.* vel nisi periculum sit, ne res amittatur, hoc enim casu datur actio utilis, *l. pen. C. ad exhib. l. 3. C. de donat. quæ sub mod.* vel solutionis causa alterius persona adjiciatur. quo casu poterit ei, invito stipulatore, fieri solutio, *d. §. 4.* vel si quis ratione officii sui stipulationem interponat.

Quod, si quis sibi & alteri quid stipuletur?

Valet conventio pro dimidia parte, *d. §. 4. l. 110. ff. de verb. oblig.* nisi sit res individua, *arg. l. 5. ff. commun. præd.*

Quomodo ratione rerum?

Si quis alium daturum vel facturum promiserit, *§. 3. Inst. h.* Debet enim quisque de suo, non alieno promittere, *l. 11. ff. de oblig. & act.* nisi pœna sit adjecta, *§. 20. Inst. h.* vel curaturum promiserit tunc enim præstanda est exactissima diligentia. Vel nisi operæ fabriles deductæ sint in stipulationes, *l. 5. ff. de duob. reu.* quia habentur pro mercede præstanda fabris,

Atqui fidejussores ad dationem & facta aliorum accedunt?

Fidejussores, se daturos vel facturos promittunt, si reus non det vel faciat; alias si factum alienum simpliciter promittant, nullas vires habet obligatio *l. 65. ff. de fidejussor.*

Annon & aliter propter conditionem rerum inutilis est stipulatio?

1. Si promissa sit res quæ non est, nec fuit, nec speratur, vel quæ desiit esse in rerum natura, *§. 1. Inst. h.* 2. Si non sit in commercio, licet ex post facto in commercio esse cœperit, *§. 2. Inst. h.* 3. Si sit res propria stipulatoris, *d. §. 2.* nisi quid ejus nomine absit, *l. 12. ff. de verb. oblig.* 4. Si sit res turpis, vel factum, quod est contra bonos mores, *§. 23. Inst. h. l. 123. ff. de verb. oblig.*

Quid, si res, quæ erat in commercio, desierit esse in commercio?

Æque erit inutilis stipulatio, *d. §. 2. Inst. h. junct. l. 98. ff. de verb. oblig.*

At obstare videtur l. 85. §. 1. ff. de reg. jur.

Siquidem res ipsa inciderit in illam conditionem, ut præstari non possit, concidit obligatio, *d. l. 98.* quia impossibilium non est obligatio. Sin autem quid evenerit circa personam ex quo obligatio contrahi non posset, modo res præstari possit, durat obligatio, *d. l. 85. §. 1. D. de reg. jur.*

To-

Potestne in genere promitti?

Si species indeterminata promissa sit, valet obligatio, ut ante dictum: secus si quid in genere, quod nullam habet determinationem. uti si dos promissa ab extraneo, *l.* 1. *C. de dot. promiss.* non à patre, quia ejus officium est dotare, *l.* 69. *§.* 4. *ff. de jure dot.* vel si quis fundum stipuletur, quia corpus incertum est, *d. l.* 69. *§.* 4.

Quomodo ratione modi?

1. Si promissor non responderit ad interrogata, vel quoad rem, vel quoad modum obligandi, *§.* 5. *Inst. h.* 2. Si non sint præsentes, qui contracturi sint, *§.* 12. *Inst. h.* 3. Si impossibilis conditio fuerit addita, *§.* 11. *Inst. h.* sive natura talis, sive turpis fuerit.

Quid, si stipulanti decem promissor respondet quinque vel v ginti, & illico placuerit diversitas responsionis?

Probandum est stipulationem valere; semper autem minor summa debebitur, *l.* 1. *§.* 3. *in fin. §.* 4. *D. de verb. signific.*

Quid, si in instrumento sit scriptum quem promisisse?

Creditur isti scripturæ, *l.* 30. *ff. de verb. oblig. §.* 16. *Inst. h.* nisi promissor probare possit se alibi fuisse eo tempore, quo stipulatio est facta, *§.* 12. *Inst. h.*

Quid, si quis interroget, dabitur? & alter responderit, quidni?

Etsi quidem impersonaliter promissio facta non valeat, *Nov.* 115. *c.* 6. *Auth. si quando C. de const. pecun.* tamen hoc modo facta valet stipulatio, *l.* 1. *§.* 2. *ff. de verb. oblig.*

Annon nutus obligat ut valeat pro pacto?

Potest quidem nutus sufficere, ut prosit ad liberationem, *l.* 27. *§.* 9. *in fin. ff. de pact. l.* 5. *ff. de resc. vendit. l.* 8. 19. *ff. de acceptilat.* si hoc sit actum, *arg. l.* 65. *§.* 3. *ff. ad SC. Trebell.* sed non ad obligationem, *d. l.* 1. *§.* 2.

Quid, si præsens interrogaverit, & antequam responderetur discesserit?

Si reverso sit responsum, valida est obligatio; in-

tervallum enim medium non vitiat actum, *d. l.* 1. *§.* 1.

Imo vitiat, l. 137. *D. de verb. oblig.*

Vitiat, si ad alia stipulationi contrariantia interim partes processerint, *d. l.* 137. secus si is, qui discessit, mox fuerit reversus, *d. l.* 1. *§.* 1.

Quid, si circa rem dissinserint contrahentes?

Quod actum est, nullas habet vires, *§.* 22. *Inst. h. l.* 83. *§.* 1. *d. l.* 137. *§.* 1. *D. de verb. oblig.* si circa corpus sit dissensus, *Dd. Ll.*

Quid, si error sit in nomine vel materia, uti æneum pro aureo quis stipulatur annulum?

Æque valet stipulatio, *l.* 22. 32. *D. de verbor. oblig.* Is autem, qui circa materiam est à sciente deceptus, habet actionem, doli, *d. l.* 22.

At emptio nulla est, si circa materiam sit error, l. 9. *in f. l.* 14. *D. de contr. emt.*

Est alia ratio in Emtione, quia Emptoris interest, ne alia materia sit in obligatione, cum precium sit solvendum respondens valori rei. at in stipulatione satius est aliquid quam nihil esse in obligatione. Id, quod dictum de stipulatione, locum habet & in pignore, *l.* 1. *in f. D. de pig. act.* in legato, *l.* 4. *D. de legat.* 1. *l.* 17. *D. de condit. ac demonst.* in donatione, *l.* 18. *in f. D. de donation.*

Quid, si res debita perierit?

Si species debita sit, perit creditori, nisi debitor in mora vel culpa fuerit, *l.* 23. *D. de V. Obl.* si genus debitum sit, perit debitori.

Quid, si per negligentiam vel culpam omissionis ante moram res perierit?

Non tenebitur promissor, *l.* 91. *D. de V. O. l.* 21. *D. de hæred. vend.* nisi lata fuerit & dolo proxima.

Tit. 2. De duobus reis constituendis. Tit. 40. Lib. 8. Cod.

Potestne unus tantum stipulari vel promittere?

Possunt plures esse stipulatores vel promissores, qui rei stipulandi vel promittendi dicuntur.

Qua

Quæ requiruntur, ut plures debendi vel stipulandi rei fiant?

1. Ut sit eadem res, quæ in stipulationem deducitur, *pr. Inst. h.* 2. Ut eadem sit causa obligationis. 3. Ut singuli in solidum expresse vel tacite sese obligent. 4. Ut quilibet sit principaliter obligatus, *l.* 1. *l.* 2. *l.* 11. *D. junct. pr. Inst. h.*

Ex quibus causis possunt esse plures credendi & debendi rei?

Non tantum ex stipulatione, alioque quolibet contractu, sed & ex testamento, *l.* 9. *D. h.*

Potestne solutio in solidum uni ex reis stipulandi fieri, & peti ab uno ex correis promittendi?

Uni ex reis stipulandi debitum solvi potest, & omnis dissolvitur obligatio si solidum sit solutum, *s.* 1. *Inst. h.* sin autem unus ex promittendi reis conveniatur, habet is, si velit, beneficium divisionis, *Nov.* 99. *c.* 1. *junct. l.* 11. *D. h.* ut solvat tantum tata, nisi correi sint non solvendo, vel absentes, *arg. auth. præsent. C. de fidejussor. auth. hoc ita C. eod.* vel partes renunciaverint beneficio divisionis.

Quid, si unus in solidum conveniatur & solvat?

Reliqui quidem liberabuntur, *d. s.* 1. *l.* 1. *&* 3. *D. h.* nisi pœna debeatur ex delicto, *l.* 11. *s.* 2. *in fin. D. ad l. Aquil.* Is vero, qui solvit, habet actionem negotiorum gestorum, vel aget cessa actione, si sibi creditor cesserit eam.

Quid, si diversus sit modus obligandi, unus pure, alter sub conditione debeat?

Etsi disparitas summæ efficiat, ut non sint correi, *l.* 3. *s.* 1. *D. h.* tamen in modo idem dici nequit, *s. fin. Inst. l.* 7. *D. h.*

Tit. 3. De stipulatione Servorum. Tit. 18. Lib. 3. Inst.

Possuntne & servi stipulari?

Possunt ex personis dominorum, & ut ejus rei commodum dominis acquiratur, *pr. Inst. h.* nihil servis, *l.* 22. *D. de reg. jur.* nisi sit factum deductum in stipulationem,

PANDECTARUM
LIBER XLVI.

Tit. 1. De fidejussoribus, & mandatoribus. Tit. 41. Lib. 8. Cod. 21. Lib. 3. Inst.

Quid est fidejussio?

OBligatio accessoria, qua quis mediante stipulatione alienam obligationem sua fide esse jubet, manente debitore æque obligato, *pr. Inst. h.*

Quomodo distinguitur inter mandatorem, expromissorem, constituentem, & fidejussorem?

Mandator præcedit obligationem, & principaliter sese obligat: Fidejussor etiam sequi potest, & tantum accessorie sese obstringit, *d. pr. Inst. h.* Mandator tantum ex consensu. Fidejussor ex stipulatione obligatur, *l. 8. ff. l. 12. C. h.* Constituens se solo pacto obligat, & non tantum ad alienum sed & proprium debitum, *§. 8. Inst. de action.* Fidejussor tantum per stipulationem alienum debitum in se recipit. Expromissor proprie est, qui pro non obligato quid promittit ex suis bonis, vel quo intercedente liberatur reus, quasi novatione facta, *l. 37. in fin. ff. de oper. libert.*

Qui possunt fidejubere?

Qui valide obligari, etiam filiifamilias, *l. 7. §. 2. ff. h.* In specie autem ex fidejussione non obligantur fœminæ ob SC. Vellejan. *l. 2. ff. ad SC. Vellej.* nec milites, *l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cog. l. 31. ff. de loc. conduct.* nisi in rem suam, *d. l. 8. §. 1.* non minores, quia restitui possunt, *l. 3. §. 7. ff. de minor.*

Quid, si quis pro fidejussore alium æque idoneum dare velit?

Non est audiendus nisi ex magna causa, quod in pignore facilius est admittendum.

Ad quam obligationem dari potest fidejussor?

Ad omnem, etiam naturalem tantum, *§. 1. Inst. h. l. 12. l. 8. §. 1. l. 16. §. 3 ff. h* Est enim ea quidem arctior firmiorque, sed non durior quoad summam vel rem.

rem. Non autem pro dote, *l.* 1. 2. *C. ne fidejuss. dot. dent.* non in crimine capitali, *l.* 56. *§. fin. ff. h. l.* 3. 4. *D. de custod. reor.*

Quid, si sit obligatio pupilli, furiosi, aut prodigi?

Pro obligatione pupilli recte accedit fidejussor, modo sit infantia major, *l.* 127. *ff. de verb. oblig.* non pro furioso vel prodigi, *l.* 6. *ff. de verb. oblig.*

Atqui contrarium est in l. 25. *ff. h.*

Non ibi tractatur de obligatione quæ est nulla, sed quæ est efficax, si ex re & utilitate nascatur, *l.* 47. *ff. de verb oblig. & act.*

Quid, si ex officio judicis tantum quid debeatur, cum actio competere non possit?

Æque tenebitur fidejussor, *l.* 8. *§.* 12. *ff. h.*

Quid, si fidejussor accesserit ad obligationem cui præscriptum est?

Non valet obligatio, nisi sciens fidejussor accesserit, *l.* 37. *ff. h. junct. l.* 29. *in fin. D. mandat.*

Quid, si contractus, ad quem accedit, sit turpis vel impossibilis?

Nullas vires habet fidejussio, *arg. l.* 5. *C. de legib. l.* 16. *D. h.*

Quæ est forma fidejubendi?

Necesse est ut interveniat stipulatio: non admittitur ut plus debeat fidejussor quam debitor, *§.* 5. *Inst. h.* rei, loci, aut temporis ratione, *d. §.* 5.

Quid, si quis sese obligaverit ad majorem summam quam principalis debet?

Nulla est fidejussio, quia alia obligatio est, ita quidem ut in concurrentem summam non teneatur de jure [a] stricto, *l.* 8. *§.* 7. *ff. h.* id ex jure certum est, quod qui ad majorem summam fidejusserit, quam rogatus erat, habeat mandati actionem tantum ad summam, ad quam rogatus est, *l.* 33. *D. mandat.*

[a] Æquitati & praxi magis consentaneum est, fidejussorem in majorem summam acceptum, saltem in eam teneri, quam principalis debet, *Gomez. resol. tom.* 2. *c.* 13. *n.* 2. *Autumn in l.* 8. *§.* 7 *ff. h. Covar. ad c. quamvis. de Pact. in* 6. *part.* 2. *Rubr. §.* 9. *n.* 3.]

Quid, si fidejussor obligaverit se ad interesse, cum reus ad factum teneatur?

Valide se obstrinxit, & id, quod interest, in locum facti succedit, *§. fin. Inst. de verb. oblig.*

Potestne fidejussor sese obligare ante principalem?

Non est dubitandum, *§. 3. Inst. h.* &, si ita quis sit stipulatus; *quantam pecuniam Titio quandoque credidero, dare spondes?* & is Titio sæpe crediderit, obligatus erit in omnes summas fidejussor, *l. 55. D. h.*

Qui obligantur ex fidejussione?

Non tantum ipse fidejussor, sed & hæredes ejus *§. 2. Inst. h.* quia fidejussor vicem rei obtinet, *l. 4 D. h.*

Quæ beneficia sunt tributa fidejussoribus?

Primum est ordinis sive excussionis, per quod datur fidejussori convento exceptio, ut principalis prius conveniatur ac discutiatur, *Nov. 4. c. 1. auth. præsente. C. h.* Secundum est, Epistolæ divi Hadriani sive divisionis, quo habet exceptionem unus ex pluribus fidejussoribus conventus, ut creditor cogatur dividere actionem, & à singulis, qui litis contestatæ tempore solvendo sunt, portionem virilem petere, *§. 4. Inst. h.* Tertium est cedendarum actionum, quo fidejussori convento datur exceptio, ne compellatur ad solvendum, nisi creditor paratus sit ei cedere actiones adversus debitorem & confidejussores, *l. 11. C. h. l. 17. D. de solut.*

Quibus modis cessat beneficium ordinis sive excussionis?

1. Si ejus renunciatio facta sit, *arg. l. penult. C. de pact.* 2. Si debitor sit absens, *auth. præsent. C. h.* vel notorie inops. 3. Si reus non sit solvendo, *d auth. l. 6. D. de dol. mal.* 4. Si fidejussor inficietur se fidejussisse, *arg. l. 10. §. 1. D. h. l. 37. D. de minor.* 5. Si quis intercesserit pro eo, qui naturaliter tantum erat obligatus, cum reus ipse excuti nequeat. 6. Si fidejussor successerit reo, *l. 24. C. h.* atque aliis modis.

Habetne

Habetne & hoc beneficium is, qui se ut principalem obligavit & suscepit solutionem ejus tanquam proprii debiti?

Id pro renunciatione tacita habendum est, cum verba non debeant esse otiosa & sine virtute operandi, *l.* 1. *s.* 1. *D. quod quisque jur. in l.* 109. *D. de leg.* 1.

Quid, si quis juravit se soluturum omnia quæ reus debet?

Distinguendum est: aut simpliciter promisit solutionem jurato, aut simul alia adjecit, ex quibus enixa voluntas & præsumtio de renunciando colligi potest. Primo casu non videtur renunciatio esse facta, *arg. l. fin. C. de non numer. pec.* altero utique, *arg. l.* 77. *s.* 23. *D. de legat.* 2. *l.* 1. *C. si adverſ. vendit.*

Quid, si quis renunciaverit generaliter omnibus beneficiis, & nihil fuerit dictum de speciali?

Verius est non admitti absolute illam generalitatem, nisi is renunciationem fecerit, cui nota fuerunt beneficia.

Quid, si fidejussor conventus sit absente reo, & reus lite contestata revertatur?

Magis est, ut non competat exceptio, quia uti cœptum ita finiri debet judicium, *l.* 30. *D. de judic.* sed si tempus, quod petiit ad sistendum reum, etiamnum currat, non est ei deneganda exceptio.

Quibus modis cessat beneficium divisionis?

Cessat primo, si fidejussor neget se fidejussisse, *l.* 10. *s.* 1. *D. h.* 11. Si reliqui fidejussores non sint solvendo: nam si post litis contest. desinant solvendo esse, id pertinet ad damnum creditoris, *d. s.* 4. 3. Si plures fidejussores sint diversarum stipulationum, licet ejusdem summæ, *l.* 43. *ff. h.* Illi enim proprie sunt confidejussores, qui eandem summam apud eundem eodemque contextu in se recipiunt. 4. Si quis fuerit principalis & fidejussoris fidejussor, *l.* 27. *s.* 4. *D. h.* 5. Si quis renunciaverit beneficio divisionis, *l. penult. C de pact.* 6. Si quis intercesserit cum fœmina. is enim in solidum obligatus est, *l.* 48. *D. h.*

Fidejussor solvens solidum potestne à considejussoribus portionem suam consequi?

pNon recuperabit, nisi cessa [a] sit actio. Cedi autem oteſt non tantum antequam solverit, sed,& [b] post, *l.* 36. *D. h. arg. l.* 11. *in pr. D. de action. emt.*

[a] Hanc actionum cessionem hodie in Gallia non requiri tradit *Argentr. ad Consuet. Brit. art.* 213. *gloss.* 2. *n.* 4. Quod quamvis à moribus nostris non videatur alienum, tutius tamen est à creditore actionum cessionem petere. [b] Idem confirmat *Sande de Act. cess. c.* 7. *n.* 11. 12.]

Verum contrarium est, quod per solutionem debiti sublata sit omnis obligatio?

Id verum quidem est respectu creditoris, qui bona fide non potest denuo petere: sed non respectu solventis, quia is quasi emtor nomen solvit, non autem donat, unde creditor tradere suum jus, hoc est, cedere tenetur, *d. l.* 36. *D. h.*

Vehementer & obstat l. 76. *de solution.*

Is textus loquitur de tutore. Tutori enim aliunde prospectum, quia habet actionem ex causa tutelæ, qua agat adversus contutores, *l.* 1. *§.* 13. *D. de tutel. & ration. distrahend. l.* 20. *cod.* Fidejussori autem nulla contra considejussores est parata actio, nisi cessa, *l.* 39. *ff. h.* unde ne ipsi actio in totum pereat, cedi debet.

Debetne fidejussori solvere parato in solidum actio cedi an pro parte virili?

Cessio facienda est, non ut eam portionem, quæ solventem contingit, sed partes, quas considejussores debent, recuperet.

An & sine cessione potest fidejussor solvens consequi à debitore quod solvit?

Potest actione mandati contraria, *§.* 6. *Inst. h.* vel negotiorum, si non sit rogatus, *l.* 20. *§.* 1. *l.* 53. *D. mandat.* si pro invito intercesserit, nihil restituetur, *l.* 40. *D cod. l. fin C. de negot. gest.*

Potestne fidejussor antequam solverit convenire reum ut liberetur?

Regulariter non potest, *l.* 14. 22. 51 *D. mandat.* Verum sunt nonnulli casus speciales. 1. Si reus diu cessa-

cessaverit in solutione, *l.* 38. *§.* 1. *ff. eod. c. ult. h.* Nec enim in ancipiti quis fluctuare debet perpetuo, *arg. l.* 3. *in fin. ut in possess. legator.* Quid diu cessare sit, relinquendum arbitrio judicis. 2. Si debitor dilapidet patrimonium post fidejussionem, *l.* 10. *C. mandat. d. l.* 38. *§.* 1. 3. Si fidejussor sit condemnatus, *d. l.* 10. 4. Si aliter convenerit, *d. l.* 10. *junct. l.* 1. *§.* 1. *D. de pos.* 5. Si fidejussor quidem non solverit, sed id præstiterit quod cedit loco solutionis. ut si pecuniam in judicio obtulerit & deposuerit, *l.* 46. *ff. h. l.* 56. *§.* 1. *ff. mandat.* aut creditori debitorem suum delegaverit, *l.* 18. *ff. h. l.* 2. *C. de novat.* aut debitum fuerit compensatum, *l.* 5. *D. compensat.* (est enim compensatio pro solutione) aut liberatus sit debitor per acceptilationem. 6. Si fidejussor discessurus sit ex eo loco, *arg. l.* 23. *ff. de procurat. l.* 15. *D. de. recept. arbitr. l.* 18. *ff. de judic.* 7. Si quis negotia alterius gerens se eo nomine obligaverit, *l.* 28. *D. de negot. gest. junct. l. ult. D. de contrar. tutel.* 8. Si capitales inimicitiæ inter debitorem & fidejussorem fuerint exortæ: quia fidejussionis causa, quæ consistit in officio & amicitia, sublata esse videtur cum inimicitiæ intervenerunt, *arg. l.* 11. *D. mandat.*

An & cum repetit quod solvit, fidejussor tantum principale debet consequi?

Non tantum id, sed & omne damnum, expensas, & id quod interest, *c.* 1, 2, *x. h. d. §.* 6, *Inst. h. l.* 20. 23. 35. *D. mandat.*

Quibus modis tollitur fidejussio per factum & personam rei?

1. Solutione, *l.* 37. *D. h.* 2. Novatione, *l. novatione C. h.* 3. Consusione, *l.* 93. *§. fin. D. de solut.* 4. Præscriptione, *l.* 3, 4. *C. de. præscript. long. temp.* Qui enim usucepit, pro solvente habetur. 5. Pacto de non petendo, *l. fin D. de pact.* & similibus causis.

Quibus modis tollitur obligatio. Tit. 30. Lib. 3. Inst.

Tit. 2. De Novationibus & Delegationibus. Tit. 42. Lib. 8. Cod.

Qui

Quibus modis tollitur obligatio?

Sunt varii; aut enim est novatio, aut solutio, aut acceptilatio, aut contraria voluntas, similesque alii.

Quid est Novatio?

In genere accepta, est debiti prioris in aliam obligationem civilem vel naturalem transfusio, *l.* 1. *D. h.*

Quomodo distinguitur?

Est vel voluntaria, quæ fit per conventionem; vel necessaria, quæ fit per judicium sive litis contestationem, *l.* 29. *D. h. l.* 11. *§.* 1. *D. h.*

Non videtur quod fit novatio per litis contestationem, quia per eam non tollitur sed firmatur tantum prior obligatio, l. 28. *D. h.*

Litis contestatio non essentiam obligationis tollit, sed in aliis mutat; ut, si quæ peritura esset tempore, fiat perpetua, & quæ morte interiisset, transeat in hæredes, *l. unic. C. ex delict. defunct. l.* 87. *D. de reg. jur.* Accedit & quasi contractus, qui est ex litis contestatione de judicio, ac deinde judicati actio.

Quid statuendum de pignoribus, fidejussoribus, usuris, & mora?

Per novationem voluntariam omnia mutantur, *l.* 18. *D. h.* In necessaria nec pignora nec hypothecæ nec fidejussores liberantur, *l.* 3. *§.* 4. *D. de pignor. l.* 8. *§.* 3. *D. de fidejussor.* nec usura sistitur, *l.* 1. *C. de judic.* nec mora purgatur, *l.* 84. *D. de verb. oblig.* actor enim per eam nunquam facit conditionem suam deteriorem.

Quomodo distinguitur novatio voluntaria?

Est vel novatio in specie, quæ fit, cum vel summa sive res, vel debiti causa vel modus obligandi manente eodem debitore & creditore mutatur; vel est delegatio, cum alius debitor promittit solutionem creditori sui creditoris, *§.* 3. *Inst. h. l.* 11. *D. h.*

Quomodo delegatio distinguitur à cessione?

Delegatio fit, cum debitor alius promittit ei, cui delegatur, solutionem: cessio fit sine promissione; imo cessio fieri potest invito vel ignorante debitore, *l.* 1. *C. h.* Sic delegatus non potest solvere suo priori creditori, &, si solverit, nihil agit; cum is, contra quem cessa

cessa est actio, priusquam litem sit contestatus vel ei sit denunciatum vel is partem debiti solverit cessionario, recte primo creditori solvat & sic liberetur, *l. 3. C. h.*

Quæ obligatio tollitur per novationem?

Non distinguendum est, adeoque & in obligationem naturalem tantum potest fieri novatio, *l. 1. in fin. D. h. d. §. 3. Inst. h.* tolliturque per eam fidejussio, *l. 60. D. de fidejussor. l. 4. C. h.* Eo tantum attento, ut si conditionalis sit, vel in diem incertum contracta obligatio, non statim novata dicatur, sed tunc cum conditio extiterit, *d. §. 3. l. 5. l. 8. §. 1. l. 14. D. h.* & si in diem sit contracta, ex ea agi non possit antequam dies venerit, *d. l. 5.*

Annon pœnali stipulatione novatur præcedens obligatio?

Non videtur, quia pœnalis stipulatio non additur, ut tollatur prior, sed firmior sit propter pœnam, *§. ult. Inst. de verb. obligat.* Nec contrarium est in *l. 1. §. 8. D. ad l. falcid. in l. 1. D. de pen. legat. in l. 24. D. quand. dies legat. l. 44. §. fin. D. de oblig. & Action. l. 84. D. de verb. oblig.*

Debetne exprimi animus novandi?

Debet, *l. fin. C. h.* quia nemo præsumitur sibi quid adimere vel quid mutare, *d. l. fin.* interim certæ conjecturæ hic sunt admittendæ. Non autem potest colligi ex prorogatione diei solutionis novatio, nec fidejussor ex ea liberabitur, nisi ad certum tempus præcise fidejussor obligaverit, *l. 15. D. h. l. 25. §. fin. de recept. arbit.* Nec obstat *l. 7. C. de locat.* quia ibi conductio, non dies solutionis prorogatur.

Tit. 3. De solutionibus ac liberationibus. Tit. 43. Lib. 8. Cod.

Quid est solutio?

In genere, est quælibet liberatio ab obligatione, *l. 54. D. h.* In specie, est præstatio naturalis ejus, quod debetur.

Qua

Quæ debent concurrere ut efficaciter fiat solutio in specie?

Concurrere debent nonnulla ratione personarum. 1. Vt is sit, qui solvere possit. sunt enim nonnulli, qui non possunt: ita pupilli sine tutoris autoritate, aliique, qui nihil alienare possunt, non solvunt, nec rem faciunt accipientis: imo quod solutum est vindicare possunt, *l.* 13. 14. *§. fin. D. h. §. fin. Inst. de h. q. alien. non lic.* 2. Vt ei solvatur, qui liberare potest, *l.* 14. *D. h.*

Potestne & procuratori solvi?

Potest, *l.* 20. *ff. h.* sive sit generalis, *l.* 34. *§.* 3. *D. h.* sive ad exigendum constitutus, *d. l.* 12. *D. h.* licet mandatum sit revocatum ignorante debitore, *d. l.* 12. *§.* 2. Non autem constituto ad litem agendam, *l.* 86. *D. h.* Imo & aliquando non procuratori solvitur, si nomen insertum sit stipulationi, *d. l.* 12. *§.* 1. etiam creditore invito, *d. l.* 12. *§.* 3.

Debetne distingui inter personas solventes quæ solvere possunt, utrum pro se, an pro aliis solvant?

Licet pro alio solvere & ex mandato, *l.* 49. 64. 66. *D. h.* & sine mandato, ignorante debitore, & pro invito, *l.* 23. 40. *D. h. pr. Inst. quib. mod. toll. oblig.*

Quæ debent concurrere ratione rerum?

1. Vt totum solvatur, *pr. Inst. eod. l.* 3. *D. famil. erciscæ.* nisi pars debiti sit illiquida, *l.* 21. *D. de reb. cred.* vel diversæ summæ debeantur, *l. fin. D. quib. mod. pig. solvat* vel fiat partis solutio ex voluntate, *§.* 1. *in fin. Inst. quib. mod. toll. oblig.* vel lex aliud admittit; uti fit in hæredibus, inter quos ipso jure obligatio dividitur, *l.* 6. *C. famil. erciscæ. l.* 11. *l. ult. D. de distract. pig.* 2. Vt idem, non aliud solvatur, *l.* 2. *§.* 2. *D. de reb. cred.* nisi necessitas, vel lex publica, vel creditoris voluntas aliud admiserit, *Nov.* 4. *c.* 3. *l.* 35. *§.* 3. *C. de donat. junct. l. fin. §.* 5. *C. de commun. serv. manumiss. l.* 57. *D. h.* vel de corpore sit actum ceu quantitate, *l.* 1. *in fin. l.* 35. *junct. l.* 9. *D. de aur. & argent.* vel postea sit petita æstimatio, *l.* 22. *D. de reb. cred.*

Quæ

Quæ concurrunt respectu modi?

Vt fiat suo loco, *l.* 2. *s.* 7. *l.* 9. *D. de eo quod cert. loco.* adjecto tempore, *l.* 122. *D. de verb. oblig.* Ante diem vero solvere est permissum, *l.* 137. *s.* 2. *D. eod.* nisi creditoris gratia dies adjectus sit, quod probandum est, at non præsumitur.

Si nummi sint solvendi, quales solvi debent?

In omni [a] forma, modo nulla sit in ea re captio vel [b] vexatio, *l.* 99. *D. h.* & in specie [c] non sit actum, ut in certa specie solverentur.

[a] Ratio est, quia pecunia usum suum non tam ex substantia quam ex quantitate habet, *l.* 1. *D. de contrah. empt.* & ideo hoc quod hic proponitur, generali totius mundi consuetudine receptum est, *Bald. in l.* 8. *C. de sentent. & interloc. n.* 6. *Annæ. Robert. Rer. Jud. l.* 1. *cap. ult. & l.* 4. *c.* 18 *Grot. lib.* 3. *part.* 10 *n.* 18. *& p.* 14. *n.* 39. *Christin. vol.* 3. *decis.* 1. *n.* 1. *& vol.* 1. *decis.* 215. *n.* 9. [b] Veluti si magnæ summæ debitor in minutissimo pecuniæ genere solvere velit, *Busius de Ann. redit. l.* 2. *c.* 6. *n.* 19. *& in l.* 2. *D. de reb. cred. n.* 5. *&* 6. *Molin. de Usur n.* 748. [c] *Grot. dict. locis. Christin. vol.* 1. *dec.* 215. *n.* 10. *& dec.* 391. *& vol.* 3. *decis.* 43. *n.* 3.

Quid, si quid sit solutum ei, cui ex variis causis debetur?

Debitor potest in continenti constituere tempore solutionis, in quam causam velit esse solutum, *l.* 1. *C. h.* Siquidem debitor nihil constituerit, potest creditor suo jure in continenti constituere, dummodo sic agat ut in re sua agi vellet, *l.* 1. *in fin.* 2. 3. *D. h.*

Quid, si nihil dictum sit tempore solutionis?

Semper in duriorem causam creditor sibi acceptum ferre debet, *d. l.* 3. *D. h.* ac sic videtur quid solutum esse 1. in debitum sub infamia, *l* 7. *D. h.* 2. In debitum sub pœna, *l.* 4 *D. h.* 3. In debitum sub pignore, *l.* 5. *s.* 2. *D. h.* 4. Magis in proprium quam alienum, *d. l.* 4. *D. h.* His vero cessantibus semper in vetustiorem causam, *d. l.* 5. *pr.* & prius in usuras, quam sortem, *d. l.* 5. *s.* 2. *&* 3. & si omnia nomina sint similia ratione temporis & causæ, pro rata ex singulis summis videtur quid esse solutum, *d. l.* 5. *l.* 8. *D. h.*

Tit.

Tit. 4. De Acceptilationibus. Tit. 44. Lib 8. Cod.

Quid est acceptilatio?

Est solutio imaginaria, cum quod debetur acceptum fertur, ac si vere solutum esset, *§.* 1. *Inst. quib. mod. toll. oblig.* vel, ut Modestinus ait, est liberatio per mutuam interrogationem, per quam contingit ab obligationis nexu absolutio, *l.* 1. *ff. h.*

Quomodo distinguitur?

Fit vel simpliciter, vel per Aquilianam stipulationem. Simpliciter, cum verborum obligatio verbis tollitur, *§.* 1. *Inst eod.* Per Aquilianam stipulationem, cum quod ex alia causa debetur, prius transfunditur in obligationem verborum, & deinde verbis tollitur, *§.* 2. *Inst. eod.*

Acceptilatio inutilis habetne vim pacti?

Id affirmatur *l.* 8. *ff. h.* quod in stipulatione inutili non admittitur, quia per illam contrahenda est obligatio, *l.* 1. *§.* 2. *ff. de verb. oblig.*

De dissensu & aliis nonnullis modis.

Quomodo dissensu solvitur obligatio?

Ea, quæ consensu facta est, contraria voluntate dissolvitur re integra, *§. fin. Inst. quib. mod. toll. oblig.* & si res desierit esse integra, non aliter, quam omnibus redintegratis, *l.* 58. *ff. de pact.* salvo autem jure eorum, quibus jus interim quæsitum est.

Quid, si re contracta sit obligatio?

Non aliter solvitur, quam re restitura: quo enim modo quid ligatum est, eodem solvi debet, *l.* 35. *ff. de reg. jur.*

Suntne & alii modi?

1. Est confusio, cum debitor creditori vel creditor debitori succedit, *l.* 93. *in fin. l.* 95. *§.* 2. *ff. de solut.* 2. Compensatio, *l. fin. §.* 1. *C. de compensat.* 3. Oblatio, consignatio & depositio rei debitæ, *l.* 9. *C. de solut. l.* 6. 9. 19. *C. de usur.* 4. Pactum expressum vel tacitum, vel transactio. 5. Interitus rei debitæ.

Tit.

Tit. 5. De Prætoriis (a) stipulationibus.

Quæ sunt stipulationes prætoriæ?

In specie sunt eæ, quas prætor interponit, de quib. *tit. sup. de divis. stipul.* In genere, quæ sunt ex edicto ejus. Hæ sunt vel judiciales, quæ propter judicium interponuntur, ut judicatum solvi; vel cautionales, quæ ad securitatem fiunt, uti sunt de legatis, de tutela; vel communes, quæ fiunt & causa judicii & securitatis, uti quæ fiunt judicio sistendi causa.

[a] Totum hunc tit. de stipulationibus prætoriis, in Gallia abrogatum tradit *Autumn. ff. h.* Quod admitti potest si nomen spectes: si rem, non utique; hæc n. stipulationum & cautionum genera, sicut apud nos, ita & in Gallia observari constat, *Baro ad tit. Inst. de divis. stipul. Grot. l. 3. p. 3. n. 79.*]

Omnes cautiones prætoriæ requiruntne fidejussores?

Verum est, cum satisdatio in specie exigitur, *l. 7. ff. h.* non cum in genere cautio. Sufficit enim nonnunquam nuda promissio. ita in operis novi nunciatione, qui suo nomine cavet, repromittit, qui alieno nomine satisdat. de opere, quod in privato factum, est satisdatio, de eo quod in publico, est repromissio, *l. 1. §. 6. ff. h.* Ex causa damni infecti de ædibus est repromissio; de flumine publico satisdatio. *d. l. 1. §. 7.* stipulatio duplæ est repromissio, nisi aliter convenerit. *d. l. 1. §. 8.*

Potestne sæpius prætoria stipulatio interponi?

Potest, cum sine culpa stipulatoris cautum esse desiit, *l. 4. D. h.*

Quomodo ambiguus sermo interpretandus est?

Quia spectari debet mens prætoris, ipsius erit interpretari, *l. 9. D. h.*

Tit. 6. Rem pupilli vel adolescentis salvam fore.

Quæ est stipulatio rem pupilli vel adolescentis salvam fore?

Hac consulitur pupillis & minoribus ad securitatem per satisdationem, *l. 1. & 4. §. 4. D. h.*

Ex

Ex quibus causis ex hac agi potest?

Ex iisdem, quibus tutelæ, *d. l.* 4. *§.* 6. *l.* 11, *ff. h.* Nec solum quod in patrimonio est, sed quicquid etiam accessorium est, hac stipulatione comprehenditur, *l.* 9. 10.

Quid, si plures sint fidejussores?

Si pupillus agat, non dividitur actio, quia non contraxit ipse; secus si alius, *l. fin. ff. h. constit. Nov.* 4. *c.* 1.

Tit. 7. Judicatum solvi.

Quæ est stipulatio, judicatum solvi?

Hæc tres habet clausulas, *l.* 6, *ff. h.* 1. De re judicata, per quam præstatur quantum judex pronunciaverit, *l.* 9. *ff. h.* & quoad ipsam causam, & quoad contumaciam aut delictum, *l. ult. C. de fidejuss.* 2. De re defendenda ex boni viri arbitratu, & in solidum, *l.* 35. *§.* 2. *D. de procurat. l.* 17. *D. h.* 3. De dolo malo, ut is absit omni tempore, *l.* 19. *D. h.*

Tit. 8. Rem ratam haberi, & de ratihabitione.

Quæ est satisdatio, rem ratam habere?

Quæ præstatur, cum dubitatur de mandato procuratoris, *l.* 1. *C. de procurat.* ex qua agitur in id quod interest, *d. l.* 19. *D. h.*

PANDECTARUM

LIBER XLVII.

Tit. 1. De privatis delictis.

Delictum quomodo distinguitur?

ESt aliud publicum, aliud non publicum. de publico infra agitur. Non publicum est, vel privatum [a] vel populare.

[a] Privata & publica delicta hodie non differunt, *Clar. §.* 1. *quæst.* 1. *n.* 6. *Autumn. ff. h.*]

Quo

Quod est privatum?

Ad cujus pœnam tantum læsus agit, non alius.

Quomodo distinguitur privatum?

Est vel ordinarium, vel extraordinarium.

Quæ species sunt ordinarii delicti?

Furtum, rapina, damnum injuria datum, ac injuria, *pr. Inst. de obl. q. ex delict.*

Quæ sunt communia in privatis delictis?

1. Quod læsi tantum agant. 2. Quod actiones pœnales pecuniariæ non dentur contra hæredes, nisi lite contestata vel quatenus ad hæredes pervenit. 3. Quod non desideretur inscriptio, nisi criminaliter agatur, *l. fin. D. h.* 4. Quod si multa concurrant, nullius debeat dari impunitas, *l. 2. D. h.*

Tit. 2. De furtis. Lib. 6. Cod.

Quid est furtum?

Est contrectatio (quæ fit per amotionem, vel aliam quamvis rei interceptionem, *§. 6. Inst. de oblig. quæ ex delict.*) fraudulosa rei, lucrifaciendi causa, rei, vel usus, vel possessionis, *l. 1. §. ult. D. h.*

Quid requiritur, ut furtum dicatur esse commissum?

1. Ut sint personæ doli capaces, *l. 23. D. h.* Hæc autem capacitas non ex annis certis, sed ex facto pro re nata, ad arbitrium judicis æstimanda est. 2. Ut penes furem sit affectus furandi, *§. 7. Inst. eod.* 3. Ut fiat invito domino, *§. 8. Inst. eod.* 4. Ut res sit talis, quæ possit cadere in furtum.

Potestne filius patri, in cujus est potestate, furtum facere?

Non ex eo datur actio patri adversus filium, sed res fit furtiva, & reliqui, qui opem vel consilium dederunt, furti tenentur, *§. 10. Inst. eod.*

Quid, si quis opem vel consilium tulerit?

Non facit furtum, sed tenetur furti, modo sit secutum, *§. 1. Inst. eod.* sive opem tantum tulerit animo furti ab alio committendi, sive consilium tantum dederit sciens, *l. 53. §. 1. D. de verb. signif.*

Quarum rerum sit furtum?

Tantum alienarum, non propriarum, nisi quatenus

quid

quid absit. §. 10. *Inst. eod.* Non liberorum hominum, nisi qua patri adimitur utilitas.

Quomodo fit?

Vel manifeste, cum fur deprehenditur in furto vel in loco, quo furtum fit, vel cum re, antequam detulerit ad locum, in quem deferre voluit, §. 2. *Inst. eod.* Vel non manifeste, *d.* §. 2.

Debetne necessario deprehendi?

Debet. Nec sufficit, si fur tantum sit visus & non deprehensus, *l.* 7. *D. h.*

Quibus datur actio?

Non tantum dominis, quibus furtum est factum, sed & omnibus, quorum interest ex honesta causa rem esse salvam, quique levem culpam præstare debent, §. 13. *&. seqq. Inst. eod. l.* 11. 12. *D. h.*

Quæ est pœna furti?

Ordinaria est de jure civili tantum pecuniaria, in manifesto [a] quadrupli, in non manifesto [a] dupli. Præter hanc datur & vindicatio contra possessorem, vel condictio furtiva contra furem, aut ejus hæredem in solidum, §. *fin Inst. eod. l.* 9. *D. de condict. furt.* Extraordinaria est criminalis, *l. fin. D. h.*

[a] Furti manifesti & nec manifesti distinctio, ejusque dupli & quadrupli pœna hodie non observantur, *Gudelin. de jur. noviss. l.* 3. *c.* 13. *Zypæ Not. J. B. tit. de pœnis.*]

Estne fur ultimo supplicio afficiendus?

Si furtum sit simplex, nec de jure divino nec civili pœna capitalis unquam ordinario statuta. Cæterum, si alia scelera concurrant, vel nimis frequentia sint delicta, exasperari secundum qualitatem rei potest supplicium, *l.* 16. §. *fin. l.* 28. §. *penult. D. de pœn.*

Liceatne rem furtivam quærere in alienis ædibus?

Non aliter, quam cum suspicio est contra illum, in cujus ædibus inquisitio facienda est, *arg. l.* 1. §. *hoc autem D. l.* 2. *C. de serv. fugitiv.* vel publica utilitas urget, *l. quosdam C. de metall: l. omnes in fin. C. de aquæduct.* Nec aliter inquisitio fiet, quam præsentibus ad eam rem ex senatu deputatis, *arg.* §. 4. *Inst. eod.*

Tit. 3. De tigno juncto.

Quid juris in tigno furtivo juncto?

Dominus constante ædificio tignum non potest vindicare sed agit in duplum; ac præterea habet condictionem, vel soluto ædificio vindicationem, *l.* 1 2. *D. h.*

Tit. 4. Si quis testamento liber esse jussus fuerit, & post mortem domini, ante aditam hæreditatem, surripuisse aut corrupisse quid dicetur.

Quid si is, qui in testamento liber est jussus, ante aditam hæreditatem domini quid subripuerit?

Datur in eum actio utilis in duplum, *l.* 1. *D. h.*

Tit. 5. Furti adversus nautas, cauponas, stabularios.

Quid, si furtum sit factum in navi, caupona, vel stabulo?

Si per eos, quorum opera exercentur naves, cauponæ, stabula, datur actio adversus exercitores in duplum: si per viatores, potest agi & adversus exercitores in simplum ad restituendum quod oblatum est, & adversus ipsos viatores furti in duplum, *l. unic. D. h. l.* 1. *s.* 2. *l.* 2. *&* 3. *naut. caup. stabul.*

Tit. 6. Si familia furtum fecisse dicetur.

Quid, si familia, hoc est, omnes servi furati sint?

Habet dominus electionem, utrum velit solvere quantum solvendum esset si unus furtum commisisset, an velit omnes noxæ dare, *l.* 1. *D. h.*

Tit. 7. Arborum furtim cæsarum.

Quid, si arbores furtim fuerint cæsæ?

Datur actio in duplum, facienda æstimatione quanti interfit non cædi, *l.* 7. *s. fin. & l.* 8. *D. h.* & qui arbores & maxime vites cædunt, etiam tanquam latrones puniuntur, *l.* 2. *D. h.*

Quid

Quid est cadere furtim?

Ignorante domino vel succidere, vel ferire cædendi causa, *l. 5. D. h.*

Quid est cingere?

Est deglabrare abstracto cortice arborem, *d. l. 5.*

Quid, si cinxerit quis & exstirpaverit arborem?

Tenentur ex l. Aquilia quasi ruperit, *l. 7. §. 7. junct. l. 5. §. 1.*

Tit. 8. Vi bonorum raptorum & de turba. Tit. 13. Lib. 6. Cod. 2. Lib. 4. Inst.

Quid est rapina, & quæ actio ex hoc delicto?

Est contrectatio rei alterius violenta. Ex hac datur læso privata actio intra annum in [a] quadruplum, cui rei persecutio inest; post annum in simplum, *pr. Inst. h.* aut judicium publicum de vi publica vel privata.

[a] Quadrupli aliæque pœnæ legales, quæ parti læsæ applicantur, ubique, ut sæpius dictum, in desuetudinem abierunt.]

Quid, si quis per errorem juris rem suam, vel quam putabat esse suam, rapuerit?

Si suam, amittit dominium: & si eam, quam putabat esse suam, restituet eam cum æstimatione, *§. 1. Inst. eod.*

Cui, & adversus quos datur hæc actio?

Datur iis, quibus furti, *§. fin. Inst. eod.* adversus raptores, vel qui rapinam fieri curaverunt, *l. 2. §. 8. D. h.*

Tit. 9. De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.

Quæ actio datur in eum, qui ex incendio, ruina, naufragio, dolo malo damnum dedit?

Actio intra annum in [a] quadruplum; post annum in simplum, *l. 1. D. h.*

[a] Hæc quadrupli pœna non observatur, sed hodie adversus eum, qui ex incendio, ruina, naufragio quid rapuit, in litem juratur, & præterea arbitrarie punitur.

Quid,

Quid, si orto incendio ædes dissipatæ sint?

Si ædes necessario essent perituræ, nulla dabitur actio, *l. 3. §. 7. D. h.*

Quid jure novo cautum est de naufragiis?

Quod tam ipsa navigia, quam navigantium bona integra servari debeant, nisi exercuerint piraticam pravitatem. Nec fisco datur ex hac re actio: non enim ex aliena calamitate & re luctuosa compendium sectari debet.

Tit. 10. De injuriis & famosis libellis. Tit. 35. Lib. 9. Cod. 4. Lib. 4. Inst.

Quid est injuria?

In genere est omne factum contra jus, *pr. Inst. h.* Ita in l. Aquil. damnum injuria committi dicitur, *§. 2. Inst. de leg. Aquil.* In specie, est delictum privatum, quo liberi hominis corpus aut fama læditur, *d. pr. & paragr. 1. h.*

Quæ debent concurrere ut injuria sit illata?

1. Affectus injuriandi, *l. 3. 4. D. l. 9. l. 10. C. h.* qui in facto per se contumelioso semper præsumitur, *arg. l. 41. D. ad l. falcid.* nisi contrarium probetur, *l. 5. C. h. junct. l. 42. D. de verb. signific.*

Quomodo distinguitur?

Est vel realis, quæ re & facto, uti pulsatione, vulneratione; vel verbalis, quæ verbis per convitia, per famosos libellos infertur, *§. 1. Inst. h. l. 1. §. 3. D. h.*

Qui possunt injuriam inferre?

Qui doli sunt capaces, *l. 3. §. 1. D. h.* Prodigi itaque etiam inferre possunt, *arg. l. 111. D de reg. jur.*

Per quos & quibus infertur injuria?

Et per eos, qui intulerunt, & per eos, qui dolo malo curarunt, *paragr. penult. Inst. h.* Patimurque non tantum per nos, sed & per liberos, uxores, *§. 2. Inst. h.* per defunctum, cujus hæredes sumus, si post obitum fama ejus læsa, vel cadaveri sit illata injuria, aut funeri, *d. l. 1. §. 4. 6. D. h.*

Quid, si injuriam inferens nesciat, cujus sit filius vel uxor?

Æque dabitur actio patri vel marito, *d. l. 1. §. penult.*

Si quidem filio vel uxori sit illata injuria, annon consumetur actio, si ex unius persona sit actum?

Nullo modo: spectantur enim singulorum personæ, *d. l. 1. §. fin.*

Quomodo per servos & famulos nostros infertur?

In illis, qui sunt in potestate, vindicatur tantum ea, quæ atrox est, vel directa in contumeliam nostram, *§. 3. Inst h.* Liberis hominibus nobis inservientibus si sit illata, tunc tantum à nobis vindicanda est, quæ pertinet ad diminutionem nostræ existimationis.

Quæ est pœna injuriarum?

Cum alia [a] sit atrocior, alia levior; sive civiliter sive criminaliter agatur, est arbitraria in omnibus, in quibus non est specialis constituta pœna, *§. 7, 8. 10. Inst. h.*

[a] De injuriarum pœna hodierna vide *Grot. lib. 4. p. 35. & p. 36. Zypæ. Not. J. B. h. t. Anton. Matth. de Crimin. l. 47. tit. 4. c. 3. n. 7. & Baro. Inst. h.*

Quæ est atrox injuria?

Ex loco, ex tempore, ex persona, vel aliis circumstantiis id dijudicandum est, *l. 7. §. atrocem. l. 8. l. 9. D. l. 4. C. §. 9 Inst. h.*

Potestne & per procuratores hæc actio expediri?

Recte quidem civilis, *l. 11. §. 2. l. 17. §. 19. D. h.* non criminalis, nisi persona sit illustris, *§. 10. Inst. l. ult. C. h.*

Actio ad recantationem estne civilis vel criminalis?

Magis est civilis, quia per eam honor læsus restituitur.

Quibus modis extinguitur actio injuriarum?

1. Morte, *l. 13. pr. l. 15. & 14. D. h.* nisi lis fuerit contestata, *l. 139. D. de reg. jur.* 2. Dissimulatione, sive à principio sive ex intervallo interveniat, *§. fin. Inst. h.* 3. Pacto, *l. 17. §. 1. D. de pact.* 4. Transactione, *l. 11. §. 1. 5.* Juramento, *d. l. 11. §. 1. D. h.* 6. Lapsu unius anni, *l. 5. C. l. 17. §. 6. D. h.* tam in reali, quam verbali. 7. Solutione, *arg. §. fin. de perp. & temporal. action. l. solutionem ff. de solution.*

An

An etiam injuria scripta anno tollitur?

Omnino, *arg. d. l.* 5. modo scriptum non maneat, tunc enim quotidie renascitur.

De famosis libellis. Tit. 36. Lib. 9 Cod.

Estne pœna in famoso libello specialis?

1. Qui condemnatus est ob eum sit intestabilis, *l.* 5. *§.* 9. *ff. de injur. l.* 21. *ff. de testib.* Imo qui scripsit vel scribi curavit, vel inventum non suppressit, capitali sententiæ subjicitur, *l unic C. h.* quod moribus limitatur sc. habere locum, cum capitale crimen objicitur.

Quid, si verum crimen objicitur?

Æque habet actio injuriarum locum, si animo injuriandi id objectum sit; nisi reipublicæ interfit delictum illud patefieri, *l.* 18. *ff. de injur.*

Tit. 11. De extraordinariis criminibus.

Enumera aliquas species extraordinariorum criminum?

1. Si quis solicitaverit alienas nuptias, licet effectu sceleris non sit [*a*] potitus, *l.* 1. *pr. h* 2. Si quis fimo corrupto aliquem perfuderit, luto oblinuerit, aqua spurcaverit, *d. l.* 1. *§.* 1. 3 Si quis habere cœtus illicitos vel religionis vel voti solvendi specie tentaverit, *l.* 2. 4. Si quis partum abegerit, *l.* 4. *ff. h.* 5. Si quis quid impudicitiæ gratia vel cum pueris vel cum puellis commiserit, *d. l.* 1. *§.* 2. 6. Si quis sit Dardanarius, & annonam attentet & vexet, *l.* 6. *pr. h.* 7. Si quis sit Saccularius, qui veritas in sæculo artes exercet, ac partem subducit & subtrahit 8. Si quis sit Directarius, qui in aliena cœnacula se dirigit furandi animo, *d. l.* 7. 9. Si quis scopelismo det operam & lapidem ponat indicio, quo sit periturus, qui agrum eum coluerit; *l.* 9. *ff. h.* 10. Si quis Circulator serpentes circumferat; ac damnum dederit, *l. fin. ff. h.*

[*a*] Nostris & aliorum moribus non punitur hujus criminis affectus, nisi sequatur effectus, *Bugn. de LL. abrog. l.* 1. *sat.* 160. *Farinac. Prax. crim. quæst.* 135. *n.* 213.]

De Nili aggeribus non rumpendis. Tit. 38. Lib 9. Cod.

Suntne plura extraordinaria?

Si quis tentaverit rumpere & perforare chomata, i. e. Aggeres Nili, antequam incrementum ejus excesserit cubitum duodecimum, *l.* 10. *D. de extraord. crimin. l. unic. C. h.*

Tit. 12. De Sepulchro violato. Tit. 19. Lib. 9. Cod.

Estne & aliud extraordinarium?

Violatio sepulchri, quæ fit, cum reliquiæ vel ossa contrectantur, vel sepulchra destruuntur, *l.* 4. *C. h.*

Quæ est pœna hujus?

Est vel [a] civilis, quæ datur agenti, primo ei cujus interest, deinde, si ille non agat, cuivis è populo ad centum aureos, vel si quis in sepulchro dolo malo habitet, aut ædificium ibi fecerit, ad ducentos, *l.* 3. *in princ. D. h.* Vel est criminalis, quæ est capitis in illos, qui armata manu cadavera spoliant, *d. l.* 3. *§.* 7. vel alia, *l.* 3. 4. 5. *C. l. ult. D. h.*

[a] Hodie est arbitraria, *Zypæ. not. I. B. de Relig. Clarus §. fin. q.* 68. *n.* 45].

Estne quid in specie constitutum circa sepulchra debitorum?

Si quis debitorem defunctum impediverit sepeliri, vel alias tristem familiam gravet, debito suo cadit, ac alterum tantum hæredibus inferre jubetur, confiscatis bonis pro tertia parte, & infamia notatur, *auth. item qui. C. h.* Deinde constitutum, ne intra novem dies quis ulla ratione inquietetur ex persona defuncti, *auth. sed neque. C. h.*

Tit. 13. De concussione.

Estne aliud extraordinarium?

Est crimen concussionis, quo sub prætextu potestatis, quam quis habet, terror injicitur pecuniæ vel rei alterius extorquendæ causa, aut in accusationem innocen-

nocentium coitur, aut ob accusandum vel non denunciandum testimonium pecunia recipitur, *l.* 1. *& 2. D. h.*

Tit. 14. De abigeis.

Da aliud extraordinarium.

Est crimen abactus. Abigei autem proprie sunt, qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahunt, deprædantur, ac hoc studium quasi artem exercent. cæterum. si bovem errantem, vel equum in solitudine relictum quis abduxerit, fur magis quam abigeus dicitur, *l.* 1. *q.* 1. *D. h.* Itaque si decem oves, porcos quinque vel quatuor abegerit, abactus est; si pauciores, furtum. equum autem, bovem vel unum si quis abegerit, committit abigeatum, *l.* 3. *D. D.*

Quæ est pœna abigeorum?

Si se gladio defendant durissime puniuntur & ad [a] gladium solent condemnari, vel bestiis objici, alias aliam pœnam sustinent, *l.* 1. *pr. q.* 3. *l.* 2. *D. h.*

[a] Abigei, etiamsi unicam tantum ovem furati sint, hodie ad laqueum condemnantur, & ipsorum bona fisco addicuntur ex edictis DD. Ord. Hollandiæ *edit.* 16. *Decemb.* 1595. *&* 19. *Mart.* 1614. *art.* 3. *Christin. vol.* 4. *decis.* 103. *n.* 4.

Tit. 15. De prævaricatione.

Estne aliud extraordinarium?

Prævaricatio, quæ committitur, cum adversa pars adjuvatur prodita sua causa, *l.* 1. *pr. D. h.* Si ipse litigans fuerit prævaricatus in publico judicio, publicum erit judicium; si in privato privatum, *d. l.* 1. *§.* 1. *l.* 3. *pr. & §.* 1. *D. h.* Et si ideo quis accusetur, quod destituerit crimen judicii publici, non est judicium publicum, *d. l.* 3. *§. fin.* Advocatus vero, sive in publico sive in privato prodiderit causam, non incidit in crimen judicii publici, sed extraordinarium, *d. l.* 1. *§.* 1. *d. l.* 3. *§.* 2.

Tit. 16. De Recepratoribus.

De his, qui latrones, vel aliis criminibus reos occultaverunt. Tit. 39. Lib. 9. Cod.

Da aliud extraordinarium?

Est crimen receptationis: quod pessimum est, cum quis receptat latrones vel alios sceleratos; qui eadem pœna, [a] qua scelerati ipsi, sunt afficiendi, *l.* 1. *D. h.* nisi sit affinis vel cognatus, cum quo mitius est agendum, licet non sit absolvendus, *l.* 2. *D. h.*

[a] Receptatorum pœnam arbitrariam esse recte docet *Menoch. de Arbitr. jud. casu.* 348. *Gomez. Resol. tom.* 3. *c.* 3. *n.* 50. & hoc jure utimur.]

Quid, si quis reum non exhibuerit, cum monitus esset?

Dominus possessionis privatur dominio, procurator mittitur in exilium, *l.* 2. *C. h.*

Tit. 17. De furibus balneariis.

Da aliud extraordinarium?

Furtum, quod in balneo committitur; cujus pœna est extraordinaria, *l.* 1. *D. h.*

Tit. 18. De effractoribus, & expilatoribus.

Da aliud extraordinarium?

Id committitur, cum quis effregit carcerem, domum, aut ostium, *l.* 53. *D. de furt.* arcam, armarium vel ferramenta ad hoc accommodavit, *l.* 54. *s.* 4. *D. de furt.*

Quæ est pœna eorum, qui effregerunt carcerem?

Est arbitraria, pro modo delicti, *l.* 1. *D. h. add. l.* 3. 8. *s. pen. D. de pœn. l.* 13. *s. pen D. de re militar.*

Quæ est pœna Commentariensis, cum carcere effracto sontes evaserunt?

Siquidem dolo ejus id sit factum, eadem [a] pœna est afficiendus ex rigore juris, qua ii, qui fugerunt; alias, si culpa ejus tantum intervenerit, puniendus est arbitrariè, *l.* 4. *C. de custod.*

[a] Hodiè arbitraria est, *Clar. s. fin. quæst.* 68. *n.* 8. *Menoch. de Arbitr. jud. casu.* 302.]

Da

Da aliud extraordinarium crimen?

Est, quod expilatores committunt, sic dicti quod ædes alienas vel villas expilent, vel homines in itinere spolient, ut ne pilum quidem relinquant. hi extra ordinem puniendi sunt, *l.* 1. *§.* 1. *D h.*

Tit. 19. Expilatæ hæreditatis. Tit. 32. Lib. 9. Cod.

Da aliam speciem criminum extraordinariorum?

Est crimen expilatæ hæreditatis, quod committitur, cum quis jacentem hæreditatem antequam hæres adierit, vel possessionem ejus receperit, expilat. cujus pœna est extraordinaria, *l.* 1. *l.* 2. *§* 1. *ff. h.*

Daturne accusatio ex hoc crimine adversus omnes?

Non datur adversus uxorem, quia nec furti adversus eam agitur, *l. penult. ff. h.* sed si ea possideat, convenietur in rem actione, *l.* 4. *C. h.* non adversus cohæredem, cui hæreditariæ arcæ claves sunt traditæ; sed ad exhibendum agetur, *l.* 1. *C. h.* vel familiæ erciscundæ, *l.* 3. *C. famil. erciscund.* aliterque punietur.

Potestne & hæres aliam instituere actionem?

Potest & vindicationem, *l.* 3. *ff. h.* siquidem hoc judicio agere nolit.

Tit. 20. Stellionatus. Tit. 34. Lib. 9. Cod.

Da aliam speciem?

Est crimen stellionatus, quod generalius accipitur pro crimine omni, in quo speciale non est nomen nec specialis forma, *l.* 3. *§.* 1. *ff. h.*

Da casus aliquos, quibus committitur?

Si quis sciens rem alienam in alterum transtulerit ex titulo ad rem transferendam habili, *l.* 1. 2. vel aliud quid dolo fecerit, quod in ordinarium crimen non incidit.

Quæ est pœna?

Etiam extraordinaria, *l.* 3. *§.* 2. quæ evitari potest, si debitum offeratur & ante litem solutio fiat, *l.* 1. *C. h.*

Tit. 21. De termino moto.

Da aliam speciem?

Est crimen moti termini, cujus duplex pœna est, &

criminalis, de qua in *l.* 2. 3. *§.* 1. & pecuniaria, de qua in *d. l.* 3. *pr. D. h.*

Ad quem pertinebit pœna pecuniaria?

Ad agentem, verba enim *in publico* in *d. l.* 3. *pr.* sic sunt accipienda, quod non fisco pœna solvatur, sed in publico, hoc est, illi, qui ex populo agit.

Tit. 22. De collegiis & corporibus.

Da aliam speciem.

Qui collegia, vel corpora illicita usurpaverit, tenetur pœna, qua is qui armatis hominibus loca publica vel templa occupasse fuerit judicatus, *l.* 2. *D. h.* & sic quoque Majestatis læsæ, *l.* 1. *§.* 1. *D. ad l. Jul. majest.* si sc. id fiat in perniciem Reip.

Quæ collegia sunt licita?

Quæ religionis causa habentur, *d. l.* 1 *§.* 1. Cætera, si non sint permissa, illicita [*a*] censenda sunt.

[*a*] Sic illicita anabaptistarum, aliarumque sectarum collegia apud nos per conniventiam tolerantur non probantur, ut judicatum refert *Coren obs.* 9.]

Tit. 23. De Popularibus actionibus.

Quæ sunt actiones populares?

Quæ suum jus populo [*a*] tuentur, *l.* 1. *D. h.* & quibus quilibet ex populo agere potest.

[*a*] Hic titulus nusquam observatur, *Rebuff. ad Const. Reg. in præm. gloss.* 5. *n.* 92.]

Quis ordo in hisce servatur?

Præfertur is, cujus interest, *l.* 3. *§.* 1. *h.* licet sit pupillus vel mulier, *l.* 6. *D. h.* Deinde quilibet admittitur, modo postulare non prohibeatur, *l.* 4. *D. h.* Et, si plures agant, Prætor eligat maxime idoneum, *l.* 2. *D. h.*

Danturne & contra hæredes?

Hæredibus quidem eorum, quorum interest, sed non in hæredes, nec post annum competunt.

Ad quem pertinebit pœna huic rei præstituta?

Ad actorem, nisi speciatim aliud in lege sit depositum.

PAN-

PANDECTARUM

LIBER XLVIII.

Tit. 1. De publicis judiciis. Tit. 18. Lib. 4. Inst.

Quæ sunt publica judicia?

QUæ certis legibus sunt publicè constituta, *l. 1. ff. h.* & regulariter quidem cuivis [a] ex populo permittuntur, *§. 1. Inst. h.* quibusque nunquam ad commodum privatum sed ad publicam vindictam agitur. [a] Hodie ex quibuscunque delictis solus fiscus ejusque procuratores pœnam, cæteri privatum tantummodo interesse prosequuntur, *Grot. lib. 3. p. 23. n. 7. Christin. vol. 4. decis. 194. n. 4. Gudelin. lib. 5. c. 14.*]

Quomodo distinguuntur?

Sunt vel capitalia, de quibus est pœna mortis, naturalis vel civilis; vel non capitalia, in quibus est levior coërcitio, *l. 2. D. h.*

Suntne nonnulla generalia in publicis delictis?

Plurima sunt. 1. Non est publicum crimen, nisi quod ex legibus publicorum judiciorum venit, *l. 1. D. h.* 2. Ad publicum crimen sive accusationem regulariter quilibet admittitur, *§. 1. Inst. h.* 3. Omne publicum crimen infamat, *l. 7. D. h.* 4. Publico crimini non fit præjudicium per privatum, *l. 1. & tot. tit. C. quando civilis actio.* 5. Ad crimen judicii publici persequendum frustrà procurator vel defensor intervenit, *l. 13. §. 1. D. h.* nisi agatur de relegatione, vel pœna, quæ relegatione est minor, aut in id, ob quod absens condemnari potest, vel nisi absentia tantum excusetur, *l. 33. §. 2. D. de procurat. l. 3. C. de accusat. d. l. 13. §. 1.* 6. Omne crimen ejusque pœna morte extinguitur, *l. 6. D. h.* 7. Præscriptione viginti annorum tollitur accusatio, nisi aliter sit constitutum, *l. 12. C. ad l. Corn. de falsi.*

Tit. 2. De accusationibus & inscriptionibus. Tit. 2. Lib. 9. Cod.

De his qui accusare non possunt. Tit. 1. Lib. 9. Cod

Quomodo proceditur in publicis judiciis?

Duplici modo, vel per viam inquisitionis, quam ex officio magistratus facit, *arg. Nov. 128. cap. 21 l. 1. C. de custod. reor. l. 10. C. de episcop. & cleric. l. 7. 14. C. de appellat.* vel per modum accusationis, quæ fit ab aliquo ex populo, ac hodie à procuratore Fisci.

Quomodo per viam inquisitionis?

Generaliter, cum de delicto tantum constat, *l. 1. §. 25. D. ad S. Consultum Syllan.* quo casu testes rogandi, quis delicti sit author, ac inquirendum est judici de veritate facti ejusque circumstantiis: specialiter, cum de delicto & delinquente constat vel ex fama publica vel ex denunciatione magistratui facta.

Quomodo per accusationem?

Cum is cui permissum est accusare offert libellum, & pœnam reo infligi postulat.

Qui possunt accusare?

Regulariter omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem nonnulli ob sexum, ut mulieres, *l. 8. D. h.* Nisi lex ob publicum bonum speciatim id concessit. ut in crimine læsæ Majestatis, *l. 8. D. ad l. Iul. majest.* & Annonæ, *l. fin. D. ad l. Iul. de annon.* Nonnulli ob ætatem; uti impuberes, etiamsi authore tutore agere vellent, *l. 8. D. h.* Nonnulli ob statum; uti servi, *l. 53. D. de judic.* Nonnulli ob reverentiam, quam debent accusandis; uti liberi, liberti, *d. l. 8. D. h.* Nonnulli ob munus publicum, ut magistratus, *d. l. 8.* Nonnulli propter sacramentum, ut milites, qui stipendium merent, *d. l. 8.* Nonnulli propter delictum proprium, ut infames, *d. l. 8. junct. l. 4. D. h.* Nonnulli propter suspicionem calumniæ, ut qui falsum testimonium subornati dixerunt, *d. l. 8. & seqq.* Nonnulli, quia duo judicia adversus duos subscripta habent, *d. l. 8.* Nonnulli propter paupertatem, quia minus quàm quinquaginta aureos in bonis habent, *l. 10. D. h.* Hi autem

autem omnes recte suam injuriam vindicant ac propinquorum mortem accusant, *l.* 11. *ff. h.*

Possuntne & omnes accusari?

Possunt omnes, paucis exceptis. Excipiuntur Legati & Magistratus populi, *l.* 12. *pr. D. h.* hi enim post depositam provinciam conveniuntur, *l. unic. C. ut judices post admin.* Mortui, *l.* 20. *ff. h.* nisi casibus, *d. l.* 20. expressis. Accusati quoque certa lege, rei fieri nequeunt de eodem crimine ex aliis legibus, *l.* 14. *ff. h.*

Quomodo concipi debet libellus accusationis?

Non tantum persona, locus, tempus, ac crimen designari debent, sed & subscribendum est in crimen, *l.* 3. *ff. h.*

An & hora vel dies apponi debent?

Non est quidem de substantia: cæterum, si reus petat, addi debent, *d. l.* 3. *in fin. princ.*

Quid, si libelli inscriptionum legitime non sint ordinati?

Absolvitur accusatus ab instantia, verum ex integro repetendi reum potestas fiet, *d. l.* 3. *§.* 1.

Quid, si accusator decesserit, vel alia sit justa causa, ob quam impediatur accusare?

Aboletur nomen rei, postulante id reo, *d. l.* 3. *§. fin.* Non autem eidem, sed alii licebit postmodum ex integro reum repetere, *d. l.* 3. *§. fin. junct. l.* 4. *in fin. ff. ad Tertul.*

Tit. 3. De custodia & exhibitione reorum. Tit. 3 & 4. Lib. 9. Cod.

Quid primum judici in delatione vel accusatione gravato est faciendum?

Æstimabit magistratus, cui est ea jurisdictio, utrum reus carceri sit committendus, an militibus vel fidejussoribus, vel etiam sibi, *l.* 1. *ff. h.* & si carceri sit inclusus, eum quam primùm audiet & accusationem brevissimo tempore terminabit.

Quando fidejussoribus committetur reus?

Si non sit nimis grave crimen, *l.* 3. *D. h.* Grave autem dicitur, cum ad pœnam corporalem agitur.

Quid præstabit fidejussor, si reum, pro quo satisdedit, non exhibuerit?

Plectitur pœnâ pecuniaria: eaque quantitas, quæ expressa est, præstabitur; si non sit expressa, ea quam inferre jusserit judex, *d. l.* 4.

De privatis carceribus inhibendis. Tit. 5. Lib. 9. Cod.

Licetne privatos habere carceres?

Nequaquam. Hac de re statutum, ut qui carceres privatos habuerit, in crimen læsæ majestatis [a] incidisse videatur, *l.* 1. *C. h.* & qui aliquem iis incluserit, per tot dies patiatur pœnam publici carceris, quot retinuit alium in privato, & causâ, quam habebat adversus inclusum, cadat, *d. l.* 1. *C. h.*

[a] Hodie hæc pœna multo mitior & arbitraria est, *Autumn. h. Clar. s. fin. quæst.* 68. *n.* 32.]

Nunquam ergo permissum est privatis alios includere?

Permissum est parentibus liberos contumaces domi continere, *arg. l. unic. C. de emendat. propinq.* ut & dominis servos suos inobedientes, *arg. l.* 35. *s.* 3. *D. de hæred. instit.* marito adulterum cum uxore deprehensum per horas viginti diurnas nocturnasque testandæ & probandæ ejus rei causâ domi suæ retinere, *l.* 25. *D. ad l. Iul. de adult.* cuivis etiam latronem, maleficum, furem nocturnum apprehendere & detinere, ut judici eum offerat, *l.* 2. *C. de his qui latron. l. C. de malefic. huc fac. l.* 4. 5. *D. ad l. Aquil.*

Tit. 4. Ad legem Juliam Majestatis. Tit. 8. Lib. 9. Cod.

Quæ sunt species publicorum judiciorum?

Sunt variæ Prima est læsæ majestatis, cujus distincti sunt gradus aut enim committitur cum quis directo adversus rempublicam quid hostile molitur, vel Principis personam offendit vel saltem offendere cogitat, *l.* 1, 2, 3, 4. *D. l.* 5. *C. h. s.* 4. *Inst. de publ. jud.* quod crimen appellatur Perduellio, aut committitur, cum quis ea, quæ majestatis sunt, violat & sibi arrogat, veluti si quis adulterinam monetam cudat, privatos

tos habeat carceres, vel ſtatuas aut imagines Imperatoris jam conſecratas violaverit, *l. 2. C. de falſ. monet. l. 1. C. de privat. carcer. l. 6. D. h.*

A quibus committitur proprie crimen perduellionis?

Tantum à ſubditis, *cap. paſtoralis 2. §. rurſus. De ſentent. in re judic. in clementin.* unde & Vaſallum Principis, ſi non ſit ejus ſubditus, crimen hoc non committere verius eſt.

Quæ eſt ejus pœna?

Ultimum ſupplicium, damnatio memoriæ poſt obitum, & bonorum confiſcatio. In filiis reorum ſtatutum eſt, ne ex proximorum ſucceſſione quid capiant, ad nullos honores, ad nulla ſacramenta perveniant. In filiabus, ut tantum legitimam ex bonis matris conſequantur. In conſciis ac miniſtris, ut eadem in iis pœna vigeat, quæ in ipſis reis, *l. 5. §. 1. 3. 6. C. h.* iique, qui pro reis interveniunt, infames ſint, *d. l. 5. §. 2.*

Ad quem pertinebunt bona, quæ filiis obvenerunt?

Non ad fiſcum, ſed legitimos alios hæredes, *arg. l. 1. C. de hæred. inſtit.* ſunt enim magis liberi incapaces, quam indigni.

Quid, ſi quis Conſiliarium Principis interfecerit?

Si ex odio privato, tenetur ex l. Corn. de Sicar. ſi ex odio in principem, reus erit criminis læſæ majeſtatis, *arg. d. l. 5. C. h.*

Si quis Imperatori maledixerit. Tit. 7. Lib. 9. Cod.

Committiturne crimen læſæ majeſtatis tantum ſecuto effectu?

Non tantum effectus punitur, ſed & voluntas, quæ innotuit, & conſpiratio, *d. l. 5.*

Quid, ſi quis Imperatori maledixerit?

Si id proceſſerit ex temulentia, nulli pœnæ ſubjugabitur: ſi ex inſania, miſeratione dignus: ſi ab injuria, remittetur. Cæterum, negotium hoc ad principem referendum eſt, ut is ex perſonis hominum dicta penſitet, &, utrum prætermitti an exquiri debeat, cenſeat, *l. unic. C. h.*

De

De seditiosis, & de his, qui plebem contra rempubl. audent colligere. Tit. 30. Lib. 9. Cod.

Quid, si quis seditionem in republica moveat?

Pro qualitate facinoris, aut laqueo, aut gladio, aut flammis, aut membrorum distractione, aliave dura pœna coërcetur, semperque ei denegantur ea, quæ per tumultum obtinuit, *l.* 2. *C. h.*

Quid, si tota plebs exsurgat in magistratum?

Præcipuè in authores animadvertitur, *l.* 38. *§.* 2. *ff. de pœn.* ac plebs mulctâ, exactionibus & privilegiorum ademtione punitur, *l.* 1. *C. h.*

Tit. 5. Ad l. Iul. de adulteriis coërcendis. Tit. 9. Lib. 9. Cod.

Quæ est secunda species?

Adulterium, quod est violatio nuptiarum alienarum. hujus pœna ex jure divino & constitutione Constantini, est ultimum supplicium, *Gen.* 38. *v.* 24 *Lev.* 20. 10. *l.* 30. *§.* 1. *C. h.* alia pœna describitur *Nov.* 134. *c. fin.*

Qui propriè committunt adulterium?

Jure civili ab uxore indistinctè, sive cum soluto sive conjugato: à marito, si cum nupta se commiscet, *l.* 6. *§.* 1. *l.* 34. *§.* 1. *ff. h. l.* 101. *l.* 225. *ff. de verb. sig.* Jure verò divino & canonico non distinguitur etiam in marito, *Matth.* 5. 27. *ibid. c.* 19. *vers.* 9. *Marc.* 10. 11. *canon. nemo* 4. *caus.* 32. *qu.* 4. *can. non mœchaberis* 15. *can. præcepit.* 19. *caus.* 32. *q.* 5.

Quid de sponsa in hac re statuendum?

Cum ea adulterium committi verius est, *l.* 13. *§.* 3. *ff. h. l.* 7. *Cod. h.*

Quis ordo servatur in accusatione adulterii?

Primo loco [a] maritus, post illum pater, ac deinde frater, patruus, & avunculus admittuntur, *l.* 14. *l.* 30. *C. h.* Maritus jure mariti, pater jure patris, intra 60 dies utiles à soluto matrimonio, *l.* 6. *C. h.* imò & post 60 dies maritus rectè accusat, non jure mariti sed extranei, *d. l.* 6.

[a] Adul-

[a] Adulterii accusatio hodie penes fiscum est, sed de matrimonio per adulterium violato queri, atque divortium petere tam uxori quam marito promiscue permittunt hodierni mores, *Christin. vol. 4. decis. 197. n. 9. Bugn. de LL. abrog. l. 4. lem. 24.*]

Quæ differentia est inter jure mariti accusare, vel jure extranei?

Qui jure mariti accusat, non cogitur se inscribere, abolere potest suo arbitrio accusationem, nec de calumnia tenetur, nisi ea fuerit evidens, *l. 14. §. fin. l. 30. ff. h.* secus, si jure extranei accusat.

Potestne ergo & uxor maritum accusare?

Nequaquam jure mariti, *l. 1. C. h.* sed jure extranei, *l. 8. junct. 11. ff. de accusat.* Et rectè aget ad thori separationem, dotis suæ restitutionem, & lucrum donationis propter nuptias, quod ei innocenti addicitur.

Potestne maritus adulteram uxorem interficere? & pater filiam?

Pater jure interficit [a] filiam, quam habet in potestate, deprehensam in adulterio domi suæ, vel generi, *l. 20. 22. §. 1. ff. h.* & maritus [a] adulterum uxoris rectè interficit domi suæ, *l. 24 ff. h.*

[a] Hunc rigorem nec canones *c. 6. inter caus. 33. quæst. 2.* nec mores receperunt, *Gudelin. lib. 5. c. 18. Zypæ. de rapt. virg. in pr. Christin. ad LL. Mechlin tit. 2. art. 13. n. 19.*]

Quæ est tertia species?

Est stuprum, quod est coitus illicitus cum virgine vel vidua extra speciem concubinatus. cujus, si fuerit violentum, pœna est capitalis, *l. 1. in fin. D. de extraordin. crimin.* si voluntarium, lenior. ac secundum mores multis locis incumbit stupranti necessitas dotandi vel ducendi stupratam.

Quæ est quarta species?

Est incestus, qui est coïtus illicitus inter eos, qui ob necessitudinem matrimonio jungi nequeunt. Hujus varii sunt gradus. Est enim alius inter ascendentes, alius inter collaterales proximiores vel remotiores. Primi generis pœna est ultimum supplicium.

Deut.

Deut. 27. 20. *& seqq* Secundi pro ratione circumstantiarum varia, *l.* 4. *C. de incest. nupt.*

Quæ est quinta species?

Est nefandum Sodomiæ crimen, cujus pœna est ultimum supplicium gladio vel igne inferendum, *Deut.* 22. *v.* 13. *Lev.* 20. *v.* 13.

Si quis eam. cujus tutor fuerit, corruperit. Tit. 10. Lib. 9. Cod.

Quid, si quis eam, cujus tutor fuerit, corruperit?

Deportabitur cum proscriptione omnium bonorum, *l. unic. C. h.*

De mulieribus, quæ se propriis servis junxerunt. Tit. 11. Lib. 9. Cod.

Quid, si mulier proprio servo se junxerit?

Servus flammis exuretur, ac domina [a] capitali supplicio afficienda est, *l. unic. C. h.*

[a] Hæc pœna hodie exolevit, cum apud nos omnes homines liberi sint.]

Tit. 6. Ad legem Iuliam de vi Publica. Tit. 12. Lib. 9. Cod.

Quæ est sexta species?

Vix [a] publica, quæ fit cum vel vis infertur armis, *s.* 8. *Inst. de publ. jud.* vel sine armis à persona publica, *l.* 7. *D. h. l.* 1. *C. h.* vel à privato personæ publicæ, *d. l.* 7. *in fin.* sive modo publico aut tali, quo interdictum est privatis, *l.* 1. *& seqq. D. h.*

[a] Arbitraria est hodie vis publicæ & privatæ pœna, *Clar. s. fin. quæst.* 83.]

Quid, si quis domum oppugnaverit non secuta effractione?

Etiam hoc casu judicium de vi publica datur, *per. l.* 1. *& seqq. ff. h.*

Quæ est hujus pœna?

Ex jure civili deportatio, vel, concurrentibus aliis, ultimum supplicium, *l.* 10. *q.* 2. *ff. l.* 6, 7, 8. *C. h.* Hodie plerumque pœna gladii est.

Tit. 7.

Tit. 7. Ad legem Juliam de vi privata. d. Tit. 12.

Qua est septima species?

Vis privata, quæ committitur, quoties privatus sine armis lædit privatum, *§. 8. Inst. de publ. jud. §. 6. Inst. de interd.* vel per iujuriam convocatis hominibus ex alienis bonis quid rapit, aut aliquem dejicit de possessione, *l. 5. D. h.* vel etiam non convocatis hominibus alterum lædit, *l. 4. C. h.* aut bona debitoris vi occupat, *l. 5. C. h.* ac ex ea datur accusatio, quoties & publica committitur, *arg l. 10. §. 1. D. de vi publ. l. 2. & seqq. D. h.*

Quid in dubio statuendum an publica aut privata sit?

Mitior sententia eligenda est, ideoque privatam censemus, *arg. l. 42. ff. de pœn. l. 20. ff. de reb. dub.*

Quæ est hujus pœna?

Publicatio trientis bonorum, & infamia, *l. 1. ult. ff. h.*

De raptu virginum, nec non viduarum, & sanctimonialium. Tit. 13. lib. 9. Cod.

Quæ est octava species?

Est raptus, quo mulier honesta, virgo, vel vidua, vel etiam sanctimonialis, improbè abducitur, *l. unic. C. h.*

Quid est ejus pœna?

Non tantum hujus criminis rei, sed & omnes, qui opem ferunt, socii ac ministri sunt, capitis supplicio & bonorum proscriptione damnantur, quæ raptæ addicuntur, *d. l. unic. §. 1.* sive crimen perpetraverint, sive perpetrare conati sint, *d. l. unic. C. h.*

Quibus vindicta hæc competit?

Parentibus, consanguineis, tutoribus & curatoribus, adeo ut & iis liceat deprehensum in hoc crimine raptorem occidere, *d. l. unic. princip.*

Quid, si rapta dicat se non vi raptam esse?

Eadem pœna locum habet, *d. l. unic. §. 2. C. h.* nisi ipsa raptum suaserit.

Quid, si rapta postea raptori nupserit?

Nullum lucrum, etiam ex testamento raptoris capere potest, siquidem citra voluntatem parentum nupserit, sed

sed bona transferuntur ad parentes raptæ vel ad fiscum, *Nov.* 134. *in fin. Nov.* 150.

Quid, si parentes remiserint crimen raptori?

Deportantur, *d. l. unic. §. 2. in fin.* vel in exilium mittuntur, *d. Nov.* 150.

Quid, si nupta sit rapta, vel sponsa?

Eadem pœna locum habet, *d. l. unic. pr. versic. quæ multo.*

Quid, si pudicitia raptæ non sit violata?

Æque locus erit huic pœnæ, *d. l. unic. junct. l. 5. in fin. ff. ad l. Iul. de vi publ. l. 54. C. de episc. & cler.*

Quid, si fœmina virum rapuerit?

Eidem pœnæ subjicietur, *arg. l. 1. ff. de verb. signif.* maxime si ad effectum plenum res sit perducta. Non enim in violatione pudicitiæ sola hujus pœnæ est ratio, sed in raptu.

Tit. 8. ad legem Corneliam de sicariis & veneficiis. Tit. 16. Lib. 9. Cod.

Quæ est prima species?

Homicidium, *§. 5. Inst. de publ. jud.* modo sit voluntarium.

Cur voluntarium dicitur? suntne & aliæ species?

Homicidium est, vel voluntarium, cum dolo malo quis hominem cujuscunque conditionis, sive sit masculus sive fœmina, sive servus, *l. 1. §. 2. ff. l. pen. C. h.* sive infans sive adultus, sive furiosus sive mentis compos, *l. pen. C. h.* occidit. Vel necessarium, quod fit ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, *l. 1. C. unde vi. l. 1, 2, 3. C. h.* Vel casuale, quod citra propositum occidendi & necessitatem casu committitur, *l. 7. ff h.*

Quæ pœna est in voluntario?

Pœna gladii. *d. §. 5. Inst. de publ. jud.*

Unde probabitur animus occidendi?

Ex qualitate instrumenti ipsiusque facti, *l. 1. §. 3. D. h.* Et, si dolus probari non possit, sed culpa tantum, licet etiam sit lata, infligetur pœna arbitraria, *l. 7. D. h.*

An

An tantum hac pœna teneantur qui occiderunt hominem?

Etiam illi [a] qui hominis occidendi causa cum telo ambulant, hoc est, diu & studiose hoc agunt, ut hominem necent, *l.* 7. *C. h. d. §.* 5. & illi, qui abortionis poculum propinant ad fœtum formatum extinguendum, licet nec mulier nec fœtus interierit, *l.* 38. *§.* 5. *ff. de pœn.* Etiam ii, qui aggressi sunt necare infantem, *l. penult. C. h.*

[a] Hodie non puniuntur, nisi ad actum proximum pervenerint, quo casu pro ratione circumstantiarum, & judicis arbitrio interdum ordinaria legis Corneliæ, interdum mitiori pœna plectuntur, *Gudelin. de jur. noviss. lib.* 5. *c.* 18. *Zypæ. Not. J. B. h. tit. Sande l.* 5. *tit.* 9. *def.* 11.]

Valetne & hodie pœna in eo, qui hominis occidendi causa cum telo ambulat?

Mitius cum eo agitur, nisi alia delicta simul concurrant. Itaque arbitraria in hac re est pœna.

Quid, si fœtum quis informatum abegerit?

Vindicatur id delictum pœna exilii vel relegationis, *l.* 39. *ff. de pœn.* licet etiam mulier ipsa visceribus suis vim intulerit, *l.* 1. *ff. h. l.* 4. *ff. de extraord. crimin.*

Quid juris in infante, impubere, minore, ebrio, occidentibus?

Infans non punitur, *l.* 12. *ff. h.* Impubes non aliter quàm si doli capax, *l.* 112. *ff. de reg. jur.* Si autem sit doli capax, mitiorem decernet pœnam judex, *arg. l.* 37. *§.* 1. *ff. de minor.* Minor verò non excusabitur, *l.* 6. *C. h.* Ebrius, si docere possit, profundam fuisse ebrietatem, arbitraria pœna punietur, *arg. l.* 6 *§* 7. *ff. de re militar.* Sin autem ebriosus fuerit, non facile quid de pœna remittetur.

Quid, si quis mandaverit hominem interfici?

Punitur tanquam homicida, *l.* 15. *§.* 2. *ff. h.* nisi revocaverit mandatum re integra, *arg. l.* 19. *ff. de falsi.* si autem tantum quis mandaverit, ut percuteret vel vulneratur leviter, & mandatarius occiderit, non habet locum pœna homicidii, *arg. §.* 8. *Inst. de mandat.*

Quid,

Quid, si quis consilium in hac re præbuerit?

Si necandi animo consilium dederit vel opem tulerit, ordinaria pœna tenebitur, *arg. d. l. 15. in princ.*

Quid, si homicidium à pluribus sit commissum?

Si conspiraverint omnes in necem alterius, omnes tenebuntur, licet ignoretur quis vulnus intulerit, *arg. l. 1. §. 3. D. junct. l. 7. C. h.* Si in rixta sit commissum homicidium, & ignoretur quis commiserit, omnes extraordinaria pœna plectentur, *d. l. 1. §. 3. l. fin. D. h.* Sin autem constet, quis interfecerit, is solus tenebitur, *arg. d. l. 1. § 3.*

Estne præter pœnam gladii etiam civilis in homicidio voluntario?

Est, tenetur enim homicida ad damni reparationem, ac indignum se reddit hæreditate occisi ex testamento vel ab intestato sibi delata, *l. 6. §. penult. D. de bonis Damnat.*

Estne necessarium homicidium permissum?

Omnes leges permittunt se tueri adversus vim, *l. 3. D. de justit. & jur. l. 45. §. 4. D. ad l. Aquil.* modo defensio fiat in continenti ab eo, qui in periculo vitæ est constitutus, cum sese tueri non posset nisi occidendo; sive paribus sive imparibus armis sit usus.

Quid, si quis, ad aliorum defensionem, interfecerit aggressorem?

Recte fecit, *arg. l. 8. §. 3. D. quod met. caus. Prov. cap. 24. can. Non inferenda. & seq. & fin. caus. 23. qu. 3.*

Quid statuendum, si quis defendat suam pudicitiam vel res suas & invadentem interficiat?

Si attentetur pudicitia per vim præsentem & minas mortis, vel rapturus rem, invadat dominum rei, impune ipsi cedet homicidium, *arg. d. l. 8. §. 2. & l. 1. C. unde vi.*

Casuale homicidium habetne pœnam?

Nequaquam, nisi culpa accesserit, *l. 7. D. h.* Culpa autem non interveniisse præsumitur, si casus directo probari possit.

De

De maleficis, & mathematicis, & cæteris similibus. Tit. 18. Lib. 9. Cod.

Quæ est decima species?

Est crimen [a] maleficii, quod committitur ab illis qui carminibus, præstigiis & similibus nequitiis vitas, innocentium labefactant, ac pudicos animos ad libidinem deflectunt, quique Deo deserto cum dæmone pactum ineunt. Hosce manet pœna gladii, *l. 4. §. 6. C. h.* Quibus & accensendi sunt Mathematici, non qui siderum motus & effectus qui ex iis sequuntur inquirunt; sed qui susurris magicis, & artibus nefandis alios circumveniunt, & sceleſtas seditiones sæpe in republica movent, de quibus *l. 3. §. 7. C. h.* Etiam ad hunc maleficorum ordinem sunt referrendi venefici, qui venena vendunt ad necandos homines, *§. 5. Inst. de pub. judic.*

[a] Ad hunc titulum vide *Gregor. Tholos. Synt. lib. 34. Zepper. de LL. Mosaic. l. 4. c. 4. Autumn. h.*

De Emendatione servorum. Tit. 14. Lib. 9. Cod.

Licetne servos suos emendare?

Concessa est domino moderata castigatio, *l. unic. C. h.* prohibita vero est crudelitas, *d. l. unic. & §. 2. Inst. de Lis qui sunt sui vel alien. jur.*

De Emendatione propinquorum. Tit 15. Lib. 9. Cod.

Potestne pro lubitu pater in liberos sævire?

Concessa est patribus filiorum, & senioribus propinquis juniorum modica tantum emendatio, ut quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non provocant, serio corrigant, *l. unic. C. h.*

Quid, si atrocius delictum à filio sit perpetratum?

Non potest pater eum interficere, verum eum accusabit apud ordinarium judicem, ut ab eo auditus condemnetur, *l. 2. D. ad l. Corn. de sicar.*

Tit. 9.

Tit. 9. Ab legem Pompeiam de parricidis. De his qui parentes vel liberos occiderunt. Tit. 17. Lib. 9. Cod.

Quæ est undecima species?

Est Parricidium, quod committitur in gene e ab iis, qui sanguine vel affinitate sibi junctos necant, *l.* 1. *D. h.* in ipecie ab iis, qui aliquem ex parentibus vel liberis vel affinitate junctis occidunt, *s.* 6. *Inst. de public. judic.*

Quæ est parricidii pœna?

Iure civili, si in specie sit commissum, delinquens virgis sanguineis [a] cæsus, cum cane, gallo gallinaceo, viperâ & simia, culeo insutus in mare vel proximum amnem projicitur, *d. s.* 6. *& l. un. C. h.* Si aliter sit commissum, locum habet pœna ordinaria homicidii, *d. s.* 6. Secundum mores paraicidium in specie committens, vel conjugem interficiens multis locis gravius punitur, ut vel membra candenti forcipe discerpantur, vel confrigantur, vel vivus defodiatur delinquens.

[a] Hoc supplicii genus in usu esse desiit, & parricidæ hodiè pro cujusque regionis consuetudine varie puniuntur; Vide *Gudelin. lib.* 5. *c.* 17. *in vers. penult. Clar. s. parricidi n.* 5.

Quid in hac re de conscíis & iis, qui tantum hoc crimen committere conati sunt?

Conscii & sceleris participes, quamvis sint extranei, eâdem pœnâ afficiuntur, *l.* 6. *D. h.* & conatus qui processit ad proximum actum, eodem modo punitur, quo ipsum delictum, *l.* 1. *D. h.*

Quid in eo, qui scit delictum, non vero est particeps sceleris?

Extraordinariâ pœnâ debet affici, *l.* 2. *D. h.*

Tit. 10 ad legem Corneliam de falsis, & de SCto Liboniano. Tit. 22. Lib. 9. Cod.

Quæ est duodecima species?

Est crimen falsi, quod committitur dolo malo per immu-

immutationem veritatis. In hoc crimine varia facta vindicantur. 1. Si quis vendat rem duobus, *l.* 21. *D. h.* Si creditor colludens cum debitore suo fundum quasi pignoratum vendiderit, cum sibi solutum esset, *l.* 15. *C. h.* 3. Si quis partum alienum supposuerit, *l.* 16. *§.* 1. *l.* 30. *§.* 1. *ff. h.* cujus rei accusatio solis parentibus, iisque quorum interest competit, *d. l.* 30. *§.* 1. 4. Si quis falsum testimonium dixerit vel male tiose veritatem celaverit, *l.* 1. *§.* 2. *ff. h.* 5. Si quis publicum vel privatum scriptum adulteraverit, *l.* 1. 16. 23. *ff. h.* aliisque multis modis alterum fefellerit dolose.

Quæ est hujus pœna?

Hodie fere est arbitraria, quæ & ad mortem extendi possit, uti fit casu, *l.* 1. *§.* 1. *D. ad l. Corn. de sicar.*

De falsa moneta. Tit. 24. Lib. 9. Cod.

Quid, si quis falsam monetam cuderit?

Sive quis cuderit, sive raserit, vel falsum signum nummis impoluerit, flammarum exustionibus mancipatur, bonis fisco addictis, *l.* 2. *C. h.*

Quid, si conscii sint tantum?

Eádem pœnâ afficiuntur, nisi deferant reos, *l.* 1. *in fin. C. h.*

Quid, si proba sit moneta & justi ponderis?

Iure civili infligitur eadem pœna: secundum mores mitius cum delinquente agitur.

Quid, si quis præparaverit materiam, non tamen ex ea nummos formaverit?

Etsi pœnitentiâ nemo reddatur innocens, tamen hoc casu suffragio justæ pœnitentiæ absolvetur, *l.* 19. *D. ad l. Corn. de falsi.*

De mutatione nominis. Tit. 25. L. 9. Cod.

Quid, si quis nomen mutaverit?

Si quis [*a*] vel falso diplomate vel falso nomine aut signo in alterius fraudem sit usus dolo malo, pœna falsi coerceatur, *l.* 27. *§. fin. D. ad l. Corn. de falsi.* secus si id fiat sine dolo, *l. unic. C. h.*

[*a*] Vide *Autumn. h. Fab. Cod. l.* 9. *tit.* 19. *defin.* 1. *Gregor. Tholos. Syntag. l.* 36. *c.* 4.

De

De his qui sibi adscribunt in testamento. Tit. 23. L. 9. Cod.

Quid, si quis sibi quid testamento adscripsit?

Licet testator scribentibus testamenta quid legare possit, *l.* 22. *C. de testam.* tamen, si quis sibi adscribat legatum, pœnâ falsi coercetur, *l.* 3 *C. h.* sive sit maritus, *l* 4. *C. h.* sive alius, sive sibi quid adscripserit, sive ei, qui in ejus potestate est, *l.* 10. 15. *D. ad l. Corn. de falsf.* sive testamentum ritè factum postea rumpatur, sive non, *l.* 6. *D. h.*

An nullis casibus datur excusatio?

Datur. 1. Si testator declaraverit se speciatim hoc voluisse, *l.* 2. *C. h.* 2. Si quis adscripserit filio emancipato vel in adoptionem dato, *l.* 22. *s.* 1. *ff. ad l. Corn. de falsf.* vel matri, cum hoc jussit testator, *l.* 11. *s.* 1. *eod.* 3. Si pater filio suo militi, quem habet in potestate, in testamento commilitonis filii aliquid adscripserit, quem commilitonem in militia novit, *d. l.* 11 *in princ.* 4. Si filius emancipatus se patre dictante hæredem scripserit, cum emancipatus justus successor æquè futurus esset, *l.* 1. *C. h.* 5. Si princeps veniam indulserit. quo casu pœna remittitur, sed adscriptum amittitur, *l. penult. C. h.*

Quid. si testator dictaverit?

Non sufficit excusatio, verùm is, qui ita sibi adscripsit potest deprecari veniam ob ignorantiam, ac amittet quod relictum est.

Quid, si sit testamentum nuncupativum, ac deinde quæ relicta sunt, in mundum sint redacta à legatario?

Non nocebit id legatario, modò probari possit legatum.

Tit. 11, Ad legem Iuliam repetundarum. Tit. 27. Lib. 9. Cod.

Quæ est decima tertia species?

Crimen repetundarum, quod committunt, qui pecunias in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel alio munere publico acceperunt ob judicandum vel

vel decernendum, vel quo magis aut minus ex officio suo facerent, *l.* 1. 3, 4. *D. h.*

Quæ est pœna?

Præter accepti [*a*] quadruplum, *l.* 1. *l. ult. in fin. C. h.* fisco applicandum, *d. l. ult. in fin.* hujus criminis Rei extra ordinem puniuntur, *l.* 7. *§.* 3. *D. h.* Pecuniaria autem pœna etiam exigi potest ab hæredibus reorum intra annum, *l.* 20. *D. de accusat. l.* 2. *D. h. l. fin. D. ad l. Iul. peculat.*

[*a*] Concordat supremæ Holland. Curiæ *Instruct. art.* 17. *Autumn. in l.* 6 *ff. h. Christin. vol.* 3. *decis.* 6. *Zypæ. tit. de suffrag.*]

Annon & comites judicum pœna coercentur?

Etiam in hos pœna eadem ex hac lege exercebitur, *l.* 1. *l.* 4. *D. h.*

Tit. 12. ad legem Iuliam de annona

Quæ est decima quarta species?

Est crimen annonæ, quod committunt, qui contra annonam faciunt, societatemve coëunt, quo annona fiat carior. Hujus pœna hodie est arbitraria.

Tit. 13. ad legem Iuliam peculatus, & de sacrilegis, & de residuis.

De crimine peculatus. Tit. 28. Lib. 9. Cod.

Quæ est decima quinta species?

Est crimen Peculatus, quod in specie committitur ab eo, qui pecuniam publicam subripuit, *l.* 9. *§. D. h.* vel in tabulis publicis quid delevit vel induxit, *l.* 8 *§.* 1. vel minorem pecuniam, quam qua quid venierit, adscripsit, aliudve quid simile commisit, *l.* 10. *D. h.*

Quid, si civitati pecuniam quis surripuerit?

Si sit pecunia usibus reipubl. destinata, erit Peculatus, *l.* 4. *§. fin. D. h.* si fuerit in patrimonio civitatis, furtum *l.* 81. *D. de furt.*

Quæ est hujus pœna?

Varia fuit olim, *l.* 3. *penult. D. h.* & sic pro delicti qualitate hodie est arbitraria, & qua ad pœnam pecu-

niariam agitur, etiam adversus hæredem datur, *l. fin. D. h.*

Quæ est decima sexta species?

Crimen sacrilegii, quod L. Iulia Peculatus quoque continetur: estque furtum rei sacræ, *l.* 1, 4, 6. *D. ad l. Iul. pecul.* sive ex loco sacro sive profano quid auferatur.

Quid, si ex loco sacro res non sacra sit ablata?

Furtum est, non sacrilegium, *l.* 5. *D. eod.*

Quæ est hujus pœna?

Ea varia est de jure civili pro qualitate personarum & circumstantiis facti, *d. l.* 4. *§.* 2. *& d. l.* 6. *pr.* verum hodie secundum mores ultimum supplicium.

Quæ est decima septima species?

Est furtum rei religiosæ, *l.* 1. *l.* 4. *D. ad l. Iul. pecul.* cujus pœna est arbitraria.

Quæ est decima octava species?

Est crimen de residuis, quod committunt, qui pecuniam publicis usibus destinatam in suos convertunt, *l.* 2. *ff. ad l. Iul. pecul.* vel pecuniam publicam retinent, nec erogant, *d. l.* 4 *§.* 4. Hac lege damnati, jure civili amplius tertiâ parte quam debent puniuntur, *d. l.* 4 *§.* 5. secundum mores vero pœna arbitraria est.

Tit. 14. De lege Iulia ambitus. Tit. 25. L. 9. Cod.

Quæ est decima nona species?

Est crimen ambitus, quod committitur in specie ab illis, qui pecuniâ honores aut magistratus redimunt. Hujus pœna est de jure civili, quod cassatis iis, quæ hoc modo sunt impetrata, ad solutionem debiti primitus urgeantur & pœnam deportationis excipiant, *l. un. C. h.* Verum secundum mores hæc vix attenditur.

Quæ est vicesima?

Est crimen Simoniæ, quod committunt, qui res spirituales emunt vel vendunt, *cap.* 1. *& tot. tit. x. de Simon.* Hujus pœna est suspensio ab officio & privatio beneficii, ac præterea coercitio extraordinaria, *cap. insinuatum x. eod.*

Tit.

Tit. 15. De lege Fabia de plagiariis. Tit. 20. Lib. 9. Cod.

Quæ est vicesima prima?

Est crimen plagii, quod committunt, qui scientes dolo malo liberos homines vel servos subripiunt, *l.* 7. 9. *C. l.* 4 6. *§. fin, D. h.*

Quæ est ejus pœna?

Ea est varia pro qualitate criminis, *l. fin. C. h.*

Ad legem Visselliam. Tit. 21. Lib. 9. Cod.

Quid comprehensum lege Visellia?

Quemadmodum lex Fabia personas, ita Visellia dignitates hominum ingenuorum tuetur, non enim admittit, ut libertini se pro ingenuis gerant, *l. unic. C. h.*

Tit. 16. Ad SCtum Turpillianum & de abolitionibus criminum. Tit. 45. Lib. 9. Cod. & De calumniatoribus. Tit. 46. Lib. 9. Cod. (a)

Accusatorum temeritas quot modis detegitur ac punitur?

Variis, aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversan ur. Calumniantur, qui falsa crimina intendunt dolo malo, *l.* 3. *l. penult. C. h.* non qui per errorem accusarunt & non probant, *d. l.* 3. Prævaricantur, qui colludunt cum reo, & translatitie munere accusandi defunguntur, abscondentes veras probationes, admittentes falsas excusationes, *d. l.* 1. *§.* 1. *&* 6. *h.* Tergiversantur, qui ab accusatione in universum desistunt, *d. l.* 1. *§.* 2.

[a] Hi tituli privatorum injustas accusationes respiciunt, quæ in universum exoleverunt.

Sunt ne nonnulli casus, quibus sine calumniæ metu quis accusare potest?

Sunt, ut si mater sui filii, *l.* 2. *C. de calum.* filius patris necem vindicet, *l.* 4. *C. eod.* vel extraneus exequatur suspicionem, quam defunctus de sua morte habuit,

d. l. 2. in fin. vel mulier desistat errore comperto ab accusatione, quam facere nequibat, vel statim per pœnitentiam, *l. 1. §. qui v. atque l. 4. D. h.*

Quæ est pœna calumniæ?

In criminalibus est talionis, *l. 7. l. fin. C. eod.* seu potius arbitraria; in civilibus sive privatis, pœna pecuniaria, *§. hac autem Inst. de pœn. tem. litig. l. 1. D. de calum.*

Quæ est pœna ejus, qui tergiversatur?

Præter infamiam extraordinaria coërcitio, *l. 2. C. h.* & qui semel destitit, postea ad accusationem admitti nequit, *l. 3. & 4. C. l. 2. D. eod.*

De abolitionibus. Tit. 42. L. 9. Cod.

Suntne nonnulli casus, quibus impune quis desistere possit ab accusatione?

Sunt nonnulli, quorum primus est, cum transactio fit de crimine capitali sanguinis pœnam ingerente, *l. 18. C. de transact.* Secundus, cum minor desistit vel mulier, *l. 1. §. 10. in fin. D. ad Turpill.* sc. cum fœmina suam & suorum injuriam non exequitur, *l. 5. C. eod.* Tertius, si abolitio obtenta fuerit, *d. l. 1 §. 7.*

Quid est abolitio?

Est criminis ipsius vel accusationis remissio. Criminis, quoties & accusatio & pœna tollitur. Accusationis, cum quis ita eximitur accusatione, ut post repeti possit.

Quis concedit abolitionem?

Vel princeps, vel preses, vel alius, ad quem ea res pertinet, *d. l. 1. §. 8.*

Quid, si multa crimina eidem sint illata?

Singulorum debet abolitio specialiter peti, *d. l. 1. §. 9.* Alioquin si quod omissum, ejus nomine Senatus Consultum habebit locum, *d. §. 9. junct. l. 1. C. h.*

Quæ est ratio quod abolitio sit petenda?

Ne crimina maneant impunita, & ne facile quis prosiliat ad accusandum, *arg. d. l. 1.*

Potestne qui abolitionem obtinuit, redire ad accusationem?

Nequaquam, *l. 4. §. 1. ff. ad Turpill.* nisi specialiter prin-

princeps permittat, *l.* 1. *C. h.* & si reperat crimen post abolitionem ex rescripto principis, eo jure repetet, quo accusaverat. Nec ipsi poterunt obesse præscriptiones, quæ ante non fuerunt objectæ, *l.* 7. *ff. ad Turpill.*

De generali abolitione. Tit. 43. Lib. 9. Cod.

Quomodo distinguitur abolitio?

Est alia publica, alia privata. Publica generalis appellatur, privata specialis.

Quæ est Privata?

Quæ conceditur à judice accusatori causa cognita, cum accusator confitetur se per errorem vel temeritatem aut calorem ad accusandum prosiliisse, ut suam & suorum cognatorum injuriam defenderet, *l.* 2. *C. de abolit.*

Potestne illa absolute concedi?

Potest re integra intra 30 dies; secus, si res non sit integra, & reus nonnulla injuriosa sit perpessus. hoc enim casu desideratur consensus rei, *l.* 3. *C. de abolit.* adde *l. fin. ff. ad SC. Turpill.*

Annon sunt casus, quibus abolitio non potest concedi?

Sunt varii: ut si testibus tormenta sunt illata, si agatur de læsa majestate, patria oppugnatâ vel prodita, peculatu admisso, sacramento desserto, & non admittitur in omnibus, in quibus judex non minus accusatorem ad docenda ea quæ detulit, quam reum ad purganda quæ negat, debet urgere, *d. l.* 3. *in fin.* vel si quis ad accusandum vel ad desistendum ab accusatione pecuniam acceperit, aut manifestè sit calumniatus, *d. l.* 2. & 3.

Quæ est generalis?

Quæ publicè & ipso jure competit, vel ad tempus, vel in perpetuum. Ad tempus propter ferias, *l.* 3. *C. de episc. aud.* In perpetuum, cum rei ob publicam lætitiam liberantur, ex speciali principis indulgentia. Si ad tempus fiat abolitio, potest accusatio repeti, *l.* 1. & 2. *C. h.* intra tempus 30 dierum, *l.* 10 *§.* 2 *ff. ad Turpill.*

Tit. 17. De requirendis reis vel absentibus damnandis. Tit. 40. Lib. 9. Cod.

Debentne absentes delinquentes ex judicio publico condemnari?

Sunt primò requirendi & edictis evocandi, ut compareant & se purgent: præterea sunt & bona annotanda, quæ rei recipiunt, si intra annum se à crimine purgent, *l.* 1. *C. h.*

Quid, si redierit reus, sed antequam se purgaverit, intra annum sit mortuus?

Tollitur causa criminis, & bona hæredibus restituuntur, *d. l.* 1. *C. l.* 1. *§. fin. D. h.*

Quid, si reversus sit post annum?

Etsi innocentiam suam purget, tamen bona non recuperat, *l.* 2. *C. h.*

An nullo casu absentes possunt damnari?

Possunt, si legitimè vocati fuerint contumaces, pœnaque sit relegationis vel ea minor, *l.* 5. *D. de pœnis.*

De exhibendis & transmittendis reis. Tit. 3. Lib. 9. Cod.

Quis potest capere delinquentem?

Tantum hoc fieri oportet authoritate judicis, *l. ult. C. h.* Nulli verò privata, nisi certis causis, de quibus supra.

Debentne etiam delinquentes remitti ad locum delicti?

Debent, quoties judex ejus loci hoc petierit, vel superior jusserit, *l.* 11. *§.* 1. *D. de custod. reor. Nov.* 134. *cap.* 5.

Potestne judex, qui in reum non habet jurisdictionem, reum apprehendere & ad judicem loci, in quo delictum est commissum, transmittere?

Potest, *d. Nov.* 134. *c.* 5 ubi enim delinquens invenitur, capi potest, *l.* 1. *C. ubi de crimin.*

Daturne delinquenti transmittendo aliquod tempus, quo res suas componat?

Siquidem in longinqua loca sit transmittendus, concedendi sunt 30 dies ad res suas disponendas & mœstos penates componendos, *l.* 2. *C. h. t.*

Tit. 18.

Tit. 18. De quæstionibus. Tit. 41. Lib. 9. Codic.

Quæ probationes desiderantur in criminalibus?

Luce meridiana clariores, *l. fin. C. de probat.* Et, si reus fere certis & verisimilibus argumentis sit convictus, solet subjici quæstionibus sive torturæ, *l. 1. & 1. t. D. & C. h.*

Quæ requiruntur, ut quæstionibus sit locus?

Præcedere debent ejusmodi indicia, ob quæ judex non dubitat, quin delinquens sit reus, *l. 8. §. 1. C. h.* Deinde debet esse persona, quæ possit torqueri, *arg. l. 1. D. h.* & causa talis, in qua tortura admittitur.

Sunt ne sufficientia indicia, testis unicus, fama publica, confessio socii criminis, minæ præcedentes, confessio offensi morientis?

Conjunctim quidem sed non separatim. De unico teste, est textus in *l. 9. §. 1. C. de testib. l. 20. ff. h.* De fama est textus in *l. 3. §. 2. de test. cap. 26. x. de despons.* De confessione socii criminis, textus in *cap. veniens x. de test. in l. 3. §. 20. ff. eod.* De minis est textus in *l. 9. C. de his quæ met. caus. in l. 7. §. hoc autem. ff. ad l. Iul. maj.* De confessione offensi morientis est textus, in *l. 3. §. 1. ff. ad Sillan. junct. l. 21. §. ai cum humana C. de testam.*

Sufficitne & unum indicium?

Sufficit, si sit valde urgens, *arg. d. l. 8. §. 1. C. h.*

Quid de fuga statuendum est?

Suspicionem quidem criminis commissi ea inducit, *Nov. 54. c. 4. §. 1.* sed non confert certam præsumtionem: debet vero judex ex qualitate personarum & circumstantiis circumspecte agere, ut pronior sit ad non torquendum, propter rationes in *l. 1. §. 23. 27. ff. h.*

Qui possint torqueri?

Et viri & mulieres, *l. 3. §. 1. C. h.* non vero impuberes, nisi sit crimen læsæ majestatis, *l. 14. pr. §. 1. ff. h.* sed terreri debent, vel ferula cædi, *l. 1. §. 33. ff. ad Sillan.* Non senes ætate defecti, *l. 3. §. 7. D. de Sillan.* nisi leviter. Non fœmina prægnans, *arg. l. 3. ff. de pœn.* Non

illi, qui sunt [a] in dignitate, nec eorum liberi *l.* 11. *C. h.* non [b] milites honeste dimissi, *l.* 8. *C. h.*

[a] Hoc nusquam observatur, *Zypæ. h. t. Clar. §. fin. Q.* 64. *n.* 16,17. [b] Nostris & Gallorum moribus milites etiam torqueri possunt, *Cur. Holland. decis.* 47. *Rebuff. ad Constit. Reg. in proœm. gloss.* 5 *n.* 115. *Autumn. C. h.*]

In quibus causis admittitur tortura?

Non in pecuniariis, sed tantum gravioribus criminalibus, *l.* 1. *pr. ff. h.*

Quid in tortura fiet?

Iudex magis pondere & gravitate sermonis animum delinquentis angat, quam corpus doloribus cruciabit. Nullo modo quæstiones tyrannicæ, & per quas membra redduntur inutilia, admitti debent, *l.* 7. *ff.* Priusquam ad torturam procedatur, præstat summa capita indiciorum reo proponere.

Esne credendum delinquenti propter confessionem in tortura?

Non plene, verùm exactè rimabitur judex, an circumstantiæ omnes conveniant; si autem non conveniant, vel rursus ad quæstionem procedet, cum ipsi ita videbitur, *l.* 18. *§.* 1. *D. h.* vel ipsum absolvet ab instantia, *l.* 1. *§.* 27. *D. h.*

Ut intra certum tempus criminalis quæstio terminetur. Tit. 94. Lib. 9. Cod.

Intra quod tempus quæstio criminalis est terminanda?

Intra biennium à tempore litiscontestatæ, *l. fin. C. h.* Moribus nullum certum tempus præstitutum est.

Tit. 19. De pœnis. Tit. 47. Lib. 9. Codic.

Quomodo distinguuntur & infligendæ sunt pœnæ criminum?

Sunt [a] vel capitales, quæ mortem naturalem vel civilem inferunt; vel non capitales. In genere autem judici perspiciendum, ne quid durius vel remissius quam res poscit, statuat; sit in levioribus pronior ad lenitatem, in gravioribus legis severitatem temperamento benignitatis subsequatur, *l.* 11. *D. h.* In omnibus

nibus hæc examinet. 1. Causam, ex qua delictum ortum. 2. Personam, quæ commisit. 3. Locum & tempus, quo perpetratum est. 4. Qualitatem, secundum quam factum. 5. Quantitatem facinoris. 6. Eventum qui est subsecutus, *l.* 16. *§.* 1. *& seqq. D. h.* Semper pœnam molliat interpretatione, & grassantibus delictis supplicia exasperet, *d. l.* 16. *§. fin. l. pen. D. h.*

[4] Obiter hic observandum pœnas istas pecuniarias dupli, tripli, quadrupli jure Romano constitutas, moribus exoleviſſe, *Zypæ. h. tit. in verſ. pœnæ. Bugn. de LL. abrog. l.* 1. *ſat.* 206. *Argentr. ad conſuet. Brit. art.* 278. *n.* 2. *&* 3.]

Qui debent puniri?

Tantum delinquentes, non ipsorum hæredes, *l.* 22. *C. l.* 26. *D. h.* licet etiam sint filii, *dd. ll.* Imo ob patris delictum nec publicabuntur bona filii, licet ex fideicommisso per patrem obveniant, *l.* 3. *D. de interd. releg.*

Possuntne pœnæ remitti?

Nequaquam, nisi ex maxima causa princeps existimaverit differendam esse pœnam, quia populo hoc profuturum est, ut si ejus sit roboris vel artificii, vel talia ejus sint merita in rempublicam & esse possint, ut cum summo detrimento status publici delinquens occideretur, *l.* 31. *D. h.*

Tit. 20. De bonis damnatorum. Tit. 49. Lib. 9. Cod.

Quid juris in bonis damnatorum?

Ea jure novissimo non fiunt lucro judicibus aut eorum officiis, nec fisco, sed descendentibus & ascendentibus, & ex latere usque ad tertium gradum si supersint applicantur. Vxores dotem & ante nuptias donationem accipiunt: si vero sine dote sint, de substantia mariti accipient partem legibus definitam, sive filios habeant sive non. Si neminem horum habeant delinquentes, admittetur fiscus, *Nov.* 134. *cap. fin.*

Nullumne ergo crimen excipitur?

Solum majestatis læsæ, *d. Nov.* 134. *cap. ult. auth. bona damnatorum C. h.* cui addi potest crimen hæreseos, *auth. Gazaros C. de hæretic.* ex const. Frideric.

Ne sine jussu Principis certis judicibus liceat confiscare. Tit. 48. Lib. 9. Cod.

Possuntne judices confiscare per sententias bona delinquentium?

Nullis hoc est permissum sine principis assensu, nisi in summa [a] potestate administrationis sint positi, quales sunt præfecti prætorio, *l. unic. C. h.*

[a] Nostris & Gallorum moribus confiscare licet omnibus, qui merum imperium & gladii potestatem habent, *Argentr. ad consuet. Brit. art. 613. n. 3. Chassan. ad cons. Burg. rubr. s. 1. n. 1, 2.*]

Tit. 21. De bonis eorum, qui ante sententiam vel mortem sibi consciverunt, vel accusatorem corruperunt. Tit. 50. Lib. 9. Cod.

Quid juris in illis, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt?

Si id fuerit factum post accusationem instituram, vel, cùm in scelere deprehensi essent, metu condemnationis, etiam bona fisco addicentur, *l. 3. ff. h.* si istius criminis rei fuerint, ex quo bona essent publicanda, *d. l. 3. s. 2. & 3.*

Quid, si ex tædio vitæ, vel impatientia doloris, vel alio modo manus violentas sibi quis intulerit?

Bona ad successores pertinebunt, *d. l. 3. s. 4. l. 1. C. h.*

Quid, si morte conscita, nulla justa causa præcedente, in reatu decesserit, & hæredes parati sint causam suscipere?

Si parati sint hæredes ostendere, defunctum esse innocentem, non sunt publicanda bona, nisi de crimine fuerit probatum, *d. l. 3. s. fin.*

Estne puniendus graviter, qui manus sibi intulit, non se occidit?

Si sine causa, graviter puniendus est: qui enim sibi non pepercit, nec aliis parcet, *d. l. 3. s. 6.* Si autem quis ex tædio vitæ vel ob dolorem id commiserit, non ita severè punietur, *d. s. 6.*

Qua

Quæ erit præsumptio in dubio, an ex an sine causa id factum?

Semper in melius, *arg. d. l. 3. §. penult.* ideoque si incarceratus inveniatur occisus, & sit causa excusandi, is non præsumetur sese occidisse.

Tit. 22. De interdictis, & relegatis, & deportatis.

Quid est relegatio?

Ejus duo sunt genera. Aut certa insula assignatur, aut non, sed provinciis tantum interdicitur. Si assignetur, est deportatio, *l. 7. pr. h.* quæ tollit jus civitatis. Si non assignetur, est relegatio, quæ nec bona, nec civitatem adimit, *l. 1. l. 7. pr. & §. 4. D. h.*

Tit. 23. De sententiam passis & restitutis. Tit. 51. Lib. 9. Cod.

Potestne qui sententiam est passus ob crimina restitui?

Non potest, nisi ex magnâ causâ, & non à judice, sed à principe, nec in præjudicium privati, sed tantùm in detrimentum sui fisci, *l. 7. & 10. D. h.*

Quid, si in genere sit restitutio facta?

Stricte debet id accipi, quod magis remissa videatur esse pœna, quam restitutio secundum omnia facta.

Tit. 24. De cadaveribus punitorum.

Quid dispositum jure circa cadavera damnatorum?

Non sunt neganda cognatis vel quibuslibet aliis petentibus ad sepulturam, *l. 1. & 3. D. h.* nisi exemplum sit statuendum, *arg. d. l. 1.*

PANDECTARUM

LIBER XLIX.

De [a] relationibus. Tit. 61. Lib. 7. Cod.

Si sententia sit ferenda, annon potest causæ dubiæ remissio ad superiorem fieri?

POtest fieri non quidem in quæstionibus facti, *l.* 79. *s.* 1. *D. de judic.* sed juris, *d. l.* 79. *s.* 1. *junct. l. fin. C. de legib.* non tantum relatio ad supremum, *l.* 1. *& t. tit. h.* verum etiam ad principem, *l.* 1. *& t. t. C. h.*

[a] Nostris & aliorum moribus tit. hic non observatur, *Zypæ. Notit. de appell. in f. Autumn. C. h. Vide Gudelin. de J. N. l.* 4. *c.* 12. *Christin. vol.* 4. *dec.* 111.]

Annon relatio est sublata jure novissimo per Nov. 125. *C.* 1.*?*

Non omnis relatio *d. Nov.* est sublata, sed ejus facilitas antequam causa perfecte fuerit examinata.

Quid fieri debet, cum relatio facienda est?

Tenetur judex, qui de relatione facienda interlocutus est, consultationis sive relationis exemplum litigatoribus apud acta edere, ut si cui forte minus plena vel contraria videatur, is refutatorias preces, quæ judicis relationem refutent, apud acta sine dilatione offerre possit, *l.* 1. 2. *C. h.*

Poteritne judex interim pronunciare sententiam?

Non, sed exspectandum est responsum Principis, *l.* 1. *C. h.* & quod ex rescripto Principis pronunciabitur, non pro Principis sed reputabitur pro judicis sententia, adeoque ab ea poterit appellari, *l.* 1. *s.* 1. *ff. de appellat.* adde *l.* 1. *ff. quand. appell.*

Tit. 1. De appellationibus & relationibus. Tit. 62. Lib. 7. Cod.

Quibus modis sibi consulet, qui per sententiam se gravatum arbitratur?

Sunt [a] varii; verùm inter alios præcipuè eminet appellatio.

[a] Vide *Merul. prax. civil. l.* 4. *tit.* 110. *& seqq.*]

Quid

Quid est appellatio?

Est ab inferiori judice ad superiorem, à sententia vel gravamine facta provocatio. *l.* 1. *ff. h.*

Quomodo distinguitur?

Est alia judicialis, alia extrajudicialis. Illa est à sententiis definitivis vel interlocutoriis, *d. l.* 1. Hæc fit ab actibus extrajudicialibus; veluti, si quis ad honorem vel munus publicum sit nominatus vel electus, *l.* 4. 7. *C. h. l.* 1. *§.* 2. *D. quand. appell.*

Si unus ex pluribus appellaverit. Tit. 68. Lib. 7. Cod.

Qui possunt appellare?

Non tantùm condemnati sive suo, *l.* 20. *§.* 1. *D. de appellat.* sive alieno nomine, *l.* 1. *§.* 13. *D. quand. appell.* verum etiam omnes, quorum interest, *l.* 1. *D. de appell. recip. l.* 2. *§.* 1. *D. quand. appell. l.* 5. *D. de appellat.*

Quid, si unus ex pluribus appellaverit?

Etiam ejus appellatio proderit non appellantibus, adeoque victoria in causa appellationis proficiet omnibus, *l.* 1. *C. h.* modò sit una atque eadem defensionis causa & condemnatio, *l.* 2. *C. h. junct. l.* 17. *D. de appellat.*

Quid, si condemnatio in causa appellationis sit facta adversus plures, & unus appellaverit?

Tantùm nocebit condemnatio appellanti, *l.* 3. *§.* 2. *D. eod.* strictior enim est interpretatio in condemnatione, in victoria verò latior.

Si de momentanea possessione fuerit appellatum. Tit. 69. Lib. 7. Cod.

In quibus causis admittitur appellatio?

In omnibus tam civilibus quam criminalibus, tam majoribus quam minoribus, *l.* 20. *C. de appell.* nisi statutis locorum aliter sit receptum.

Quid, si de momentanea possessione fuerit appellatum?

Vix permittitur [a] appellatio, & ea non obstante sententia mandabitur executioni, *l. unic. C. h.*

[a] Vide *Minsing. cent.* 6. *obs.* 13. *Christin. vol.* 4. *decis.* 121.]

Aqua

A qua sententia ergò permissum est appellare?

Non tantum à definitiva, atque valida, *l.* 23. *§.* 1. *D. l.* 21. *C. de appell.* verum etiam ab interlocutoria, quæ vim definitivæ vel gravamen irreparabile habet; *l.* 7. *§.* 2. *D. de minor. l.* 2. *ff. de appellat. recip.*

Quando interlocutoria vim definitivæ habet?

Cum determinat articulum, qui facit per consequentiam ad victoriam, vel per quam absolvitur reus ab instantia.

Quid jure Canonico Statutum circa appellationem ab interlocutoria?

Eo jure permissum est sine ulla distinctione ab interlocutoria appellare, *cap. super. x. h. Clement.* 1. *in fin. de sequestr. fruct.*

Quid, si sententia diversas habeat particulas?

Licebit etiam à minima appellare, *cap.* 11. *x. de appell.* nec reliquæ rescindentur, nisi connexæ sint, *l.* 29. *§.* 1. *D. de minor.*

Tit. 2. A quibus appellare non licet.

De sententiis præfectorum prætorio. Tit. 42. Lib. 7. Cod.

A quibus appellare non licet?

Non licet à Principe, *l.* 1. *§.* 1. *D. h.* Nec à senatu supremo, sive à præfecto prætorio, qui vice Principis judicat, *d. l.* 1. *§* 2. *l. unic. C. h.* Nec ab eo, à quo non appellari ante convenerat, *d. l.* 1. *§.* 3. Nec ab eo, qui à Principe datus est, ne liceret ab eo provocare, *d. l.* 1. *§. fin.* Nec à sententiæ executore, *l.* 4. *de appell.* nisi modum in executione excedat, *l.* 2. *C. quorum appell.* vel gravamen aliter non possit reparari, *l.* 2. *D. de appell. recip.* vel, nisi executor perperam interpretetur sententiam, *d. l.* 4. *§.* 1.

Tit. 3. Quis & à quo appelletur.

Ad quem appellandum?

Semper ad majorem judicem, *l.* 1. *ff. de appell.* non ad parem, *l.* 4. *D. de recept. arbit.* multo minus ad minorem,

rem, *l.* 6. *C. de appell.* Requiritur deinde ut gradatim proxime superior appelletur: &, si omisso medio ad superiorem sit provocatio facta, remitti debet causa ad judicem præteritum, *l.* 21. *D. de appell.* quod jure Canonico secus est, *t.* 7. *x. eod.*

Quid, si quis errans ad minorem appellaverit?

Non intelligitur esse facta appellatio, *l.* 1. *s.* 3. *D. h.* Sin autem quis ad parem vel majorem appellaverit, error non nocebit, *d. l.* 1. *s. penult.* sed causa ad illum remittetur, qui appellari debuit.

Ad quem provocabitur à delegato?

Ad delegantem, vel eum, à quo datus est, *l.* 12. *ff. h.* verum ab eo, cui mandata est jurisdictio, appellabitur is, ad quem à mandante appellaretur, *l.* 1. *s.* 1. *D. h.* uti & à vicario, non ad substituentem, sed ad eum, qui à substituente provocaretur.

Tit. 4. Quando appellandum sit & intra quæ tempora.

De temporibus & reparationibus appellationum seu consultationum. Tit. 63. Lib. 9. Codic.

Quomodo est appellatio instituenda?

Vel in continenti stante judicio, cum sententia definitiva pronuntiata est, vel ex intervallo. In continenti fieri potest viva voce, *l.* 2. *D. de appell.* ex intervallo tantum in scriptis, *l.* 1. *s. ult. D. de appellat. l.* 28. *C. eod.*

An eodem modo ab interlocutoria, quo à definitiva appellatur?

Ab interlocutoria, & ab extrajudicialibus tantum in scriptis appellatur, *cap. cord. de appellat. in* 6. expressis gravaminum causis, *arg. l.* 18. *C. de appellat.*

Intra quæ tempora appellandum est?

Iure novissimo intra [a] decendium, *auth. hodie. C. de appellat.* computandum à die sententiæ, *Nov.* 23. *l.* 1. *s.* 5. *D. h.* siquidem victus sciat sententiam contra se esse latam, *d. s.* 5.

[a] Concord. *Ordon. vande Just. in de Steden en platt. Land. art.* 21. *Instruct. Cur. Suprema art.* 206.]

Currit ne

Curritne hoc decendium perpetuo?

Non currit, si compromissum in causis sit factum, *auth. si tamen. C. h. t.*

Ne liceat in una eademque causa tertio provocare, vel post duas sententias judicum, quas definitio præfectorum roboraverit, eas retractare. Tit. 70. Lib. 7. Cod.

Licetne sæpius provocare?

In una atque eadem causa, super iisdem articulis, & inter eosdem litigantes non licet provocare tertio, *l. unic. C. h.* nisi judex in sententia tertia novum gravamen imposuerit.

Tit. 5. De appellationibus recipiendis vel non. Tit. 65. Lib. 7 Cod.

Solentne omnes appellationes recipi?

Variis ex causis non recipitur appellatio. 1. est, si quis ex contumacia vere sit condemnatus, *l. 1. C. h. t.* quod procedit perpetuo in civilibus, non ita in criminalibus, in quibus etiam invito vel non urgente reo provocatio est permissa, *l. 6. ff. l. 29. C. de appellat.* nisi publice interfit statim puniri. 2. Si quis male gesserit officium publicum, *l. 3. C. h. 3.* Si quis crimen sine tormentis sit confessus, *l. 2. C. h. 4.* Si officialis à suo judice ex delicto sit condemnatus, *l. 3. C. h. 5.* Si sententia sit lata super juramento, *arg. l. 2. D. de jurisdict. junct. l. 1. §. 3. D. à quib. appell. non lic.*

Tit. 6. De libellis dimissoriis, qui apostoli dicuntur.

Quid fieri debet ubi appellatio intra tempus legitimum est facta?

Petendi sunt intra triginta dies, ex die sententiæ numerandos, *l. 24. C. de appellat.* apostoli, [a] qui sunt literæ dimissoriæ, ab eo à quo appellatum est, ad eum qui appellatur, *l. unic. C. h.*

[a] His apostolis hodie non utimur, sed eorum loco successit frivolæ appellationis pœna, *Minsing. cent. 4. obs. 36.*

obs. 36. Gail. l. 1. obs. 139. n. 15. Christin. vol. 4. decis. 114. n. 2.]

Sufficitne semel vel sæpius petiisse?

Solent hac formula peti; *instanter, instantius, instantissime.* sufficit autem petiisse intra dictum tempus, *d. l. unic. §. 2.*

Intra quod tempus offerendi sunt hi apostoli?

Solet judex, à quo provocatio est facta, addere tempus, quod sufficere videtur.

Intra quod tempus instantia appellationis ad finem est perducenda?

Hodie secundum mores certum tempus non est huic rei præscriptum. ast jure civili est annus, vel ex justâ causâ biennium, *auth. ci qui. C. h. Nov. 49. in princ.*

Tit. 7. Nihil novari appellatione interposita.

Potestne sententia executioni mandari appellatione pendente?

Nihil innovari aut executioni interim mandari potest, *l. unic. C. h.*

Estne innovatio, si expensa coram judice, à quo appellatum est, taxentur?

Nequaquam, *arg. l. 21. §. & §. sed etsi. D. qui testam. fac. poss.* Est enim hæc taxatio sequela prioris sententiæ.

Quid, si appellans quid attentaverit vel innovaverit?

Indignus est beneficio appellationis, & judex à quo contra ipsum procedit, acsi non esset appellatum. huc fac. *cap. an sit deferendum 42. x. de appellat.*

Quid, si appellatus quid innovet?

Revocatur innovatio per viam attentati, *cap. 1. x. de appellat.*

Tit. 8. Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur.

Quando provocare non est necesse. Tit. 64. Lib. 7. Cod.

Quæ sententiæ sine appellatione rescinduntur?

Omnes, quæ ipso jure sunt [a] nullæ; uti si directo expressum errorem juris contineant, *l.* 19 *ff. de appellat.* 2. Si contra rem judicatam prolatæ sint, *l.* 1. *C. h.* 3. Si judex incompetens eas tulerit, *tot. tit. C. si à non competent. jud.* 4. Si contra ordinem judiciorum sint pronunciatæ, *l.* 4. *C. de sentent. & interlocut.* 5. Si non omnes judices dati dixerint sententiam, *l.* 4. *C. h.* 6. Si sine prorogatione partium judex delegatus judicaverit ultra diem suæ commissionis, *l.* 6. *C. h.* vel modum suæ potestatis excesserit, *l.* 5. *C. h.* vel in calculo erraverit, vel quis ob contumaciam sit condemnatus, aut impossibile sit præceptum judicis, vel condemnatus eo tempore quo judex est datus vel pronunciatum est, non sit in rebus humanis, *l.* 1, 2, 3. *C. h.*

[a] Nostris & aliorum moribus necessaria nihil ominus est appellatio, *Christin. vol.* 1. *decis.* 16. & 348. *vol.* 4 *decis.* 117. *n.* 4. *Zypæ. de appell. vers. per viam. Gudelin. l.* 4. *c.* 15. *in fin.* nisi nullitas procedat ex defectu jurisdictionis, *Zypæ. d. tit. vers. pen. Gail l.* 1. *obs.* 42. *n* 8. *Christin. d. decis.* 348. *n.* 13. citationis, *Zypæ. d. loc.* mandati procuratorii *l.* 2. *C. quib. res jud. non noc. Zypæ dict. loc.*]

Tit. 9. An per alium possunt reddi causæ appellationis.

Possuntne per alios causæ appellationis reddi?

In pecuniariis procurator intervenire potest, *l.* 1. *D. h.* In criminalibus vero, etsi quidem pro eo, qui ad supplicium ducitur, quivis possit appellare, sive sit mandatarius sive non, sive ejus interest sive non, tamen causa appellationis per procuratorem defendi non potest in aliis, quàm in quibus est pœna relegationis vel minor, *d. l.* 1. *D. h.*

Tit. 10. Si tutor, vel curator, vel magistratus creatus appellaverit.

Quid, si illi, qui nominati sunt ad munera publica, appellaverint?

Si causas justas excusandi non probaverint, periculum

lum medii temporis ad ipsos pertinebit, *l.* 1. *D. h.* Et, si tutor vel curator retentus provocaverit, & ante causam actam moriatur, successores ejus propter periculum medii temporis causas appellationis necesse habet reddere, *l.* 2. *D. h*

Tit. 11. Eum qui appellaverit in provincia defendi.

Is, qui appellavit, ubi defendetur?

In provincia quoad alias causas, licet appellationis causa peregrinetur, *l.* 1. *D. h.*

Quid, si reipubl. causa quis abfuerit?

Non habebit necesse se defendere in provincia, *l.* 2. *D. h. l.* 2. *D. de in jus vocand.*

Tit. 12. Apud eum à quo appellatur, aliam causam agere compellendum.

Potestne is, qui appellavit, suspectum in aliis causis dicere judicem?

Hoc jure utimur, compellendum esse eum, qui appellavit, apud judicem, à quo appellavit, causas quas habet, agere, nec is utetur hoc prætextu, quod apud offensum judicem non debeat experiri; quia potest denuo provocare, *l.* 1. *D. h.*

Tit. 13. Si pendente appellatione reus moriatur.

Quid, si pendente appellatione mors intervenerit?

Si appellans hæredem non reliquerit, appellatio evanescit: si vero ei exstiterit hæres, is causam appellationis defendet, sed non aliter quam si fisci vel alterius interfit, *l. unic. pr. D. h.*

Quid, si tutor in pupilli negotio appellatione interposita decesserit?

Hæres ejus defendet causam appellationis, nisi rationes sint redditæ, *d. l. unic. §.* 1.

Suntne & alii modi, quibus consulitur condemnatis?

Sunt plurimi; uti inter alios sunt Restitutio in integrum, de qua *lib.* 4. *Digest.* actum est, Supplicatio, Querela nullitatis, Revisio, Syndicatus.

Quid

Quid est supplicatio?

Est petitio proposita principi in hunc finem, ut detur facultas proponendi errorem in judicato. de quâ *in auth. quæ supplicatio. C. de precib. imperat. offerend.*

Quis error hic intelligitur?

Tantum facti, non juris, *l. præfecti D. de minor.*

Quæ differentia est inter appellationem & supplicationem?

1. Appellatio est remedium juris communis; supplicatio gratiæ sive benignitatis. 2. Appellatio suspendit executionem, *tot. tit. nihil novand. appell. pendent;* non supplicatio, *d. auth. quæ supplicatio.* 3. Appellatur intra decendium, *auth. hodie C. de appellat.* supplicationi datur ulterius tempus. 4. Appellatio fit ob iniquitatem judicis; supplicatio ob errorem, *d. l. præfecti.* 5. De appellatione cognoscit alius judex, *l. 1. ff. de appellat.* de supplicatione, qui ante judicavit, vel cum illo alii, *d. auth.* 6. Appellari potest bis, *l. unic. C. ne lic. in un. eademque.* supplicari tantum semel, *d. auth. & l. si quis. C. de præc. imperat.*

Quæ est querela nullitatis?

Per quam allegatur nullitas sententiæ, atque ob eam prior sententia reformari & corrigi petitur. habetque hæc multas causas, vel ob defectum, vel ob præposterationem. Defectus est, vel in legitimatione personarum judicii, vel in actione instituta, vel in ordine processus neglecto. Præposteratio, quando causæ cognitio & examinatio non præcedit, sed sequitur sententiam latam.

Quid est revisio?

Est beneficium obtentum à Principe, ut processus, in quo à supremo senatu sententia est dicta, rursus examinetur ex iisdem actis, per eos, qui isti rei sunt præfecti. Hujus effectus est, ut, si fiat intra decem dies à sententia lata, executio quidem non impediatur, sed cogatur pars adversa fidejussores præstare de restituendo, si sententia fuerit retractata: si verò fiat post decendium ac intra biennium, possit fieri executio nulla præstita à victore cautione, *d. auth. quæ supplicatio.*

tio. Et à sententia revisorum non datur appellatio, revisio, vel supplicatio.

Quid est Syndicatus?

Est accusatio judicis ob sententiam; uti si litem suam fecerit dolo aut concessione aliqua nimis iniquâ. Hanc ob causam constitutum est jure civili, ut judices post depositam administrationem quinquaginta dies in certis locis permaneant, *l. unic. C. ut omnes judices.*

De nonnullis ex jure publico. Tit. 14. De jure fisci.

Suntne nonnulla privilegia fisci?

Sunt plurima. 1 Fisco datur jus pignoris ex omni contractu, *l. 46. §. 3. ff. h.* In pœnis verò omnibus creditoribus postponitur, *l. 17. ff. h.* 2. Retinere potest conductores vectigalium etiam invitos post tempus conductionis, siquidem conductores maximos fructus receperint, *l. 11. §. fin. ff. de publican.* 3. Cogere potest etiam reos ad editionem instrumentorum, quæ ad causam, de qua agitur, pertinent, *l. 3. ff. de edendo.* 4. Potest convenire debitores debitorum, si vel principales debitores defecerint, vel ex rationibus fisci nomina facta probentur, vel ex contractu fiscali debitores conveniantur, *l. 3. §. 8. ff. h.* 5. Pacti dato pretio etiam modico cum delatoribus in fisci causis habentur pro confessis, &c.

Tit. 15. De captivis & postliminio & redemtis ab hostibus. Tit. 21. Lib. 8. Cod.

Quid juris in captivis reversis?

Si ab hostibus, qui sunt, quibus publicè bellum est à populo indictum, reversi fuerint, jure postliminii restituuntur & quoad res & quoad personarum jura, *l. 3. D. h. junct. l. 24. D. eod.*

Quid, si qui sint retenti ab hostibus?

Sunt nexu pignoris obligati quamdiu redemtori satisfecerint, *l. 12. §. 4 D. h.* nisi animo donandi sit lytron erogatum, *l. 17. C. h.*

Tit.

Tit. 16. De re militari.

Possuntne ad militiam cogi cives?

Possunt, *l.* 4. §. 10. & 11. *ff. h.* nisi excusentur ob ætatem vel similem aliam causam, aut privilegium singulare.

Quomodo distinguuntur?

Sunt vel tirones, qui ad militiam instituuntur, vel veterani, vel gregarii, vel centuriones, vel tribuni, vel præpositi, vel duces, &c.

Quomodo puniuntur ob delicta?

In delictis militaribus remitti debent ad ducem etiam in levioribus, sed in communibus gravioribus in quibus exemplo opus est, ab ordinario puniuntur, *l.* 3. *D. h.*

Tit. 17. De Castrensi peculio.

Quid est peculium castrense?

Quod filiofamilias in militia agenti à parentibus, vel aliis est donatum, vel ex causa militiæ acquisitum quod non haberet nisi militaret, *l.* 11. *D. h.*

Quæ sunt in eo privilegia?

Filiusfamilias in eo est loco patris-familias, *l.* 2. *ff. ad SCt. Maced.* & plenum habet dominium & administrationem, cum potestate quolibet modo inter vivos vel ultima voluntate disponendi.

Tit. 18. De veteranorum privilegiis.

Qui sunt veterani?

Aliquando sunt, qui tyrocinium deposuerunt: aliquando qui honeste sacramento sunt missi. Hi qui militia sunt missi, habent prærogativam, ut nec fustibus cædi, nec bestiis objici possint, *l.* 1. *D. h.* Et excusantur à personalibus, *l.* 2. *D. h.* suntque loco decurionum, *l.* 3. *eod.*

PAN-

PANDECTARUM

LIBER L.

Tit. 1. Ad municipalem & de incolis. Tit. 38. & 39. Lib. 10. Cod.

Qui sunt municipes?

IN genere, suæ cujusque civitatis cives, & qui in eodem municipio sunt nati, *l. 1. §. 1. ff. h. l. 228. ff. de verb. signif.* In specie cives Romani ex municipiis, suis legibus utentes, *d. l. 1. § 1.* sic dicti, quod munera civilia capiant, *l. 18. in fin. ff. de verb. signif.*

Quid facit municipem?

Nativitas, sive origo, manumissio, adoptio, *l. 1. princ. & §. 2. ff. h. junct. l. 6. §. fin. l. 7. 15. §. 5. l. 16. D. h.*

Quid in municipibus receptum est?

Ut cogantur tam ad munera personalia, quàm realia, sive sint patres sive filii, ibi, unde originem ducunt, *l. 6. l. 22. §. 2. ff. h.* licet [a] alibi habeant domicilium, *Dd. Ll. junct. §. 1. d. l. 6.* Pariter quoque fruuntur omnibus commodis & honoribus municipii.

[a] Hodie munera aliæque personales præstationes domicilium personamque sequuntur, neque extra domicilium quis personalibus oneribus subjici potest, *Zypæ. Notit. J. T. de incol. in fin. Gail. lib. 2. obs. 38. n. 6, 7. Argentr. ad consuet. Britan. art. 9 not. 1. n. 3.*]

Quid, si quis subire munera nolit?

Damnum reipubl. præstabit, *l. 21. pr. ff. h.* nisi justam habuerit causam excusandi.

Quis est incola?

Qui domicilium tantum in municipio habet, & munerum & honorum non est particeps, *l. 239. §. 2. ff. de verb. signif. l. 20. C. h.*

Potestne pro tubitu domicilium quis constituere?

Potest quisque habere domicilium ubi velit, modò ipsi non sit interdictum, *l. 31. ff. h.* etiam in pluribus locis,

locis, si utrobique se quis instruxit tanquam incola, *d. l. 6. §. penult.*

Quomodo constituitur domicilium?

Non sola emtione domus, vel ejus possessione, *l. 17. §. 5. & 13. ff. h. l. 4. C. de incol.* nec sola contestatione; sed re & facto, *l. 20. 27. §. penult. ff. h.*

Quo tempore studiosus domicilium in civitate habet?

In dubio, cum per decennium eodem in loco habitavit, *l. 2. C. de incol.*

Quid, si incola muneribus publicis destinatus, renunciet incolatui?

Non poterit, nisi perfecto munere, *l. 34. ff. h.*

De Decurionibus & filiis eorum. Tit. 31. Lib. 10. Cod.

Qui sunt decuriones?

Curatores [a] sive defensores civitatum in quorum ordinem sunt eligendi potiores ac ditiores, & quidem gradatim, *l. 6, 7. ff. h. l. 11. ff. de muner. & honor.* etiam spurii, nisi legitime quæsitus sit competitor, *l. 3. §. 2. ff. h.*

[a] Hic tit. maxima ex parte à moribus hodiernis alienus est, *Novel. Leon. 46. Christin. vol. 5. decis. 24. n. 36. & seqq. Gudelin. de jur. noviss l. 5. c. 7. sub. fin.*]

Qui non possunt esse decuriones?

Relegati, ignominiose ordine moti, criminum capitalium rei, & qui pluribus functionibus distringuntur, *l. 2, 3. 13. D. h. l. 15. 17. §. 4. 12. D. ad municip.*

Quid pertinet ad officium decurionum?

Administrare rempublicam, tributa exigere, tractare pecuniam publicam, *arg. l. 2 §. 1. l. 8. l. 17. §. 7. D. ad municip.*

Quæ sunt privilegia decurionum?

Non possunt torqueri de jure civili, &, si pauperes sint, ex publico alendi sunt, *l. 8. D. h.*

Tit. 3. De albo scribendo.

Quo ordine scribi debent nomina decurionum in albo?

Vt lege municipali præcipitur: quæ si cesset, primo

loco

loco collocandi, qui dignitates Principis judicio consecuti sunt; secundo autem secundum tempus, quo quisque munere est functus. Qui ordo & in sententiis dicendis observandus est.

Tit. 4. De muneribus & honoribus, Tit. 40. & 41. Lib. 10. Cod.

Quomodo distinguuntur munera?

Sunt vel patrimonii, in quibus sumtus exigitur; vel personalia, quæ labore & sollicitudine animi geruntur; vel mixta, quæ non tantum labore & sollicitudine, sed & cum sumtu expediuntur, *l.* 1. *pr. §.* 1. *& seqq. l.* 18. *pr. §. seqq. ff. h.*

Da species munerum patrimonialium.

Sunt munitiones viarum, collationes prædiorum, aliæque contributiones.

Da exempla personalium.

Administrationes reipubl. tutelæ, vel curæ.

Tit. 5. De vacatione & excusatione munerum.

Incumbitne omnibus necessitas obeundi munera sibi demandata?

Necessitas omnibus est imposita, adeo ut pignoribus captis compelli possint, nisi justam habeant causam excusandi.

Propter quas causas datur excusatio?

In personalibus. 1. Propter ætatem, *l.* 3. *C. qui ætate lib.* 10. ita ob senectutem, *l.* 1. *C. eod. l.* 2. *§.* 1. *ff. h.* minores vero viginti quinque annis ad honores & rempublicam administrandam non admittuntur, *l.* 8. *ff. de muner.* 2. Propter numerum liberorum, non quoad honores, sed alia personalia, *l.* 3. *§.* 12. *ff. de muner. & honor. l.* 2. *§.* 3. *ff. h.* 3. Ob adversam valetudinem, *d. l.* 2. *§.* 7. ac alias multas causas.

Tit. 6. De jure immunitatis.

An non possunt aliqui esse singulariter immunes ex beneficio principis?

Possunt, siquidem à principe id fuerit concessum.

quod privilegium ad hæredes non pertinet, *l.* 1. *§.* 1. *ff. h* nisi ita fuerit concessum, *l.* 4. *ff. h.*

Quid, si simpliciter collegio sit immunitas concessa?

Immunitas ea perpetua est, *l. penult. §. penult. D. h.*

Tit. 7. De legationibus. Tit. 93. Lib. 10. Cod.

Habentne & legati vacationem à muneribus?

Habent, non tantum tempore legationis, sed & post eam, usque ab biennium. quam & habet pater, si filius decurio pro patre legationis munus susceperit, *l.* 7, 8. *ff. h.*

Qui proprie legatus dicitur & esse potest?

Qui reipublicæ nomine missus est. Legatus verò esse non potest is, qui postulare nequit.

Potestne legatus contra rempublicam suam postulare quid à principe?

Potest, non per se, sed per alium, *l.* 2. *pr. D. h.*

Daturne actio adversus legatum?

Non tam interest, ubi quis crediderit an stipulatus sit, quam illud, an actum sit, ut legationis tempore solveretur, *l.* 3. *ff. h.*

Tit. 8. De administratione rerum ad civitatem pertinentium.

Quid est officium eorum, qui administrant res civitatum?

Vt rationes secundum fidem datorum & acceptorum ponant, *l.* 2, *§.* 2. *D. h.* Fundus reipublicæ locent: non committant exactiones operum sine cautione, *l. fin. §.* 2. *D. h.* & omnia faciant, ut viri boni facerent.

Quam culpam præstare debent?

Et latam, & levem, *l.* 6. *D. h.* si negligentiores in rebus distrahendis fuerint, tenentur in simplum: ob fraudem autem in duplum conveniuntur, *l. fin. §.* 4. *D. h.*

Debetne unus alterius collegæ nomine teneri?

Debet, si intervenire & prohibere eum potuerit, *d. l. fin. §.* 8.

Debent-

Debentne administratores pericula nominum præstare?

Debent præstare periculum non omnium nominum; sed eorum duntaxat, quæ deteriora facta sunt tempore administrationis, *d. l. fin §. 9.*

Tit. 9. De decretis ab ordine faciendis

Valentne decreta decurionum?

Valent hisce concurrentibus. 1. Si fiant non ambitiosè & de iis quæ pertinent ad salutem civium, ut de Medicis constituendis, vel salariis in causam utilem, *l. 1. l. 4. §. 2. ff. h. 2.* Si fiant ab omnibus vel duabus, tertiis partibus præsentibus, *l. 2. 3. ff. h.*

Quos tenent decreta l. fin. ff. h.?

Eos, qui subsunt decurionibus, & non ignorant decreta, *l. fin, ff. h.*

Debentne decreta mutari?

Non, nisi rescissio prioris decreti ad publicam utilitatem respiciat, *l. 5. ff. h.*

Tit. 10. De operibus publicis. Tit. 12. Lib. 8. Cod.

Quid juris est in operibus publicis?

Quod, si ad utilitatem publicam pertineat, ut sunt mœnia, nihil fieri queat, nisi consulto Principe, *l. penult. ff. h.* Nec inscribi potest ullius quam principis nomen, & illius, cujus liberalitate opus est factum, *l. 2. ff. h.* Opera autem alia publica ad utilitatem reipublicæ quisque potest suo sumptu struere, etiam sine authoritate Principis, modo nihil fiat ad æmulationem vel materiam seditionis, nec ea extruantur circum theatrum & amphitheatrum, *l. 3. princ.*

De ratiociniis operum publicorum, & de patribus civitatis. Tit. 13. Lib. 8. Cod.

Quis examinabit rationes operum publicorum?

Curator sive pater civitatis, *l. unic. C. h.* adeo ut nomine cessationis teneatur, *l. 1. ff. de oper. publ.*

Tit. 11. De Nundinis. Tit. 60. Lib. 4. Cod.

Quis potest constituere nundinas?

Solus Princeps, & cum constitutæ sunt, non utendo decennii tempore amittuntur, *l. 1. ff. h.*

Quæ sunt privilegia nundinarum?

In iis ob debitum privatum nemo conveniri, præcludi vel arrestari potest, *l. unic. C. h.* qua sc. agitur de contractibus ante initis. Ex iis enim, quæ in nundinis fiunt, actio juste instituitur.

Tit. 12. De Pollicitationibus.

Quid, si quis pollicitus sit reipubl. aliquod opus?

Siquidem sine causa pollicitatio sit facta, ea est nullius momenti, *l. 1. §. 1.* nisi opus cœpit fieri, *d. l. 1. §. 2. seqq.* Causa autem justa est, si honoris vel decreti impetrandi gratia, aut ob incendium aliudve damnum reipublicæ illatum pollicitatio sit facta, *d. l. 1. §. 1. l. 4. D. h.*

Quid juris est in voto?

Si quis rem aliquam voveret, hoc est, Deo obligaverit, obligatur voto, & hæc res personam voventis, non rem quæ vovetur obligat, *l. 2. ff. h.*

Tit. 13. De variis & extraordinariis cognitionibus, & si judex litem suam fecisse dicetur.

Quomodo judicatur in omnibus causis?

Prætor ipse ordinario non judicat, sed constituit Judices pedaneos ad judicandum. Sunt vero nonnulla causarum genera, in quibus ipse extra ordinem cognoscit, non per ordinarium modum procedendi, sed extraordinarium.

Quomodo distinguuntur cognitiones?

In quatuor genera. Aut enim de honoribus sive muneribus gerendis, aut de re pecuniaria, aut de existimatione alicujus, aut de capitali crimine quæritur. *l. 5. ff. h.*

Quomodo in re pecuniaria?

Variis ex causis: ut si agatur de salariis præceptorum

rum in studiis liberalibus; quales sunt Rhetores, grammatici, & similes, *l.* 1. *pr. & §.* 1, 2, 3, 4, 5. 10, 11, 12. *D. h.*

Tit. 14. De proxeneticis.

Quid sunt proxenetica?

Sunt remunerationes, quæ solvuntur iis, qui præstant contrahentibus operam in negotiis contrahendis.

Possuntne jure licito peti?

Non est dubium, modo modus secundum qualitatem operæ servetur, *l.* 1. 3. *C. h.*

Teneturne proxeneta actione mandati, quod præfuerit mutuo contrahendo?

Nullo modo: quia monstrat magis nomen quam mandat, tametsi serio laudarit, *l.* 2. *ff. h.*

Tit. 15. De Censibus.

Quomodo distinguitur census?

Census solet præstari vel ratione personarum per hominum capita, *l.* 3. *ff. h.* vel ratione rerum, præcipue quidem immobilium, *l.* 4. *ff. h.*

Tit. 16. De verborum Significationibus.

Quid comprehensum est hoc titulo?

Quæ sit nominum, verborum, & rerum, quæ per nomina exprimuntur, significatio.

Tit 17. De Regulis Juris.

Quid sunt regulæ Juris?

Sunt definitiones, quæ rem breviter explicant, & quasi gnomæ & axiomata generalia, ex quibus percipiuntur principia sive rationes, quibus jura singularia suffulciuntur.

DEO SIT GLORIA.

INDEX

Omnium Titulorum qui hoc libello continentur.

DE

A.

A Bigeis. 677
Abolitionibus. 700
Acceptilationibus. 666
Accusationibus & inscriptionibus. 682
Acquirenda vel omittenda hereditate. 499
Acquirenda vel amittenda possessione. 579
Acquirendo rerum dominio. 571
Acquisitione per arrogationem. 43
Actione pigneratitia. 295
Actione rerum amotarum. 427
Actionibus. 427
Actionibus empti & venditi. 347
Actionibus & Obligationibus. 637
Actionibus ex pignore. 379
Actore à tuore seu curatore dando. 438
Ademptione & translatione legat. 525
Ademptione libertatis. 567
Adimendis legatis. 525
Ad exhibendum. 254
Ad legem Aquilam. 238
Ad legem Corneliam de falsis. 694
Ad legem Corneliam de sicariis. 690
Ad legem Falcidiam. 535
Ad legem Fabiam de plagiariis. 699
Ad legem Iuliam de adulteriis & stupris. 686
Ad legem Iuliam de ambitu. 698
Ad legem Iuliam de annona. 697
Ad legem Iuliam majestatis. 684
Ad legem Iuliam peculatus & de sacrilegiis & de residuis. 697
Ad legem Iuliam repetundarum. 696
Ad legem Iuliam de vi privata. 689
Ad legem Iuliam de vi publica. 688
Ad legem Pompejam de parricidiis. 694
Ad legem Rhodiam de jactu. 300

Ad

Ad legem Viſelliam. 699
Adminiſtratione & periculo tutorum, &c. 441
Adminiſtratione tutorum vel curatorum, de pecunia pupillari fœneranda vel deponenda, ibid.
Adminiſtratione rerum ad civitatem pertinentium. 722
Ad municipalem, & de incolis. 719
Adoptionibus & emancipationibus. 43
Ad S Conſultum Macedonianum. 305
Ad S Conſultum Orfitianum. 552
Ad S Conſ. Pegaſianũ. 538
Ad S Conſ. Syllanianũ. 504
Ad S Conſ. Tertullianũ. 552
Ad S Conſultum Trebellianum. 538
Ad S Conſ. Turpillianũ. 699
Ad S Conſ. Vellejanum. 311
Adſertione tollenda. 570
Adſeſſoribus, domeſticis, cancellariis. 64
Adſignandis libertis. 548
Advocatis diverſorum judicum. 107
Advocatis diverſorum judiciorum. ibid.
Advocatis fiſci. 109
Ædificiis privatis. 559
Ædilitiis actionibus. 379
Ædilitio edicto & redhibitoria. ibid.
Æſtimatoria actione. 358
Agnoſcendis & alendis liberis vel parentibus. 427
Albo corrupto. 70
Albo ſcribendo. 720
Aleatoribus. 260
Alienatione judicii mutandi cauſa facta. 151
Alimentis & cibariis legatis. 522
Alimentis pupillo præſtandis. 456
Alluvionibus, & paludibus, & paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis. 575
Annali exceptione Italici contractus tollenda, & diverſis temporibus, & exceptionibus, & præſcriptionibus & interruptionibus earum. 583
Annonis, & capitatione adminiſtrantium & eorum aſſeſſorum, aliorumque publicas ſolicitudines gerentium, vel eorum qui aliquas conſecuti ſunt dignitates. 65
Annuis & menſtruis legatis & fideic. 514
An per alium cauſa appellationis reddi poſſunt. 714
An ſervus pro ſuo facto manumiſſus teneatur. 180
Appellationibus & conſultationibus. 708
Appellationibus recipiendis vel non. 712
Apud eum, à quo appellatur, aliam cauſam agere compellendum. 715
Aqua & aqua pluvia arcenda,

cenda. 506
Aqua quotidiana & astiva. 625
Aquibus appellare non licet. 710
Arbitrium tutelæ. 457
Arboribus cædendis. 628
Arborum furtim cæsarum. 671
Attiliano Tutore, & eo, qui ex lege Iulia & Titia dabatur. 435
Auro, argento, mundo legato. 523
Authoritate & consensu tutorum vel curatorum. 445
Authoritate præstanda. ib.

B.

De Bonis autoritate judicis possidendis. 607
Bonis damnatorum. 705
Bonis eorum qui ante sententiam sibi mortem consciverunt. 706
Bonis libertorum. 548
Bonis maternis & materni generis. 555
Bonis proscriptorum. 705
Bonis quæ liberis in potestate constitutis ex matrimonio vel alias acquiruntur, & eorum administratione. 555
Bonorum possessione contra tabulas. 540
Bonorum possessione contra tabulas libertiæ qui, patronis liberisque eorum datur. 547
Bonorum possessione contra tabulas, quam prætor liberis pollicetur. ibid.
Bonorum possessione furioso, infanti, &c. competenti. 540
Bonorum possessione secundum tabulas. 547
Bonorum possessione ex Testamento Militis. ibid.
Bonorum possessionibus. 542

C.

De Cadaveribus punitorum. 707
Caducis tollendis. 532
Calumniatoribus. 126. 699
Capitis diminutione. 148
Capite minutis. ibid.
Captivis & postliminio reversis. 717
Carboniano edicto. 547
Castrensi peculio, 718
Censibus. 725
Cessione bonorum. 604
Certi condictione. 266
Clausula codicillari. 507
Cloacis. 625
Codicillis. 506
Collatione bonorum. 540,
Collatione dotis. 541
Collegis & corporibus. 680
Collusione detegenda. 570
Concursu actionum. 187
Commerciis & mercatoribus. 330
Comminationes, epistolas, programmata, subscriptiones autoritatem rei judicatæ non habere. 599
Commodati vel contra. 291

Com-

Communia de legatis & fideicommissis, de in rem missione tollenda. 535
Communia de manumissionibus. 569
Communia prædiorum tam urbanorum quam rusticorum. 231
Communia de successionibus. 552
Communia de usucapionibus. 581
Communia utriusque judicii, tam familiæ erciscundæ, quam communi dividundo. 253
Communi dividundo. 252
Communi servo manumisso. 567
Communium rerum alienatione. 341
De Compensationibus. 313
Concubinis. 429
Concussionibus. 676
Condictione causa data causa non secuta. 281
Condictione ex lege. 287
Condictione sine causa vel injusta causa. 286
Condictione furtiva. ibid.
Condictione indebiti. 283
Condictione ob causam datorum. 281
Condictione ob turpem vel injustam causam. 282
Condictione triticiaria. 287
Conditionibus & Demonstrationibus. 530
Condictionibus insertis tam in legatis quam in fideicommissis &c. ibid
Conditionibus institutionum. 491
Confessis. 602
Confirmando tutore vel curatore. 433
Conjungendis cum emancipato liberis ejus. 546
Consortibus ejusdem litis. 177
Constituta pecunia. 289
Constitutionibus principum. 22
Consulibus. 59
Contractibus Judicum, &c. 64
Contrahenda & committenda stipulatione. 647
Contrahenda emptione. 329
Contraria & utili actione tutelæ. 459
Contrario judicio tutelæ. ibid.
Creditorem evictionem pignoris non debere. 387
Crimine expilatæ hereditatis. 679
Crimine peculatus. 697
Crimine sacrilegii. ib.
Crimine stellionatus, 680
Culpa, dolo & casu fortuito. 292
Cumulatione actionum. 190
Curatore bonis dando. 611
Curatoribus. 437
Curatoribus furioso & aliis extra minores dandis. 465

Custodia & exhibitione reorum. 683

D.

De Damno infecto. 560
Debitorem venditionem pignoris impedire non posse. 374
Decretis ab ordine faciendis. 723
Decurionibus & filiis eorum. 720
Dedititia libertate tollenda. 567
Defensoribus. 120
Defensoribus civitatum. 62
Depositi vel contra. 316
Dilationibus. 89
Distractione pignorum & hypothecarum. 373
Diversis regulis juris antiqui. 725
Diversis rescriptis, & pragmaticis sanctionibus. 26
Diversis temporalibus præscriptionibus & accessionibus possessionum. 634
Dividenda tutela. 445
Divisione & qualitate rerum. 43
Divisione stipulationum. 563
Divortio facto apud quem liberi morari & educari debeant. 424
Divortiis & repudiis. 423
Doli mali & metus exceptione. 635
Dolo malo. 134
Dominica potestate. 38
Donationibus. 562
Donationibus ante nuptias & propter nuptias & sponsalitiis. 407
Donationibus causa mortis & capionibus. 564
Donationibus inter virum & uxorem. 422
Donationibus quæ sub modo vel conditione, &c. 564
Dotis collatione. 541
Dotis promissione & nuda pollicitatione. 417
Dote causa non numerata. 419
Dote prælegata. 517
Duobus reis stipulandi vel promittendi. 654

E.

De Edendo. 90
Edicto prætorum. 29
Edicto divi Hadriani tollendo. 502
Effectu patriæ potestatis. 45
Effractoribus & expilatoribus. 678
Emancipationibus liberorum. 47
Emendatione propinquorum. 693
Emendatione servorum. ibi.
Emtione & venditione. 329
Eo per quem factum erit quo minus quis in judicio se sistat. 83
Eo qui pro tutore vel curatore negotia gessit. 459
Eo quod certo loco dari oportet.

tet. 287
Eo quod metus causa gestum erit. 131
Errore Advocatorum. 109
Errore calculi. 105
Etiam ob Chirographariam pecuniam pignus retineri posse. 366
Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse. 129
Evictionibus & duplæ stipulatione. 383
Eum, qui appellaverit, in provincia defendi. 715
Eunuchis. 343
Exceptione rei judicatæ. 634
Exceptione rei venditæ & traditæ. 387
Exceptionibus. 631
Exercitoria actione. 298
Excusationibus tutorum vel curatorum. 451
Excusationibus veteranorum. ibid.
Ex delictis defunctorum in quantum heredes conveniantur. 181
Executione rei judicatæ. 600
Exheredatione liberorum. 476
Exhibendis & transmittendis reis. 702
Expilatæ hæreditatis. 679
Ex quibus causis infamia irrogatur. 94
Ex quibus causis majores 25 annis in integrum restituantur. 149
Ex quibus causis manumittere non licet. 568
Extraordinariis cognitionibus. 724
Extraordinariis criminibus. 675

F.

DE Falsa causa adjecta legato vel fideicom. 531
Falsa moneta. 695
Familiæ erciscundæ. 249
Famosis libellis. 675
Feriis. 87
Fideicommissariis hæreditatibus. 534
Fideicommissariis libertatibus. 566
Fideicommissis. 534
Fide instrumentorum. 398
Fidejussoribus & Mandatoribus. 656
Fidejussoribus & nominatoribus tutorum vel curatorum. 461
Fidejussoribus minorum. 138
Fiduciaria tutela. 334
Filiofamilias minore. 138
Finium regundorum. 247
Fluminibus & ne quid in flum. ripave ejus fiat. 620
Fonte. 625
Formulis & impetrationibus actionum sublatis. 182
Foro competente. 163
Foro uxorum. 170
Fructibus & litium expensis. 595

Fugitivis servis. 260
Fundo dotali. 419
Fundo instructo vel instrumento legato. 520
Furibus balneariis. 678
Furtis. 669
Furti adversus nautas, caupones, stabularios. 671

G.

DE Generalio abolitione. 701
Glande legenda. 628
Gradibus & affinibus, &c. 549

H.

DE Heredibus instituendis, & quæ personæ instituí non possunt. 482
Heredibus Tutorum vel Curatorum. 460
Hæreditariis actionibus. 181
Hereditate vel actione vendita. 339
Hereditatibus decurionum, naviculariorum, &c. 527
Hereditatibus quæ ab intestato deferuntur. 552
Heredum qualitate & differentia. 499
His quæ in testamento delentur. 481
His, quæ pœnæ nomine in testamento vel codicillis scribuntur. 528
His quæ pro non scriptis habentur. ibid.
His, quæ sub modo legati vel fideic. reliquuntur. 531
His, quæ vi metusve causa gesta sunt. 131
His quæ ut indignis auferuntur. 529
His qui accusare non possunt. 682
His qui ad statuas confugiunt. 29
His qui à non domino manumissi sunt. 568
His qui ante apertas tabulas hæreditatem transmittunt. 503
His qui dejecerunt vel effuderunt. 244
His qui in priorum creditorum locum succedunt. 373
His, qui latrones, vel aliis criminibus reos occultaverunt. 678
His qui notantur infamia. 111
His qui parentes vel liberos occiderunt. 606
His, qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt. &c. 115
His, qui propter metum judicis non appellarunt. 715
His, qui sibi asscribunt in testamento. 696
His, qui sunt sui, vel alieni juris. 38
His, qui veniam ætatis impetraverunt. 147
His, quibus ut indignis hereditates auferuntur & ad S Consult. Syl. 504
Homine libero exhibendo. 629

I.

IIs per quos agere possit. 946
Imvensis in res dotales factis.

Ctis. 426
Impuberum & aliis substitutionibus. 486
Incendio, ruina, naufragio, nave expugnata. 672
Incertis personis. 509
Incestis & inutilibus, nuptiis. 411
Incolis. 719
Indicta viduitate & lege Julia miscella tollenda. 532
In diem addictione. 336
Infantibus expositis. 49
Ingenuis. 35
Ingenuis manumissis. 569
Ingratis liberis. 50
In integrum restitutionibus. 127
Institoria actione. 302
Integrum restitutione minorum viginti quinque annis. 137
In integrum restit, postulata ne quid novi fiat. 129
Injuriis & famosis libellis. 673
Injusto rupto & irrito facto testamento. 478
In jus vocando. 73
In jus vocati ut eant, vel satisdent. 79
In litem dando tutore vel curatore. 438
In litem jurando. 279. 457
Inofficioso testamento. 191
Inofficiosis donationibus. 197
Inofficiosis dotibus. 198
In quibus causis tutorem vel curatorem habenti tutor vel curator dari potest. 439
In quibus causis cessat longi temporis præscriptio. 585
In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. 145
In quibus causis militantes fori præscriptione uti non possunt. 167
In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur. 364
In rem verso. 309
Inspiciendo ventre & custodiendo partu. 428
Institutionibus, & substitutionibus & restitutionibus sub conditione factis. 491
Instructo vel instrumento legato. 520
Inter alios acta vel judicata aliis non nocere. 601
Interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem seu curatorem filiosque eorum. 413
Interdictis seu extraordinariis actionibus quæ pro his competunt. 613
Interdictis, relegatis & deportatis. 707
Interpretatione legis. 19
Interrogationibus in jure faciendis, & de interrogatoriis actionibus sublatis. 256
Inutilibus stipulationibus. 651

Itinere actuque privato. 625
Judicatum solvi. 668
Judice. 161
Judicio finium regundorum. 247
Judiciis, & ubi quisq; agere vel convenire debeat. 159
Jure. 3
Jure aureorum annulorum. 569
Jure canonico. 5
Jure codicillorum. 506
Jure civili, eusque libris. 7
Jure deliberandi. 493
Jure divino. 4
Jure dominii impetrando. 377
Jure dotium. 418
Jure emphyteutico. 353
Jure fisci. 719
Jure immunitatis. 721
Jurejurando propter calumniam dando. 185
Jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali. 274
Jure naturali, gentium, & civili. 14
Jure patronatus. 548
Jure personarum. 34
Jure veteri enucleando. 8
Jurisdictione. 66
Jurisdictione omnium Judicum, & de foro competenti. 163
Juris & facti ignorantia. 405
Justitiâ & jure. 1

L.

De Latina libertate tollenda. 567
Legatis & fideicommissis. 1,2,3. 508.511.513.
Legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita. 540
Legationibus. 722
Lege Aquilia. 238
Lege commissoria. 337
Lege Falcidia. 535
Lege fusia Caninia tollenda. 567
Lege Rhodia de jactu. 300
Legibus, S. Consultis, & longa consuetudine. 17
Legitima. 195
Legitima agnatorum successione. 584
Legitimatione. 40
Legitima tutela agnatorum. 433
Legitima patronorum tutela. ibid.
Legitima parentum tutela. ibid.
Legitimis hæredibus. 552
Legitimis tutoribus. 433
Libello. 92
Libellis dimissoriis, qui apostoli dicuntur. 712
Liberali causa. 570
Liberatione legata. 524
Liberis agnoscendis & alendis à parentibus, vel á patronis, vel à libertis. 427
Liberis vel posthumis heredibus instituendis, vel exheredandis vel præteritis. 475

Liberis exhibendis seu deducendis. 629
Libero homine exhibendo. ibid.
Libertinis. 35
Libertis Municipum, &c. 548.
Literarum obligationibus. 272
Litigiosis. 636
Litis contestatione. 182
Locati conducti. 348
Loco publico fruendo. 618
Locis & itineribus publicis. ibid.
Longi temporis præscriptione quæ pro libertate non adversus libertatem opponitur. 584
Luitione pignoris. 378

M.

DE *Magistratibus conveniendis & eorum hæredibus.* 461
Magistratibus municipalibus. 63
Maleficis mathematicis, & cæteris similibus. 693
Mandati & contra. 320
Mandatis principum. 24
Manumissionibus. 566
Manumissionibu, quæ servis ad universitatem pertinentibus imponuntur. ibid.
Manumissis testamento. ib.
Manumissis vindicta. ibid.
Methodo juris studiique juridici. 10
Migrando. 630
Militari testamento. 497
Minoribus 25 annis. 137
Modo multarum quæ à judicibus infliguntur. 65
Monopoliis, &c. 338
Mortis causa donationibus & capionibus. 564. & seq.
Mortuo inferendo & sepulchro ædificando. 265
Mulieribus, quæ se propriis servis junxerunt. 688
Muneribus & honoribus. 721
Mutatione nominis. 695
Mutuo. 266

N.

DE *Natalibus restituendis.* 569
Naturalibus liberis. 40
Naturalibus liberis & matribus eorũ, ex quibus causis justis efficiantur. 429
Nautæ, caupones, stabularii, ut recepta restituant. 157
Nautico fœnore. 395
Necessariis servis hæredibus instituendis vel substituendis. 491
Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur. 570
Ne fidejussores vel mandatores dotium dentur. 419
Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel servus pro domino conveniatur. 179
Ne fiscus vel resp. procurationem alicui patrocinii causa

causa præstet. 116
Negotiis gestis. 123
Ne liceat in una eademque causa tertio provocare, vel post duas sententias judicum, quas definitio præfectorum roboravit, eas retractare. 712
Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre. 115
Ne pro dote mulierum bona quondam mariti addicantur, idest, in solidum dentur. 427
Ne quid in flumine publico, ripave ejus fiat, quo aliter aqua fluat atque priore æstate fluxit. 620
Ne quid in loco publico vel itinere fiat. 618
Ne quid in loco sacro fiat. 617
Ne quis eum, qui in jus vocatus est, vi eximat. 79
Ne quis in sua causa judicet vel sibi jus dicat. 175
Ne rei dominicæ vel templorum vindicatio longi temporis præscriptione submoveatur. 583
Ne rei militaris comitibus vel tribunis lavacra præstentur. 62
Ne sine jussu principis certis judicibus liceat confiscare. 726
Ne tutor vel curator vectigalia conducat. 451
Ne vis fiat ei qui in possessionem missus est. 616
Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniatur. 178
Nihil innovari appellatione interposita 713
De Nili aggeribus non rumpendis. 676
Non numerata pecunia. 272
Notariis. 401
Novationibus & delegationibus. 661
Novi operis nunciatione. 527
Noxalibus actionibus. 247
Nundinis. 724
Nuptiis. 408

O.

DE Obligationibus & actionibus. 637
Obligationibus ex consensu 639
Obligationibus quæ ex delicto nascuntur. 640
Obligationibus quæ ex quasi contractu nascuntur. ib.
Obligationibus quæ ex quasi delicto nascuntur. ibid.
Obsequiis parentibus & patronis præstandis. 548
Officio assessorum. 64
Civilium judicum. ibid.
Comitis Orientis. 61
Comitis rerum privatarum. ibid.
Comitis sacrarum largitionum. ibid.
Comitis sacri palatii. 62

Comitis sacri patrimonii. ibid.
Diversorum judicum. 64
Ejus cui mandata est jurisdictio. 63
Ejus qui vicem alicujus judicis vel præsidis obtinet. ibid.
Judicis. 589
Juridici Alexandriæ. 62
Magistri militum. ibid.
Magistri officiorum. 61
Militarium judicum. 64
Præfecti annonæ. 59
Præfecti Augustalis. 60
Præfecti prætorio. 59
Præfecti Africæ & omni ejusdē diœcesis statu. ib.
Præfecti prætorio Orientis & Illyrici. ibid.
Præfecti vigilum. 61
Præfecti urbi. 59
Præsidis. 60
Prætorum. ibid.
Proconsulis & Legati. ibid.
Procuratoris Cæsaris vel rationalis. 61
Quæstoris. 59
Rectoris provinciæ. 60
Vicarii. 63
De operibus publicis. 723
Operis novi nunciat. 527
Operis libertorum. 548
Operis servorum. 221
Optione legata. 518
Ordine cognitionum. 570. 589
Ordine judiciorum. 187. 589
Origine juris & omnium magistratuum, & successione prudentum. 12

P.

DE Pactis. 95
Pactis conventis tam super dote quam donatione propter nuptias & paraphernis. 420
Pactis dotalibus. ibid.
Pactis inter emptorem & venditorem compositis. 333
Pactis pignorum & commissoria lege in pignoribus rescindenda. 370
Partu pignoris & omni causa. ibid.
Patria potestate. 38
Patribus qui filios suos distraxerunt. 343
Peculio. 307
Peculio legato. 521
Pedaneis judicibus. 162
Penu legata. 521
Periculo & commodo rei venditæ. 345
Periculo tutorum vel curatorum. 444
Perpetuis & temporalib. actionibus, & quæ ad heredes & in heredes transeunt. 645
Per quas personas nobis acquiritur dominium. 571
Per quas personas nobis acquiritur obligatio. 297
Petitione hereditatis. 199
Pigneratitia actione, vel contra. 295

Pignoribus & hypothecis. 362
Plebescitis. 22
Plus petitionibus. 184
Plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur. 402
Pœna judicis qui male judicavit, vel ejus qui judicem vel adversarium corrumpere curavit. 599
Pœna temere litigantium. 184
Pœnis. 704
Pollicitationibus. 724
Popularibus actionibus. 680
Possessoria hæreditatis petitione. 203
Postulando. 106
Posthumis heredibus instituendis, vel exheredandis, vel præteritis. 475
Præceptis juris. 11
Prædiis & aliis rebus minorum sine decreto non alienandis sive obligandis. 462
Præscriptione longi temporis 10 *vel* 20 *annorum.* 584
Præscriptione 30 *vel* 40 *annorum.* 586
Præscriptis verbis & in factum actionibus. 359
Prætorio pignore, & ut etiam in actionibus debitorum missio prætorii pignoris procedat. 363
Prætoriis stipulationibus. 667
Prævaricationibus 677
Precario. 627
Precibus Imperat. offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat. 24
Privatis carceribus inhibendis 684
Privatis delictis. 668
Privilegio dotis. 608
Privilegio studiosorum. 170
Privilegio fisci. 608
Privilegiis creditorum. ib.
Privilegiis veteranorum. 718
Probationibus & præsumptionibus. 395
Procuratoribus & defensoribus. 113
Pro derelicto. 587
Pro donato. ibid.
Pro dote. 588
Pro emptore. 586
Pro hærede vel possessore. 587
Prohibita sequestratione pecuniæ. 318
Pro legato. 588
Pro quibus causis servi pro præmio libertatem recipiant. 569
Pro socio. 325
Pro suo. 588
Proxeneticis. 725
Publicanis, vectigalibus, & commissis. 561
Publiciana in rem actione. 208
Publicis judiciis. 681
Pupillari substitutione. 487

Q.

De Quadriennii præscriptione. 584
Quæ in fraudem creditorum facta sint ut restituantur. 611
Quæ res exportari non debeant. 346
Quæ res pignori vel hypothecæ datæ obligari non possint. 366
Quæ res venire non possunt, & qui vendere vel emere vetantur. 338
Quæ sententia sine appellatione rescindantur. 713
Quæ sit longa consuetudo. 31
De Quæstionibus. 703
Quando actio de peculio annalis est. 309
Quando appellandum sit & intra quæ tempora. 711
Quando civilis actio criminali præjudicet, & an utraque ab eadem exerceri possit. 590
Quando decreto opus non est. 464
Quando dies legati vel fideicommi si cedat. 544
Quando dies ususfructus legati cedat. 217
Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conveniri possunt. 448
Quando fiscus vel privatus, debitoris sui debitores convenire possit vel debeat. 180
Quando Imp. inter pupillos, & viduas vel miserabiles personas cognoscat & ne exhibeantur. 167
Quando libellus principi datus litis contestat. faciat. 25
Quando liceat ab emptione recedere. 343
Quando liceat unicuique sine judice se vindicare vel publicam devotionem. 147
Quando mulier officio tutelæ fungi potest. 434
Quando non petentium partes petentibus accrescant. 549
Quando provocare non est necesse. 713
Quando tutores vel curatores esse desinunt. 446
Quarum rerum actio non datur, & de exceptione jurisjurandi. 636
Quemadmodum servitutes amittantur. 233
Quemadmodum testamenta aperiantur, describantur & inspiciantur. 504
Qui accusare non poss. 682
Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus. 543
Qui ætate se excusant. 451
Qui bonis cedere poss. 604
Quibus ad libertatem proclamare non licet. 604
Quibus alienare licet vel non. 578
Quibus ex causis in possessio-

sionem eatur. 606
Quibus ex causis majores in integrum restituantur. 149
Quibus ex causis manumittere non licet. 568
Quibus ex causis servi pro præmio libertatem accipiunt. 569
Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur. 47
Quibus modis pignus vel hypotheca solvitur. 377
Quibus modis re contrahitur obligatio. 639
Quibus modis testamenta infirmentur. 478
Quibus modis tollitur obligatio. 661
Quibus modis tutela finitur. 446
Quibus modis ususfructus vel usus amittatur. 217
Quibus rebus ad eundem judicem eatur. 257
Quibus non competit bonorum possessio. 551
Quibus non objicitur longi temporis præscriptio. 505
Quibus res judicata non nocet. 601
Qui dare tutores vel curatores, & qui dari possunt, vel non. 435
Qui & adversus quos in integrum restitui non possunt. 146
Qui & à quibus manumissi liberi non fiant ad legem Æliam Sentiam. 568
Qui legitimam personam standi in judicio habent vel non. 176
Qui manumittere possint vel non, & ne in fraudem credit. manumitt. 568
Qui morbo se excusant. 451
Qui non possunt ad libertatem pervenire. 570
Qui numero liberorum se excusant. 451
Qui numero tutelarum. ib.
Qui petant tutores vel curator. & ubi petantur. 439
Qui potiores in pignore vel hypotheca habentur, & qui in priorum creditorum locum succedant. 371
Qui pro sua jurisd. Iud. dare darive possunt. 162
Qui satisdare cogantur vel jurato promittant vel suæ promiss. committantur. 81
Quis & à quo appell. 710
Quis ordo in bonorum possessione servetur. 552
Qui sine manum. ad libertatem perveniant. 568
Qui testamenta facere possunt vel non. 467
Qui tutores dari possunt. 437
Quod certo loco dari oportet. 287
Quod cujusque universitatis nomine vel contra eam agatur. 122
Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur. 304

Quod

Quod falso tutore auctore gestum esse dicetur. 460
Quod jussu. 310
Quod legatorum. 615
Quod metus causa gestum erit. 131
Quod quisque juris in alium statuerit ut ipse eodem utatur. 71
Quod vi aut clam. 626
Quomodo & quando judex sententiam ferre debeat præsentibus partibus vel una parte absente. 596
Quorum appellationes non recipiantur. 712
Quorum bonorum. 614

R.

DE Raptu virginum seu viduarum, nec non sanctimonialium. 689
Ratiociniis operum publicorum & de patribus civitatum. 723
Rebus alienis non alienandis & de prohibita rerum alienatione vel hypotheca. 341
Rebus auctoritate judicis possidendis. 607
Rebus corporalibus & incorporalibus. 57
Rebus creditis. 266
Rebus dubiis. 527
Rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt sine decreto non alienandis vel supponendis. 462
Receptatoribus. 678
Receptis arbitris, & qui arbitrium recipiunt ut sententiam dicant. 152
Reconventione. 258
Regula Catoniana. 528
Regulis juris. 725
Rejudicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus. 591
Rei vindicatione. 204
Rei uxoriæ actione, in ex stipulatu actionem transfusa. 424
Reis promittendi. 654
Relationibus. 708
Religiosis & sumptibus funerum & ut funus ducere liceat. 262
Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum administratione. 331
Rem pupilli vel adolescentis salvam fore. 667
Rem ratam haberi & de ratihabitione, ibid.
Re militari. 718
Remissione pignoris. 378
Remissionibus. 627
Repressaliis. 179
Replicationibus. 637
Repudianda possessione. 597
Repudianda & abstinenda hæreditate. 501
Repudiis & judicio de moribus sublato. 423
Reputationibus, quæ fiunt in judicio in integrum restitutionis. 148
Requirendis reis vel absentibus damnandis. 702
Rerum amotarum. 427

Rerum divisione. 51
Rerum permutatione. 358
Rescindenda venditione. 343
Res inter alios acta vel judicata aliis non nocet. 601
Responsis prudentum. 30
Restitutionibus in integrum. 127
Restitutione militum & eorum, qui reip. causa absunt. 150
Retentione. 316
Revocandis donationibus. 565
Revocandis iis quæ in fraudem creditorum alienata sunt. 611
Ripa munienda. 620
Ritu nuptiarum. 408
Rivis. 625

S.

DE Salviano interdicto. 630
Satisdando. 81
Satisdatione tutorum & curatorum. 440
Secundis nuptiis. 415
Seditiosis & iis qui plebem audent contra remp. colligere. 686
Senatoribus. 58
Senatusconsultis. 22
SCto Claudiano. 554
SCto Macedoniano. 305
SCto Orfitiano. 552
SCto Syllaniano & Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur. 504
SCto Tertulliano. 552
Sententia quæ sine certa quantitate profertur. 593
Sententiam passis & restitutis. 707
Sententiam rescindi non posse. 598
Sententiis & interlocutionibus omnium judicum. 591
Sententiis ex breviculo recitandis. 598
Sententiis præfector. prætorio. 593
Sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur. 594
Separationibus. 609
Sepulchro violato. 676
Servis exportandis, vel si mancipium ita venierit ut manumittatur, vel contra. 346
Servis fugitivis. 260
Servis reip. manumittendis. 566
Servitute legata. 517
Servitutibus. 225
Servitutibus prædiorum rusticorum. 230
Servitutibus urbanorum prædiorum. 228
Servo corrupto. 259
Servo pignori dato manumisso. 567
Si adversus creditorem. 144
Si adversus creditorem præscriptio opponatur. 585
Si adversus delictum restitutio postuletur. 143
Si adversus donationem. 141
Si adversus dotem restitutio postuletur. 143
Si adversus Fiscum. 144

Si adversus libertatem. 141
Si adversus rem judicatam restitutio postuletur. 140
Si adversus solutionem à tutore vel, &c. factam. 142
Si adversus transactionem vel divisionem minor in integrum restitui velit. ibid.
Si adversus venditionem. 140
Si adversus venditionem pignorum. 141
Si adversus usucapionem restitutio postuletur. 143
Si ager vectigalis, hoc est, emphyteuticarius petatur. 208
Si aliena res pignori data sit. 368
Si à non competente judice judicatum esse dicatur. 592
Si antiquior creditor pignus vendiderit. 375
Si certum petatur. 267
Si communis res pignori data sit. 317
Si contra jus, vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum vel impetratum. 26
Si contra matris voluntatem tutor datus sit. 437
Si cui plus quam per legem falcidiam licet, legatum esse dicetur. 537
Si de momentanea possessione fuerit appellatum. 709
Si dos constante matrimonio soluta fuerit. 425
Si ex falsis instrumentis vel testamentis judicatum erit. 599
Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caveatur 83
Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus, omnes, vel unus agere pro minore vel conveniri possint. 449
Si familia furtum fecisse dicatur. 671
Si in causa judicati pignus captum sit. 364
Si in communi eademque causa in integrum restitutio postuletur. 139
Si ingenuus esse dicatur. 570
Si quis testamento liber, &c. 671
Si major factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit. 465
Si major factus ratum habuerit. 148
Si mancipium ita fuerit alienatum ut manumittatur vel contra. 346
Si mancipium ita venierit, ne prostituatur. ibid.
Si mater indemnitatem promiserit. 459
Si mensor falsum modum dixerit. 261
Si minor ab hereditate se abstineat. 144

Si minor se majorem dixerit vel major probatus fuerit, 146
Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicatur. 429
Sine sensu vel reliquis fundum comparari non posse. 345
Singulis rebus, per fideicommissum relictis. 535
Si nuptiæ ex rescripto petantur. 414
Si omissa sit causa test. 145
Si pars hered, petatur. 202
Si pendente appellatione mors intervenerit. 715
Si per vim, vel alio modo absentis possessio turbata sit. 623
Si pignoris conventionem numeratio pecuniæ secuta non sit. 376
Si pignus pignori datum sit. 369
Si plures una sententia condemnati sint. 602
Si propter publicas pensitationes venditio fuerit celebrata. 345
Si quacunque præditus potestate, vel ad eum pertinentes, ad suppositarum jurisd. suæ aspirare tentaverint nuptias. 414
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. 235
Si quid in fraudem patroni, &c. 548
Si quis aliquem testari prohib. vel coëgerit. 505
Si quis alteri vel sibi sub alterius nomine, vel aliena pec. quid emerit. 331
Si quis à parente manumissus fuerit. 547
Si quis cautioni judicio sistendi caussa factæ non obtemperaverit. 85
Si quis eam, cujus tutor fuerit, corruperit. 688
Si quis ignorans rem minoris esse sine decreto comparaverit. 465
Si quis Imp. maled. 685
Si quis in jus vocatus non ierit, sive quis eum vocaverit, quem ex edicto non debuit. 78
Si quis jus dicenti non obtemperaverit. 72
Si quis omissa causa testamenti, ab intestato, vel alio modo possideat. 504
Si quis testamento liber esse jussus fuerit, & post mortem Domini ante aditam hereditatem surripuisse aut corrupisse dolo malo dicatur. 671
Si rector provinciæ vel ad rem pertinentes sponsalitias dederint arrhas. 407
Si res aliena pignori data sit. 468
Si res communis sit pignori data. 369
Si reus vel accusator mortuus fuerit. 684

Si sæpius in integrum restitutio post fuerit. 123
Si secundo nupserit mulier, cui maritus usufructum reliquit. 417
Si servitus vindic. &c. 232
Si servus extero se emi mandaverit. 325
Si tabulæ testamenti extabunt. 543
Si tabulæ testamenti nullæ extabunt, unde liberi. 548
Si tutor contra matris voluntatem datus sit. 437
Si tutor vel curator falsis allegat. sit excusat. 455
Si tutor vel curator intervenerit. 139
Si tutor vel Curator non gesserit. 458
Si tutor vel curator reip. causa abfuerit. 451
Si tutor vel curator vel magistratus creatus appellaverit. 714
Si vendito pignore agatur, 376
Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur. 429
Si unus ex pluribus appellaverit. 709
Si unus ex pluribus hæredibus creditoris, vel debitoris, partem sui debiti solverit vel acceperit. 375
Si usufr. petatur vel ad alium pertinere negetur. 220
Si ut omissam hæreditatem, vel Bonorum possessionem, vel quid aliud acquisiverit. 145
Societate. 325
Solemnitatibus Testamentorum. 475
Solutionibus & liberationibus. 663
Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur. 424
Sponsalibus & arrhis sponsalitiis & proxeneticis. 405
Sportulis, & sumptibus in diversis judicis faciendis, & de executionibus litium. 161
Statu hominum. 34
Statuis & imaginibus. 29
Statu liberis. 568
Statutis. 21
Stellionatus. 697
Stipulatione servorum. 655
Successione conjugum. 556
Successione Fisci. 527
Successorio edicto. 549
Suffragio. 272
Suis & legitimis liberis & filia nepotibus ab intestato venientibus. 552
Supellectilis legata. 521
Superficiebus. 624
Suspectis tutoribus vel curatoribus. 449

T.

Tabulis exhibendis. 616
Temporibus & reparationibus appellationem sen-

consultationem. 711
Temporibus in integrum restitutionum tam minorum & aliarum personarum, quæ restitui possunt, quam hæredum earum. 129
Termino moto. 679
Testamenta quemadmodum aperiantur. &c. 504
Testamentaria manumissione. 567
Testamentaria intela. 431
Testamento militari. 467
Testamentis ordinandis & quemadmodum testamenta ordinentur. 467
Testibus. 402
Tigno juncto. 671
Transactionibus 101
Tributoria actione. 303
Tritico, vino, & oleo legato 519
Tutelis. 430
Tutelæ & rationibus distrahendis, & utili curationis causa actione. 457
Tutore & Curatore, qui satis non dedit. 441
Tutoribus & Curatoribus datis ab his, qui jus dandi habent, & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt. 435
Tutoribus & Curatoribus Illustrissimarum vel clariss. personarum. 436

V.

Vacatione & excusatione munerum. 721
Variis & extraordinariis cognitionibus. 724
Vbi causæ fiscales vel divina dominus hominumque ejus agantur. 171
Vbi causa status agi debeat. 175
Vbi conveniatur, qui certo loco dare promisit. 173
Vbi de criminibus agi oporteat. 172
Vbi de hæreditate agatur, vel ubi heredes scripti in possessionem mitti postulare debeant. 174
Vbi de possessione agi oporteat. 172
Vbi de ratiociniis tam publicis quam privatis agi oporteat. 175
Vbi & apud quem cognitio restitutionis in integrum agitanda. 128
Vbi fideicommissum peti oporteat. 173
Vbi in rem actio exerceri debeat. 174
Vbi petantur tutore vel curatores. 440
Vbi pupillus educari vel morari debeat, & de alimentis iis præstandis. 455
Vbi quis de cohortali aliave conditione conveniatur. 170
Vbi senatores vel clariss. civiliter vel criminaliter conveniantur. 166
Vectigalia nova institui, &c. 561

Vectigalibus & commissis. ibid.
Ventre in possessionem mittendo & curatore ejus. 547
Ventre inspiciendo custodiendoque partu. 428
Verborum & rerum significatione. 527 & 725
Verborum obligationibus. 647
Veteranorum militum successione. 551
Veteranorum privilegiis. 718
Veteri jure enucleando & autoritate Iurisp. qui in digestis referuntur. 8
Via & itinere publico reficiendo. 619
Via publica, & siquid in ea factum esse dicatur. 618
Vi bonorum raptorum. 672
Vi & vi armata. 621
Unde legitimi. 548
Unde cognati. ibid.
Unde liberi. ibid.
Unde vi. 621
Unde vir & uxor. 551
Usucapione pro donato. 587
Usucaptione pro dote. 588
Usucapione pro emtore vel transactione. 586
Usucapione pro hærede. 587
Usucapione transformanda, & sublata differentia rerum mancipi nec mancipi. 581
Usucapionibus seu usurpationibus & longi temporis præscripti. ibid.
Usu & habitatione. 222
Usu & Usufructu, & reditu, & habitat. & operis per legat. vel fideic. relictis. 515
Usufructu, & quemadmodum quis utatur fruatur. 209
Usufructu accrescendo. 215
Usufr. earum rerum, quæ usu consumentur vel minuuntur. 219
Usufructuarius quemadmodum caveat. 223
Usuris & fructibus causis & omnibus accessionibus & mora. 388
Usuris & fructibus legatorum & fideicommissor. 533
Usuris pupillaribus. 458
Usuris rei judicatæ. 601
Ut actiones ab heredibus & contra heredes incipiant. 181
Ut causæ post pubertatem tutor adsit. 447
Ut ex legibus vel SCtis bonorum possessio deferatur 552
Ut in flumine publico navigare liceat. 620
Ut in possessionem legatorum vel fideic. servandorum causa esse liceat. 545
Ut in poss. legat. seu fideic. serv. causa mittantur, & quando satisdare debeat. ibid.
Ut intra certum tempus cri-

minalis quæstio terminetur. 704
Vti possidetis. 623
Vt legat. vel fideic. causa caveatur. 545
Vt lite pendente, vel post provocat. aut definitivam sententiam nulli liceat Imp. supplicare. 25
Vt nemini liceat sine judicis authoritate signa rebus alienis imponere. 116
Vt nemo invitus agere vel accusare cogatur. 177
Vt nemo privatus titulos prædiis suis vel alienis suspendat. 115
Vt nullis patria administratio permittatur sine permissu principis. 61
Vt omnes judices, tam civiles quam militares, post administrationem depositam per 50 dies incivitatibus vel certis locis permaneant. 66
Vt quæ desunt advocatis partium, judex suppleat. 110
Vtrubi. 630
Vulgari & pupillari substitutione. 486
Vxoribus militum, & qui reip. causa absunt. 150

FINIS.

ALVENSLEBEN
Bd
615

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-185840221-11/fragment/page=0766

EXAMEN
VRIO



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-185840221-11/fragment/page=0768


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-11920154-151222-185840221-11/fragment/page=0769



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-185840221-11/fragment/page=0770

BERNARDI SCHOTANI

EXAMEN JURIDICUM,

Quo Fundamenta Jurisprudentiæ secundum seriem Digestorum, subjectis suis locis titulis Codicis, explicantur.

Accedunt Annotationes Practicæ ab Auctore quondam dictatæ, textuum explicationes variæ, ac infinitarum legum citationes novæ.

Opus, non minus Theoriæ quam Praxeos studiosis perutile ac necessarium.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM.

M. DC. LXII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-185840221-11/fragment/page=0771